JOHAN-AMOS COMENII

SCHOLA-LUDUS

seu

ENCYCLOPÆDIA VIVA,

h. e.

Januæ Linguarum

PRAXIS COMICA.

Res omnes Nomenclaturâ vestitas, & vestiendas, Sensibus ad vivum repræsentandi artificium exhibens amœnum.

LONDINI,

Impensis *Thomæ Parkhurst*, & Prostant venales ad insignia Trium Coronarum, in platea vulgò vocat. *Cheapside*. 1664.

Educ 253.1.35

* *Ex Senecæ consilio*

Non discere ista debemus, sed didicisse, per quæ majoribus paratur via.

Ergò

Vitæ præludia citò, & jucundè, seriò tamen, peragenda.

Imprimatur,

Ex. Æd. Lamb.
Jan. 5. 1663.

Geo. Stradling, *S. T. P.*
Rev. in Christo Pat.
D. Gilb. *Archiepis.*
Cant. à Sac. Domest.

Nobiliſſimis, Magnificis, Ampliſſimisque Celeberrimæ Amſterdamenſis Reipublicæ Conſulibus,

D. CORNELIO de VLAMING, Equiti, Domino de Outshoorn & Gnephoek.

D. CORNELIO de GRAEF, Baroni de Zuyt-Polsbroeck.

D. D. NICOLAO TULP.

D. CORNELIO de VLOOSWYCK.

UT ET

D. D. CORNELIO JOHANNI WITSONIO, Ex-Conſuli, & Rei Maritimæ Præfecto.

Dominis & Mæcenatibus mihi obſervandis.

TEmpeſtas Dei, quæ alteram mihi Patriam inſperatò oppreſſit, Poloniam, ejecit me in littus Veſtrum, ó dudum *Afflictorum Portus habita Hollandia, Urbiumque ocelle, Amſterdamum*; Ubi quia non minorem mihi, quàm naufrago Paulo Melitæ, experiri

experiri contigit humanitatem (accensâ enim pyrâ mihi cum meis ab imbribus, & frigore, provisum est, Act. 28. *Benedicta sit Gentiana domus, cum omnibus qui intelligere se ostenderunt super egenum: in die mala liberet eos Dominus!* Psa. 41.) quàm optem divinitus mihi gratiæ aliquid concedi, unde erga Vos Publicos, Insulæ Principes, gratitudinis aliquid contestari possim! Sed ecce, offert præter spem quiddam Deus, quâ si non Patribus, at filiis eorum, gratificari licebit. Quid sit, verbo dicam: pluscula autem verbis munusculum meum, quô Filios Vestros donatum venio, ornabo.

Moravus egô natione, linguâ Bohemus, professione Theologus, ad Evangelii Ministerium jam Anno Christi 1616 vocatus, postquam florentissimæ inter nostras in Moravia Ecclesias, Fulnecensi, Pastorali munere præfuissem, indéque cum aliis (propter Evangelii fidem) in Exilium actus in Poloniam deferrer, accidit, ut calamitosam exilii sortem toleraturus Scholasticis me adhiberi paterer, Lesnensi in Gymnasio, muniis. Quod occasionem dedit, artem *Didacticam*, per id tempus à Wolffgango Ratichio & aliis excoli cœptam, ut accrescentibus indies observationibus bonis, non tantùm Artis præcepta constituerentur pleniora quàm eatenus, sed & ad re pertum Canonem quendam (*Rerum & Verborum easdem esse divisiones, possèque utrumque ita simul tradi, ut exiguô Libellô tùm tota Rerum Universitas*

sit as tùm tota Latina Lingua, comprehendatur) conſcriberetur Libellus JANUA LINGUARUM dictus. Quem cùm amicis flagitantibus deſcribi typis (etiam antequam mihi ipſi ſatisfactum viderem) permiſiſſem (Annô 1631) factum eſt, quod futurum imaginari non poteram, ut puerile iſtud opuſculum univerſali quodam eruditi Orbis applauſu fuerit exceptum. Teſtati ſunt id permulti variarum Gentium eruditiſſimi Viri, tùm literis ad me datis, quibus inventioni novæ impensè gratulabantur, tùm tranſlationibus in Linguas vulgares quaſi certatim ſuſceptis. Non ſolùm enim in omnes primores Europæas linguas (XII. numero, quarum editiones publicas vidimus, nempe Latinam, Græcam, Bohemicam, Polonicam, Germanicam, Suedicam, Belgicam, Anglicam, Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, Hungaricam) ſed & in Aſiaticas, Arabicam, Turcicam, Perſicam, adeoque Mogolicam, toti Orientali Indiæ familiarem (ut ex literis ad *Jacobum Golium*, Orientalium LL. Lugduni Veſtræ Profeſſorem, à *Petro Golio* fratre, Alepo Syriæ Anno 1641 datis, patet) tranſlatus eſſet idem Libellus noſter. Hæc de tenuiſſimo iſto ſtudiis Juventutis gratificandi conatu noſtro ampla, & ultra ſpem benigna judicia, continuæque amicorum hortationes, & excitatus tanquam divinitùs ſtudiis meis magnus (famâ certè major) Mæcenas, *Ludovicus de Geer*, (jam cum beatis agens) cauſam dedêre majora etiam moliendi; quorum pars lucem vidit, majo-

te verò (sub nomine *Pansophiæ* concepta) adhuc latent. De illis quæ prodierunt, & in Scholas passim Gentium recipiuntur, pauxilla hîc dicam, rogatus. Factis mihi à Mæcenate meo beato otiis, constitutâque honestâ (ut particulari Scholæ ministrandi functione exemptus, communioribus hisce possem vacare studiis) sustentatione, elaboravi sexenniô, typisque Lesnensibus describi curavi. I. *Methodum Linguarum novissimam, fundamentis Didacticis solidè superstructam, Latinæ Linguæ exemplô realiter demonstratam, Scholarum usibus examussim accommodatam; sed & insuper aliis studiorum generibus magnô usu accommodandam.* II. *Vestibulum Latinæ Linguæ: Grammaticæ rudimenta, Dictionarioloque suô Latino-Germanico, instructum.* III. *Januam LL. rebus & verbis auctiorem, suôque itidem Lexicô & Grammaticâ pleniore sic instructam, ut totius Latinæ structuræ* (ad gradum Eleganriæ usque) *faciliore quàm eatenus viâ, amœnioribusque exercitiis, hauriri possit.* IV. Restabat edendum *Latinitatis Atrium, cum Elegantiarum Grammatica & Lexico*: cùm me in Hungariam, primùm ad consilia de Scholis reformandis, mox ad cohabitandum sibi (aliquoties ad me, & ad Antistites meos, ad Mæcenatem item meum, solicitissimè datis literis) evocasset Celsissima Transylvaniæ Princeps, Vidua, Illustrissimusque filius, *Sigismundus Ratoci*, Annô 1650. Qui perceptis omnium Consiliorum fundamentis, *Scholam Pansophicam* adornari voluit

luit: delineatáque fuit Claſſibus ſeptem, per quas ſeptennii unius ſpatiô deducta Juventus, omnibus quæ humanam perficiunt naturam, Chriſtianiſque piis, & ſapientibus Viris, ignorandi non ſunt, ad elegantiam expoliri poſſent. Sed quia inter hæc molimina illum Gentis ocellum præmaturâ morte exſtingui contigit: allíque *Scholâ Triclaſſi*, Latinitatis potiſſimùm ſtudia urgente (tametſi Univerſalis Animo rum culturæ ibi quoque non deſint lineamentô) acquieſcerent, formata eſt, deſcriptisque (*Latino-Hungaricè*) typis Patakinis, *Veſtibuli*, *Januæ*, *Atriique* exemplaribus, Schola-triclaſſis Latina feliciter aperta, jamque, ut audio, in florem ſurget. Ego enim rebus ibi compoſitis, & ad meos in Poloniam reverſurus, ultimô in Hungaria ſemeſtri Januam Linguarum in Dialogos converſam, inſtitutis Theatralibus ludis, exerceri docui. Quæ res cùm mirè placeret, ut etiam poſt diſceſſum meum Exercitia tam amœna continuari poſſent. Factum, reliqui, anno 1654 ab illis digreſſus. Sed cùm anno ſequente (1655) per ſuperiorem Hungariam vehementer graſſabunda peſtis, Patakinam illam (totius Hungariæ primariam noſtrorum) Scholam diſſipaſſet, omniáque ibi diſſipata crederem: ecce nuper ab illis oris huc venientes, Ultrajectenſem in Academiam, Studioſos! à quibus & recolligi Scholam, & refloreſcere ſupra ſolitum, cognovi, Exemplarque illius *Januæ Linguarum Praxeos*, *SCHOLA LUDUS* à me indigitatæ, juſſu Celſiſſimæ Principis typis excuſum, cu-

jus & exemplar accepi. Quod ſimul atque amicis hîc loci conſpectum fuit, publicationem ejus ſollicitare non deſtiterunt. Aſſenſi, nihil cur id prohibendum eſſet videns. Ecce igitur jam nitidioribus Veſtrorum typis, tanquam novâ veſte ſplendeſcens, publicò ſe apud vos quoque ſiſtit! Ante alios Veſtrum in conſpectum, Viri ſapientes, quorum vigilantiæ Patriæ ſalus commiſſa eſt, prodiens.

Quid ſit, quod hîc (Titulô SCHOLA-LUDUS) velatum exhibeatur, ſequens ad Patakinæ hæc Scholæ Curatoris facta præfatio (quam in memoriam eorum, ubi Exercitia hæc primùm nata ſunt, & ob ſingularia ibidem monita, recudi feci) docebit. Specialiùs autem, *Quomodo Scholæ omnes in Ludos verti poſſent*, Praxeos hujus pars IV. (omnes amœnas in Schola Latina benè conſtituta actiones ad vivum repræſentans) oſtendet.

Vobis autem dedicata hæc volui, Domini obſervandi: primùm, ut ne quid novi advena ego & hoſpes apud Vos tentare videar, inconſciis illis quorum in publica ſpecula conſtitutorum, ne quid res publica, literaria etiam, detrimenti capiat, ne quid profectuum non capiat, videre eſt. Deinde, quia revera ſic judico, ſi ulli alii genti, Vobis certè, tanquam liberrimæ Nationi, quicquid libertatem & amœnitates ſpirat, convenire: ut Vobis ubique.

Omnia ſponte fluant, abſit Violentia rebus:

Quod

Quod ego in ſcopum Methodi meæ fixi, & in præfigendum Libellis meis Didacticis Emblema, elegi: nec muto, præſertim apud Vos, ubi omnibus propemodum (ut apparet) *Omnia ſponte fluunt, & abeſt violentia rebus* Quidnî ergò & Scholis, juventutiqne Veſtræ? Repletæ ſunt plateæ Tuæ, ô Amſterodamum, pueris ludentibus (quod pars eſt benedictionis à Deo Jeruſalem promiſſæ, Zach. 8. 5.) Ludunt & Davides Tui cum populo Dei coram Domino (2. Sam. 6. 5, & 21.) Ludant ergò & Juventutis Tuæ ad Sapientiam Duces, ſuos ſapientiæ Ludos! Hâc etiam ratione ſapientiam illam increatam, quæ ludit in orbe Terrarum, delicias habens cum filiis hominum (Prov. 8. 31.) imitati.

Acceſſit inſperatò aliud, quod me Libellum hunc, jamjam prelô exiturum, illuſtri Nomini Veſtro inſcribere coëgit: exhibitus nempe mihi favor & honor, quô me de ſubſiſtendo apud Vos, promovendiſque in lucem hactenus ematurari nequitis, aut incendiô nuper amiſſis, gratiosè requirere dignati eſtis. Ingratus ſim, niſi tantum favorem gratô excipiam animô, de conteſtanda modis debitis, gratitudine ſolicitus. Patiemini ergò, ut cum hôc ipſo temporis articulô Libellus hic foras exit, inde gratitudinis in Vos meæ, & erga rem Literariam publicè deprædicandæ, benignitatis Veſtræ, fiat initium.

Sed ut liberiùs meam erga Vos incipiam explicare

care fiduciam: attexam hîc, *cur Libello præsenti insolitum* SCHOLÆ LUDI *Titulum indere libuerit*, ut tantô magis quid boni usus hæc in speciem ludicra habeant, quamque verè *hi ludi in seria ducant*, expendi; eóque non verba & ventos, sed monita bona me adferre, intelligi possit.

Officinas Literarias non sine causâ sapiens Antiquitas tam blandis insigniras Titulis voluisse putandi est, ut Græci σχολὰς (*Scholas*) Romani *Ludos*, appellarent. Voluerunt, nempe & pueris terrorum occasionem admere, & ipsis Doctoribus jucundè operas peragendi modum insinuare. Animadvertebant procul-dubio, nihil perniciosiùs esse literarum studiis, quàm si Discipuli nauseabundi ad eas accedant, aut in eis detineantur. Quippe sic omnis opera luditur, dum inviti literis abhibiti è Scholis, tanquam pistrinô, festinant: pulchrè secum agi existimantes, si quando è Scholæ carcere in libertatis campum prorumpere detur. Optimè igitur D. Lutherus Anno 1526 de Scholis erigendis ad Germaniæ urbes paracleſin scribens votum addidit: *Faciliorem aliquam & blandiorem optandam esse Methodum, quâ nemo deterreretur, Omnes potiùs allicerentur, ad studia, & quâ non minorem pueri voluptatem è studiis Literarum caperent, atque nucibus, pilâ, cursu, totos dies lusitando.* Hæc ille vir cordatus, cordatè omninò. Quæ vota si bona fuerunt, cur non in effectum deducendis seriò aliquis incubuit?

aut

aut ſi quis vel tandem in effectum deduci ſuadeat, modumque oſtendere tentet, cur vitio vertatur? Repertum autem eſſe Methodo noſtrâ modum, quô SCHOLA omnis LUDUS fiat, ut oſtendam, quid rei ſit quod LUDUM, ſeu *Luſum*, vocamus, attendi poſtulo. Sic definio, *Ludus eſt corporis vel animi exercitium inter plures, de aliquo lucri aut honoris præmio concertantes inſtitutum.* Quæ definitio in requiſita ſeptem, quæ Ludum eſſe ludum (hoc eſt, animi oblectamentum) faciunt, ſeſe reſolvit: 1. *Motum.* 2. *Spontaneitatem.* 3. *Societatem.* 4. *Concertationem.* 5. *Ordinem.* 6. *Facilitatem.* 7. *Finemque jucundum, animi relaxationem.* Quæ ſingula quid ſint, & quomodo Exercitiis Scholaſticis Methodô noſtrâ inſtitutis inſint, eja videamus.

Primum in Luſu quod oblectat, Motum eſſe dico. Motu enim cùm fiant & conſerventur omnia, naturaliſſimum eſt omnia viventia gaudere motu, vividiore præſertim ætate, ut in Animalium quorum vis pullis videre eſt. Hinc eſt quòd Pueri à diſcurſando, aliaque ſui agitatione, cohiberi nequeant. Et quòd puer ſi ludentibus adſtare tantùm jubeatur, colludere (id eſt, circa idem cum cæteris objectum ſeſe movere) prohibeatur, ægrè ſibi eſſe ſentit, abireque mavult: ſiſte & cæteris motum, mox cum motu luſum, & cum luſu oblectationem, ſuſtuleris.

Secunda in Luſu oblectatio à ſpontaneitate eſt, quòd

quòd huc nemo nisi propriâ voluntate veniat, suòque non alienò arbitriò res gerat. Arbitrii namque libertas, fastigium excellentiæ humanæ obtinens, ubique regnare quærit, etiam in levioribus & ludicris. Patet id, quia nemo ludit coactus: aut si cogitur, non oblectamentum inde, sed tormentum percipit, æquè ut in cæteris, quæ invitus facit.

Tertia in Lusu oblectatio à Societate est, homini tam naturaliter desiderata, ut non sine causa aliqui *Hominem animal sociabile* definiverint. Quem humanitatis characterem animis, nostris propter amorem communionis, quâ desideriorum complementa alii ab aliis mutuamur, impressum voluit sapiens Creator. Hinc Seneca: *Nullius boni sine socio jucunda est possessio.* Adeo id verum, ut etiam dum aliquem ludendi incessit libido, colluſorem quærat: aut, si haberi nequeat, ludendi partes (novimus exempla) inter dextram & sinistram dividat.

Quartò, jucunditatem Ludo præstat Concertatio, seu de Victoria certamen: cùm propositi lucelli, aut honoris, prærogativam sibi quisque mavolens quàm alteri, omnes pro impetranda illâ vires intendit: quòd quia cum animi quâdam inter spem & metum (innoxiâ tamen illâ) suspensione fit, titillatione animus non injucundâ afficitur.

Quintum, quod Lusum facit jucundum, Ordo est,

est, quem Colluſores fixis inter ſe Legibus certis obſervare tenentur. Ordo quippe rerum omnium ut ſeriarum, ita ludicrarum, anima eſt: quâ demptâ, mortua ſunt omnia, nihil vivit, nihil ſe movet, nihil oblectat. Adeò id verum eſt, ut ſi quando leges ludi à Colluſorum aliquo violari ſentiant cæteri, indignitatem rei non ferentes, diffugiant, aut in iram, rixas, pugnas, concitentur: & ſic Luſus in contrarium ſuum, ordine turbatô, degeneret.

Sextum quod Ludicris amabilitatem conciliat, eſt Facilis addiſcendi ea modus, meris conſtans Exemplis & imitatione, Regulis v. aut nullis aut paucis, occaſionaliter tantùm interſpersis. Luſores n. luſu ſolô fiunt, ſine ulla operoſa theoria & præceptis: quibus non onerari, ocyus ad praxin admitti, volupe eſt naturæ humanæ.

Tandem, Luſus remiſſionem quobue amat: quia nemo ludicris tam deditus eſſe poteſt, quin ludum ſi nimius ſit faſtidiat: ad oblectationes per intervalla reditur ſuavius.

Atque hæc ſunt ſeptem illa quæ ludum eſſe ludum faciunt, & quibus datis datur, ſublatis tollitur, Ludus. Quæ proinde Scholaſticis ocupationibus conciliari ſit poterunt, omnia & ſingula, *Scholas verò Ludos* fore patebit. Poteſtúntne autem?

De omnibus Scholarum omnium Exercitus nondum hoc loco agi poteſt, Methodi plenæ Legibus nondum in conſpectu poſitis. Hoc tantùm

tantum in genere dici potest: omnia Legibus Methodi prudentiæ ita esse disponenda, ut *in Scholam admissus nemo sit otiosus spectator, omnes vividi actores*, quicquid Præceptorem & Condiscipulos agere vident, agentes. 2. *Idque sponte, atque cum lubentiùs*, propter admistum illecebras. 3. *Quæ cùm sociati percipiant, quotquot adsunt, tanquam colludentes inter se*, non potest non augeri suavitas. 4. *Præsertim si omnia fiant* (debent autem) *cum prudenter institutâ ingeniorum æmulatione*, & pro loci prærogativâ aliisve propositis præmiolis, concertatione. 5. *Et ordine suavi*, suaviter omnes afficiente. 6. *Totque illis abstractis nugis, quibus Ingenia docentium & discentium vulgò macerantur, morositateque & nauseâ afficiuntur, amotis*, & illis in mera spectacula & actiones ita conversis, ut *Noscenda nôscendo: Faciendo* (h. e. *perpertâ autopsiâ, autolexiâ*) *doceantur & discantur omnia*. 7. *Divisisque laborum & relaxamentorum intervallis ita*, sicuti à motu ad quietem, & à quiete ad motum (à vigilia ad somnum, & à somno vigiliam) naturaliter suavis est transitus: ita à peractis quâvis horâ studiis ad concessas mox exspatiationes, confabulationes, collusionesque, & ab his rursum ad seria, æquè delectabilis (propter æquè hî atque illîc intervenientes suavitates) transitus fiat. Sic inquam *serio-ludicris contemperatam Scholam non posse non Ingeniorum Ludum & videri, & esse, palam est.*

Quantum ad hanc *Janue LL. Praxin Comicam* in-

inſpecie attinet, ubi Rerum teſtimonia adſunt? quid opus eſt verbis? Provoco ad ſpecimina in Patauſina Schola editi oculatos teſtes, ſequente hîc ad Scholarchas præfatione. Atque ſi cui illud, *Hîc Rhodus, hîc ſaltus*, in mentem experiri ubiubi. Nec enim per Rerum naturam aliter fieri poteſt, quàm ut ubicunque aliquid. 1. *Cum Motu.* 2. *Sponte ac libenter*, 3. & *in Sodalitio*, 4 *atque cum Concertatione, & Ordine pulchrô*, 6. *& Praxi merâ*, 7. *& cum interſperſis animi relaxationibus*, diſcitur, id citò, ac jucundè, & ſolidè addiſcatur. Addam unum: quòd cùm Bonæ Scholæ munus ſit, ea inprimis, quæ humanæ præ brutis excellentiæ ſunt, *Rationem, Orationem*, liberamque rerum variarum *Operationem*, expolire, totum hoc præſens Januæ praxis comica valdè compendiosè præſtet. Format enim primùm *Mentes ad Sapientiam*: omnium quæ Mundus habet rerum, & quæ ſub puerilis ætatis cognitionem cadunt, vivis omnium repræſentationibus inſtillans, notitiam. Format dehinc *Linguam ad univerſalem quaſi Latini ſermonis*, eumque purum & fluidum, uſum. Et denique *Animi Corporisque Motus ad Actiones decoras*. Idque adeò ad Tabulaturas redactè, ut ſi Adoleſcentulis hæ Luſiones ad præſcriptum concedantur (côgi n. nihil opus habebunt, ultrò appetentur guſtatæ ſemel) *ſingulis annis totius Rerum Univerſitatis luſtramen, totiusque Latinæ Linguæ repetitio, cum totius Vitæ negotiis, jucundè pertranſiri poſſunt.*

Deſino:

Desino: ad hanc dissertationem non aliò fine digressus, quàm ut Lucis officinarum inspectoribus lucidiorem hanc puerilium studiorum viam ac tiùs inspectandi esset occasio. Valete, Domini mei, & meliora quæque Vobis commandata habete! Nos etiam, si meremur,

Vestrum illum, quem tantisper Vestrum esse voluistis,

Dabam ipsis
Calendis
Jan. 1657.

COMENIUM.

Generosis,

Generosis & Sapientibus, Reverendisque & Clarissimis Viris,

D. ANDREÆ de KLOBUSITZ, Sereniss. Transylv. P. P. à consiliis intimis.

H. PAULO SEMERE, Comitatûs Cassovienſis Vice-Comiti.

D. GEORGIO BARNE, Consiliario.

D. PAULO TARZALLI, Zemplinienſis Diœceſeos Superattendenti.

D. PAULO MEGYESI, Celsissimæ Principis Eccleſiaſtæ Aulico.

D. FRANCISCO VERECI, Eccleſiæ Patakinæ Paſtori primario.

Illustris Patakinæ Scholæ Curatoribus dignissimis, fidissimis, S.

Honoratiſſimi D. D. D.

Scholarchæ.

MOlitos jam ante cumplures annos fuiſſe no Ssudiorum puerilium compenſio quadam, & oblectamenta, non ignotum eſt: & benignè id acceptum, cùm alibi tùm apud Vos, in quorum Scholas Janua Linguæ Latinæ recepta fuit. Superaddere capit anta trianium non inelegans Januæ illius exercitum Vir eximius, D. Sebaſtianus Macer, *Schola in Polonia Leſneuſis Rector: ſub titulo, JANUÆLL. COMENIÆ PRAXIS COMICA. Cujus praxis partem primam*, Mundum rerum naturalium *repræſentantem, cum ſub ingreſſum Anni hujus in Scenam produci, & in conſpectu Veſtro ludi, curâſſem: adeò placuit actio illa vobis, & ſpectantibus omnibus, ut approbatô publicè hoc exercitii genere*, totum Rerum ambitum, ſeu Diſcendorum ENCYCLOPÆDIAM, in talem autopſian, & auropraxian, deduci optaretis, à meque peteretis. *Quô ego ſtimulatus, ſicut & inſperato Nobilis Veſtræ Juventutis ad hæc talia ardore, tametſi laboribus circa magis ſeria, ætatique & vocationi meæ convenientiora, occupatus ſim: & ad ſtationem redirè*

dirè à meis (qui me huc ad tempus miſerunt) urgeor: cohibere me tamen non potui, quin uno & altero Menſe huc datò, omnes Rerum materias pertranſire, omniaque in Dialogos tales, Res veras ſimulachris jucundis repræſentantes, *reducere propoſuerim. Nempe quia D.* Macer *paralyſeos morbo præventus (dolendum!) Opus cæptum abſolvere non potuit: & quia praxin hanc ab illo inchoatam ad majorem ſimplicitatem, evidentioreſque Juventutis uſus, deduci poſſe ſperare cæpi.*

Quòd, quid, & quale ſit, exponere, & de hujus Exercitii Utilitate, adeòque illud in Scholam hanc (& alias) introducendi neceſſitate, diſſertare aliquod non abs re fuerit.

Schola, *ex vero ſuo fine, nihil eſſe debet niſi* Humanitatis officina, & vitæ præludium: *ubi omnia* quæ Hominem faciunt hominem, *tractentur, Et quidem inſtrumentis, inſtrumentorumque uſu, ita comparatis, ut quàm certò Opifices Mechanici quicquid in officinam admiſſa, certò expolita prodent. Exercitiis ergò practicis fervere hîc neceſſe eſt, æquè ut ubi omnia: quia* ſolus uſus facit artifices. *Atque* ſi vitæ præludium eſt Schola, non eſt neceſſe ſeverarum Vitæ Actionum præexercitamenta ſevera eſſe: *quæ in ætatem puerilem non dabunt.* Præludia *eſſe debent, ut Quâ in re ſi proceſſui Natura, gradatim ſeſe à minoribus ad majora, ab humilioribus ad altiora, à ludicris denique ad ſeria, elevanti, obſecundamus, multum lucramur, experientia teſte. Quod ut pateat, re-*

petam hîc quæ Vobis jam initio, ad Vos delatus, (in Scholæ Panſophicæ Delineatione) ſcripſi, his Verbis:

Actiones ſcenicas & theatrales, Comœdias præſertim, non ignoramus à quibusdam è Scholis arceri: retineri tamen eas, & (ubi nullæ ſunt) introduci, ſuadent bonæ rationes. Primùm enim per Actiones id genus quaſi publicas, in Spectatorum Theatro, exercitatur humanum ingenium ad alacritatem potentiùs quàm id ullis admonitionibus, aut etiam totâ diſciplinæ vi obtineri queat. Unde fit, ut Res memorabiles quæcunque faciliùs memoriæ imprimantur, ad vivum ſic repræſentatæ, quàm auditæ tantùm aut lectæ: faliliùsque ſic addiſcantur multi Verſus, & Sententiæ, integrive Libri, quàm ſeparatâ macerationè longè pauciores. Deinde, ad ulteriora quoque, alia ex aliis petenda, inſigne eſt Diſcipulis calcar, quando aut diligentiæ laudem, aut negligentiæ ignominiam, in plurium conſpectu reportandam ſibi eſſe ſciunt. Quin & (tertiò) publicum hoc Præceptorum, circa ſibi commiſſos diligentiæ ſpecimen, ipſis quoque Magiſtris calcar addit, ut ſuos ſpectaculo produci ſuæ laudis intereſſe credant, eôque nihil de ſedulitate remittant. Quartò, Parentes id pariter oblectat, ac ne ſumptuum pœniteat facit, ſi filios ſuos pulchrè proficere, publicèque placere conſpiciant. Quin'ô, produnt ſe hâc ratione excellentiora ingenia, cognoſcitúrque promptiùs, tùm

tùm ad quod potiſſimum Studium quisque natus ſit, tum quinam pauperum præ cæteris promotione digni. Tandem (quod maximum eſt, & vel ſolùm commendationi Scenæ ſufficit) quia Vita hominum (præſertim Eccleſiæ, Politiæ, Scholiſque deſtinatorum, quales utique ſunt quos Schola erudiendos accipit) colloquendo & agendo tranſmittenda eſt, compendioſè ac jucundè hôc modò, exemplis & æmulatione, eò manuducitur Juventus, ut varia rerum obſervare, ad varia ex tempore reſpondere, Geſtus decenter componere, Vultumque, manus, corpus totum, pro re nata moderari, Vocem inflectere ac varia re; verbô, Perſonam quamcunque honeſte agere; & in his omnibus ſubruſticô ſe poſito pudore liberi eſſe, conſueſcant.

Hæc (*inquam*) *ſunt, quibus tùm* (ante triennium) *Actiones theatrales Scholæ Veſtræ commendabam. Atque utinam acceptatum fuiſſet conſilium!* Floreres jam Patakina Schola. *Non enim vanam fuiſſe commendationem, ecce nunc tandem factum experimentum oſtendit!* Nam primò, *tanta eſt facta Ingeniorum in diſcipulis ad alacritatem excitatio, quantam nemo ſperaſſet. Quippe avidiſſimi facti ſunt talium Exercitiorum: parati ordinariis ſtudiis in ſuo curſu relictis, extraordinariâ diligentiâ hæc diſcere. Quod ah quàm pulchrum* inertis otii, & petulantiæ, (*de quibus*

aliàs querimur (antidotum! Sed *& concitatiores se factos Præceptores ipsi, totaque Studiosorum cohors, palam ostendunt.* Imò *Parentes, qui suos hîc prodire viderunt, in meliorem spem excitatos exultare videmus. Et prodiderunt se jam egregiè Ingenia quædam quibus ab illis expectandum sit si perpoliri continuant. Parrhesiæ* denique, *pulchra conspeximus exempla* (*mihi certè cum admiratione quomodo etiam bino tantùm primo exercitio promoveri eò potuerint quidam valde rustico pudore, ut tum ante vix conspectum alicujus honesti ferre possent, quorsum manus aut oculos verterent ignavi: nunc jam integri Theatri pulchrè sustineant oculos. Quod si quis non miratur, & Exercitii hujus utilitatem non inde agnoscit, res pro tio suo æstimare non didicisse ostendit.*

Frustra igitur nobis, & huic salutari incepto, Theologorum objicitur Authoritas, qui Comœdias non è Scholis tantùm, sed & Republica, proscriptas optant. Primùm *enim Comœdias illi intelligunt, quales antiquorum fuerunt: quarum argumenta erant* levia, nugatoria, impura, versusque *sæpè* spurci, immemorabiles: & ubi Lenones, meretrices, parasiti, servi callidi, adolescentes lascivi & prodigi, *aliaque id genus, quæ ignorare præstet, nedum ut istorum inquinamenterum personas agere deceat honestum Adolescentem.* Pelli *utique* has pestes è Scholis Christianis ipsa Christiana pietas jubet. *Sicuti*

ti nec illas tolerari, quas alii agitant honestiores quidem, vel ex ipsis Biblicis historiis desumptas: quarum tamen nullus est finis, quàm transitoria oblectatio, temporisque meliori usu alio transferendi perditio. Et Exercitia hac nostra totô genere alia sunt, fructumque Inventuti solidum; non pollicitantur solùm, evanidâ specie antiquâ, sed ferunt reipsa. Deinde, *Offendebant pios in vulgatis Comœdiis faciei imponi solita personæ, Vestiumque muliebrium indumenta, quia id vetuisset Deus: Deuter. 22. 5. at ista hîc non adhibentur, utne vel tantillam teneris conscientiis relinquatur scrupuli.*

Non nemo tamen amicorum Exercitium hoc Famuale quàm esse utile videat) sic institui vellet, ut Res quidem commonstrando ceu ad vivum repræsententur, simúlque nominentur, sine mutato tamen consueto discipulorum habitu, & non simulato alieno nomine aut persona, Rustici, Militis, Regis &c. sufficere id ad excitandam in Res attentionem, Rerumque rationabiliter addiscendam Nomenclaturam, reatus. Quod agnoscerem, si nihil aliud quæreretur. At nos una fidelia multos dealbare quærimus parietes: hoc est, formare non Sensus *tantùm, Rebus eos obvertando acriùs: &* Linguam, *Res nominando; sed* Mores & Actiones *Vitæ & ad res nnendum circumspectam* Prudeniam, & Parrhesiam *denique. Quæ res nisi personas quamcunque imposueris decore sustinendo, nunquam rectè discentur: peribitque omnino illa*

quæ primarium bonum in hoc exercitio est, alacritas, quia peribit suavitas. Summa summarum: *Vt vestris prodessem huc veni, hoc unum quæsivi, & quæro. Consilia mea prima fuerunt optima: à quibus facta aberratio quia nos circumduxit sine usu, redeamus ad prima illa, quorum hoc Exercitium pars est. Nam quomodo Juventus Vestra à torpore excitari, ad variam Eruditionem inescari, Moribusque expoliri, & ad practicè in Rebus Vitæ versandum in formari queat meliùs, suaviùs, simúlque efficacius, non video. Fiat experimentum uno & altero anno, reipsa experiemim, me non vanum dedisse consilium. Ego nisi rem tanti usus esse scirem, nunquam meo eo ut puerorum Vestrorum causâ repueraſcerem, abduci fuissem passus. Sed quia certò scio hoc Exercitii genus plus habere in recessu quàm à fronte promittit, insistendum omninò est huic viæ: per quam euntibus, eadem opera & cruces ingeniorum in lusus ingeniorum verti, & Lingua Latina tota (aliud veluti agendo) disci, & Rerum ad vitam necessariarum notitia suaviter animis instillari, Mores ad harmoniam pulchrè formari: & denique adveram, realem, solidamque Eruditionem animi præparari possunt. Revera enim talis hæc Rerum Nomenc'atura, autopsiæ & autopraxiæ juncta, non tantùm in præsens omnes sensus titillandi. & circa præsentia objecta intellectum formandi vim habet; sed & Philosophiæ ac Theologiæ potenter viam sternit. Quippe omnium sensualium re-*

rum

omne exemplis perpetuis patebit: quicquid cogitandum ſuſcipitur, ſpectandum ſimper eſſe ipſum Totum, *tum* Partes *ejus, ex quibus componitur; dehinc* Uſum *ſingularum partium, ob quàm dantur: & quid in ſui fiat, & quomodo, &c. Hæc dico, poſtquam circa omnia externa obſervare aſſueverint diſcipuli, quàm facilè erit circa interiores rerum medullas obſervare idem? Rerúmque viſcera æque ac ſuperficiem agnoſcere eſſe mechanicè compoſita, ex ingredientibus certis: quibus poſitis res ponatur, ſublatis pereat.*

Rogo itaque ne ſpernite conſilium meum, Ludicráque hæc exercitamenta, tanquam pulchra ſeriorum præparamenta, ita retinete in Schola Veſtra ut quovis ſeſquimenſe Actus Comicus inſtituatur, totúmque Rerum luſtramen, & tota hæc melior Ingeniorum politura, tota denique Latina Lingua *in cœto tales Actus diſtributa*) *ſingulis annis circumeat. Id ſi feceritis, ut à diſceſſu etiam meo, & poſt fata mea, id obſervetur: non deerit, confido, unde vobis gratulemini, prodeuntibus è Schola Veſtra ſingulos in annos aliquam multis ſapienter inſtitutis Adoleſcentibus.*

At jam conſenſiſtis, jam ut retineantur, & urgeantur Exercitia hæc decreviſtis: eôque ſine hæc vobis ſcripta relinqui, imò ad typum dari, petiiſtis; *Do*: Primùm, *ut* Libellus hic ultimò ſit teſtimonio, prodeſſe me voluiſſe. Deinde, *ut digreſſô me continuari Exercitia iſta queant: dum Præceptores fidi ac induſtrii (quos Schola Veſtra nunc*

Dei

Dei munere habet) *qui hæc agi videruntur, & imitari, Successoresque suos rursum excitare; possunt* (Artem *siquidem* inspectante alterô exercuisse, est artem illam docuisse) *adsunt.* Tandem, *ut sic tandem melius pateat*, Januam nostram verè esse Januam, non in Linguam tantùm Latinam integrè addiscendam, sed & in Realium quoque artium & scientiarum Encyclopædiam, vel ità tamen ab his ludis ingrediendam: *intelligi enim jam poterunt omnia, intellectis hîc fundamentis.*

Monebo tamen quid circa instituendum Actus hosce observandum videatur, ut majorem ferant usum.

1. Bonum est constitui certos Anni dies, quibus præcisè peragantur. *Tum propter parentes & alios, qui peregrè venire solent, & posthac fortè volent*: *tum* ad evitandum *alias* confusiones quas nunc aliquoties ex indeterminato tempore passi sumus. *Dies illi erunt semper feria hebdomadæ tertia, seu dies martis, I. Post-Dominicam in* Albis, *seu* Quasimodogeniti. *II.* Trinitatis. *III. post* sextam Trinitatis. *IV. Duodecimam. V. Vigesimam. VI. ante* ultimam Adventûs Dominicani. *VII. post* Epiphaniarum tertiam. *VIII. post Lætare.*

2. Locus *sit Area Schola: si quando autem pluat, sub porticibus ejusdem Collegii.*

3. Actores, *sint Atriales & Annuales Discipuli,*

puli; assumptis quandoque, si necesse sit, Vestibularibus aliquot.

4. Personæ pro Actu futuro distribuantur inter octiduum à peracta præcedente Comœdia. *Idcò ut pro addiscendis pensis non sit opus concedere ullas Classibus ferias: sed ordinaria procedant ordinariè, hæc autem extraordinaria maneant extraordinaria, discanturque sensim.*

5. Si Discipulorum Scholæ numerus excreverit, *ut non omnibus penea sufficiant*, assignentur singulæ Personæ binis aut trinis discipulis, profectu paribus: *è quibus postea in Theatrum admittetur ille solùm, qui judiciô omnium (poterit enim judicium de eo quasi publicum instituti) optimè verba & gestus exprimere deprehensus fuerit. Res hæc bonum habebit usum*; 1. *Ad excitandam diligentiam, ipsa æmulatione*: 2. *Nemo sic privatim etiam, dum alii extraordinaria hæc tractabunt, otiabitur; discent omnes.* 3. *Attentiùs in Theatro spectabunt illi ipsa exclusi æmulatores, desideriô similem in his perfectionem consequendi.* 4. *Dumque hôc annô quisque discet hanc personam, sequenti aliam, reddent sibi familiaria omnes omnia.* 5. *Poteritque fortassis fieri, ut redundantibus illis permittatur eadem Comœdia eôdem loco agi sequenti aliquâ feriâ (die Mercurii, aut Saturni, à meridie)*; *ne sibi diligentiæ fructum periisse putent, & torpeant, sed se sic etiam ad futura exacuant*; *sive coram solo Scholæ*

Cœtu

Cœtu, sive parentes & alii quoque ingredi velint.

6. Examen verò istud (quis inter reliquos majori Theatrô dignus, ut No. 5. dixi, sua meliùs didicerit) fiat triduô ante Actum; pridie vero Ludorum plenum tentamen ipsius pleni Actûs, plenâ suâ facie, spectantibus quidem (si volunt) Studiosis publicis: at Collegiô occluso, ut ne quis extraneus intret, propter interventuras adhuc informationes.

7. Contrà si eveniat, ut Schola Classica non satis Discipulorum habeat, (quemadmodum in Scholis minoribus) poterit unus idemque diligentior duas vel plures personas sustinere diversis in Actibus, aut Scenis. Si quis item debiliori sit memoriâ, abbreviari ei pensum suum, omissis quæ sine hiatu omitti possunt.

8. Et quia Regia Ptolomæi persona dignitatem habet primariam, tribuenda erit non tam primæ diligentiæ, quàm primæ Nobilitatis, personis: forte per sortem, si cubi paritas excitare posset invidiam.

9. Ad Actum ipsum, seu Ludum, veniendo: consultissimum erit peragi hunc matutinis horis, ab VII. ad X vel (quidam enim longiores sunt) XI. Quem inchoabit (post præmissum campanarum Scholæ pulsum) Musica: sicuti & claudet. Actus verò ipse procedat ordine, Musicâ nullâ interturbante.

10. Sessionis

10. *Seſſionis ordo talis ſit, ut Domini Scholarcha cum aliis Generoſis & Reverendis ſpectatoribus occupent duo Collegii latera, tertium Studioſi publici, quartum* Cœtus Claſſicus; qui ſemper huc deducetur totus (attendentibus decurionibus, ne quis abſit:) ut omnia ſpectando & audiendo omnes excitentur, & diſcant omnes, fructuſque hujus exercitii redundet in omnes. *Scenâ pro Actoribus ob velatâ, unde egrediantur, & quo regrediantur, nihil opus eſt: hic cum ſuo ſedeant Cœtu, ſpectaturi non ſe tantùm ſed & alios: ut ſic etiam Comœdiæ profanæ larva dematur. Quem in Theatrum ordo prodire poſcit, ſurgat ſuo locô, per actâque perſonâ, redeat ad ſuum locum, in propatulo ſcilicet ſedentem cœtum ſuum.*

11. *Qui in Theatro loquuntur, modeſtâ confidentiâ utuntor, omniáque proferuntor, memoria prompta, geſtu & inceſſu ad rem accommodatô.*

12. *Pronuntiatio eſt clara & articulata, prorſuſque ad artis leges, quas Janualis Grammatica (de vocibus, phraſibus, ſententiis, integròque ſermone, rectè pronunciandis) præſcribit. Voces tamen minus uſitatas in hoc typis deſcripto examplari expreſſo notavimus accentu quia hîc Hungari ſæpius peccant, ut tantò facilius peccare deſinant.*

13. *Quicquid verò nominant, mox ſimul extenſâ manu (aut pede, aut oculis) oſtendant, tangant, tollant, verſent: ſeu*

res

seu res ipsa fuerit, seu ejus aliquod simulachrum. (*Si neutrum est ad manum, & res fuerit nota,* nominetur *interdum* vernaculè, *eo id fine, ut quidquid quis profert intelligere quoque se ostendat.*

14. *Similiter aliena Actio, aut Gestus, narratur, repræsenterur etiam ipsa actione & gestu ad vivum: ejem in hoc tota Ludorum istorum ars consistat, ut auribus simul & oculis loquamur.* Gestibus loqui, bis loqui est: *adeòque non tam verba quam res loqui: quod anima prorsus hujus Exercitii est.*

15. *Res apud nos ignota quomodo, dum nominantur, ostendi possunt.? Resp.* Per picturas, *aut ex materia fabrefacta simulachra, seu modellos. Quales utinam non pæniteat quodunque sumptu adornare: ut Actoribus & spectatoribus omnia ex vero ostendi possint. Nos hîe pro dilucidanda sensualium Encyclopedia, pingi & è ligno sculpi curavimus figuras, numero* 180; *quæ nunc* (*sub titulo* Vestibuli & Januæ Linguarum Lucidarii) *prelo parantur. Sed ista sunt minutiora quàm ut Theatro sufficiant: neque corpora undique inspicienda in plano satis repræsentari possunt.* Utinam non pæniteat (repeto) sumptuum, ad omnia talia ex materia parandum, juventutíque verâ suâ facie exhibendum.

16. *Actu finitô colludario fiat à D Scholarchis diligentia docentium & discentium: cum exhortatione ad sic pede fanstô progrediendum. Atque si qui*

pauperum

pauperum egregiè se gesserunt, promittatur illis ulterior promotio; aut donetur mox libellus aliquis, vel charta pura Volumen, aut philyra aliquot &c.

17. *Si iidem Actores cum Praceptoribus suis ad Conviviolum invitarentur qualequale id esset, diligentiæ stimulus esset. Nec forsan inviti, symbolas conferrent eorundum Actorum Parentes, vel Cognati, gratum sic animum de suorum profectu contestaturi: si non singulis Actibus, at saltem semel anno.*

18. *Postridie redeatur ad labores ordinarios: aliquotque diebus post distribuantur sequentis Actûs persona, Ubi hoc moneo, Prologos & Epilogos variare posse, majoris suavitatis gratiâ (ut si ad primum Actum redeundo Prologi Argumentum hoc sumatur:* In Schola, ut in Horto, vel Agro, & Vinea versamur: singulis annis novi labores incohandi sunt, &c. Ita nobis redit labor actus in orbem, *&c.*) *Neque quidquam prohibet in ipsum praxeos Textum Gnomas, Adagia, & flosculos quoscunque interspergi, si Actorum Moderatori aliquid ingeniosè incidat, & fortè singulares aliqua ob veniunt, Spectatores novis inventionibus oblectandi, & aliquid docendi vel monendi causâ. Quæ res ut in se varia est, ita varios habere potest usus. Verùm omnia præscribi non possunt, nec opus habent. Reliquendum aliquid est Præceptorum industriæ: quæ ubi se exerceat, etiam*

satis

satis amplum reperiet campum.

Valete Honoratissimi Patroni & Fautores! Deo Vos, & Scholam vestram, cum Celsissima Principe, Macenate nostra, commendo. Ex Museo nostro 24 Aprilis, Anno 1654.

Vester, à Vobis nunc abiturions,

COMENIUS.

JANUÆ

Januæ Linguarum PRAXEOS COMICÆ

PARS I.

In quâ Res Mundi majoris, quæ Naturaliter fiunt, ordine in Scenam producuntur.

Psalm 45. *v.* 8.

Venite, Videte Opera Domini.

[NB. *Hi Rerum Naturalium Ludi agi commodè non possunt hieme, si ad vivum exhiberi debent Herbæ, Flores, Spicæ, Siliqua, Fructus Arborum, Muscæ, Hirundines, aliaque hieme mortua.*]

Ludus hic Actus habet V: Scenas XXI: Personas 52.

1 Ptólogus
2 Ptolomeus Rex
3 Plato, Philosophi.
4 Eratosthenes, Philosophi.
5 Apollonius, Philosophi.
6 Plinius Polyhistor.
7 Cancellarius Regis.
8 Cosmographus.
9 Urania, Cœli contemplatores.
10 Selenius, Cœli contemplatores.
11 Asteria, Cœli contemplatores.
12 Ignatius
13 Pyrodes.
14 Aërius.
15 Æolus.
16 Aquinus.
17 Marius.
18 Nubianus
19 Stillico.
20 Gajus.
21 Chymius.
22 Metallicus.
23 Aurelianus.
24 Mercurius.
25 Lapidarius.
26 Gemmarius
27 Plantinus
28 Graminius.
29 Oluscus.
30 Frugius.
31 Florus,
32 Iatrus.
33 Thamnius.
34 Hylémus.
35 Dendrólogus.
36 Pomónus.
37 Sylvanus.
38 Zoógraphus.
39 Cochlæus.
40 Vermilius.
41 Serpilius.
42 Aquatus.
43 Natantius.
44 Piscenus.
45 Avinus.
46 Volantius.
47 Poténus.
48 Quadrínus.
49 Ctenius.
50 Feræus.
51 Amphistenus.
52 Epilogus.

PROLO-

PROLOGUS.

[*Prodibit poſt præmiſſam Muſicam, cum reverentiæ geſtibus, reſtitans, tacitéque circumſpectans. Tandem ſic incipiens.*]

QUid ſpectatis? quid tacetis? Méne ad Vos venientem alloquitur nemo? nemóne aliquo benevolentiæ excipit ſigno? Intelligo quid fiat. Non ad loquendum, aut agendum conveniſſe Vos: ſed ad ſpectandum & audiendum nos Scholaſticum popellum; ut de nobis, noſtriſque in ſtudiis profectibus, formare queatis judicium. Nobis ergo excipiendi Vos, Hoſpites noſtros, Spectatores noſtros, Cenſoréſque noſtros, incumbit neceſſitas? Utique, Ipſæ humanitatis Leges eò nos adigunt.

Ego igitur nomine totius Scholæ prodire ſum juſſus, ut *Vos Generoſi & Magnifici, Reverendique & Clariſſimi, Domini Scholarchæ*, totaque inclyta ſpectatorum Corona, omnes debitos præfatus honores, conſalutem, noſtrúmque de incolumitate Veſtra, & ad nos adventu, gaudium conteſter. Orem inſuper, ut dum liberales noſtros, & perquam honeſtos, peragimus Ludos, attenti adeſſe, noſtrámque alacritatem favore Veſtro excitare velitis. Ut autem non ignoretis quid ſpectaculi futurum ſit, indicabo ſummam paucis.

Prodibit Rex Ptolomæus, olim apud Ægyptios ſuos rei Literariæ & Librariæ promotor ſtrenuiſſimus. (Nam ut divinis quoque Libris ſuam augeret Bibliothecam, Biblia S. ex Hebræo in Græcum transferri curavit.) Is inquam redivivus Ptolomæus, convocato Sapientum Collegio, conſultabit hodie, quâ ratione Sapientiæ ſtudia in compendium redigi, facilitatéque donari, poſſint: ut

ne tam frequens inter homines sit, quemadmodum hucusque fuit, *Nihil scire, Omnia ignorare, aut certè Nibil scire à fundamento, Omnia superficietenus, & sibi tamen insciti â juâ placere.* Cui optimo Regi, optimè subditis suis, al isque omnibus, volenti, quid Consilii daturi sint sapientes sui, & quomodo res tanta sit proceſſura, jam ipſi, met audietis. Ego pusio tanta Consilia explicare non valeo: nec Vestram debeo remorari attentionem, quam tantummodò excitatam volui. Si potui etiam, munere meo me functum credam. Sed præambuli satis. Valete, & linguis aniu isque favete!

(Musica.)

ACTUS I. SCENA I.

[*Prodibit Regiè indutus* Ptolomæus, *Comitatus Consiliariis suis & Aulicorum turbâ. Considensque in solio jubebit* [*nutu*] *Consiliarios positæ ibi Mensæ assidere. Erunt autem illi quatuor.*

1. Plato *Philosophus, qui adversus Sophistarum tricas* Dialecticam *constituens,* primus Res à rebus accuratè distinxit, *sempérque in disputatione superans plurimas antiquorum dubitationes sustulit. Primus etiam* Dialogum *illustravit, sapienti colloquio hominem quôcunque deduci posse ostendens.*

2. Eratosthenes Cyreneus, *Plato minor à quibusdam ob doctrinam vocitatus, Cosmographus suô seculô summus* [*Globi enim Terreni mensuram, & magnitudinem, primus invenit:*] *quem Ptolomæus Regiæ suæ Bibliothecæ præfecit.*

3. Apollonius Rhodius, *Eratosthenis æqualis, cujus*

cujus & in Bibliothecæ Regiæ præfectura ſucceſſor fuit.

4. Plinius Secundus, *qui Naturæ totius, & quicquid ſeculo ſuô ſciri poterat, Hiſtoriam ſtylo preſſo concinnavit:* Naturæ Bibliothecarius *à Lanſio dictus. Hos ergò ante ſe habens, ſic alloquetur.*]

Ptol.) Regium eſt, & ad Majeſtatem Regiam pertinens, Rempublicam ita gubernari, ut Belli Paciſque in promptu habeantur adminicula. Nobis igitur Bello feliciter confectô, Paceque poſtliminio revocatâ, æquum eſt in id incumbere, ut Pacis undique conquirantur cultores. Noſtrô itaque nomine ex Eruditorum numero, mediâque philoſophiâ, vos advocatos volui, literati Próceres, quibuscum de emendanda, augenda, digniſque modis gubernanda re Literaria, conſilia ineam.

Plato] Feliciter quod agis agas, Rex Sereniſſime. Eum enim benè habent Regna, cùm docti vel doctorum amantes, imperant Principes.

Erat.] Felix ſeculum, quo Principes ipſi operoſam publicis negotiis admovent manum! Tum enim proniore ſequelâ in Ducis abeunt Populi mores: & Laudabile.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Apoll.) Raræ ſunt Regibus de literis cogitationes, nunc Bellô, nunc negotioſo Pacis otio, nunc Conſiliorum Judiciorúmque difficultatibus, præpeditis. Virtus tua, Magne Rex, Prædeceſſorum major Fortunâ, nomen æternitati conſecrabit.

Plin.) Tempore ſerenô Aſtra Dominantur clementiora Tu ille ſidus ſeculi noſtri, ſereniſſime Rex, Patriæ pacem, Paci ornamenta, Ornamentis perennitatem

gratâ diis concilias Animi constantiâ. Quis bonus non optet,

Ut quicquid calcas Rosa mollis odoráque fiat?

Rex.) Quod felix igitur ac salutare sit Reipublicæ Literariæ, opem operámque in commune conferetis, Viri rerum usu peritissimi: *inveniendo in Res humanâ cognitione dignas meliùs, quàm hactenus, penetrandi viam aliquam facilem, & compendiosam.* Ægrè enim fero, non plebem tantùm ignorantiæ tenebris premi & brutescere: sed & qui literis dant operam, perplexè in Sapientiæ studiis versari, & molestè ac sine exitu, veluti Labyrinthos quasdam oberrare, eóque passim quoque hebescere. Quæso remedium his malis quærite, sapientes Viri.

Plato) Monitis mandatísque Tuis, Rex optime, parére nos æquum est, quibus & ipsis sapientiæ studia cordi sunt. Agnoscimus enim ipsimet Sapientiæ hortos, spinis & vepretis densè obsitos, valida expurgatione egere. Quæ res, meâ opinione citra magnum sudorem confici posset, si *Rerum lustramen susciperetur ordine, Rebúsque singulis aptè accommodarentur Nomina*: ne Rerum Notiones, & vocabula, tam confusè volitent, uti fieri videmus.

Erat.) Acu rem tangis, sapientissime Plato. Non res nos confundunt, quæ artificio divinò contextæ ordinem suum servant; & in conspectu omnium explicant: sed fallunt nos, & intricant, vitiosi Conceptus nostri. Vocabuláque aut non rectè rebus indita, aut non rectè á Linguas discentibus percepta.

Apoll.) Prorsus assentior, *Verè Eruditum esse nihil est aliud, quàm Nosse Rerum differentias, & Posse unamquamque signare propriâ appellatione suâ.*

Plin.) Tecum facio: *Totius Eruditionis fundamentum posuisse illum, qui Rerum Nomenclaturam rationabiliter perdidicit. Nam vocabula sunt notæ Rerum: Verbis rectè perceptis, Res percipiuntur.*

Rex) Gaudeo Vos adeò consentire. Idem videri omnibus

bus, Veritatis indicium eſt. Sed tale hoc novum Rerum Luſtramen ánnon difficultatis habebit aliquid?

Plato) Citra ſudorem confici poſſe negotium dixi: addo, ſuavitate & amœnitate multâ, ſi tantummodò concinno illô eatut ordine, quô Res digeſtæ ſunt in ſeipſis: adſitque lubentia & attentio ſedula, cui conciliandæ inveniemus vias, ope Dei. Legiſti, Rex, in Hebræorum antiquitatibus (ſcio enim Te Libros Moſis & prophetarum transfundi curaviſſe noſtrum in ſermonem, Græcum) Deum Mundi Conditorem, poſtquam ad imaginem ſuam creâſſet, qui Creaturis dominaretur, Hominem, introduxiſſe in Paradiſi Scholam, Sapientiæque ſtudium inde illum ordiri voluiſſe, ut *RES luſtrando, & Rebus NOMINA imponendo*, exponeret in ſe divinæ Imaginis ſpeculum. Quod *Rerum luſtramen ab Animalibus inchoatum, intervenienteque mox lapſu interruptum, & hactenus accuratè reaſſumi neglectum, reſuſcitetur quæſo per Te, Rex, ſapienteſque Tuos, hôc ſaltem ævo! ut Paradiſi Schola denuò aperiatur filiis Adæ*: Homineſque Rerum ipſarum ductu philoſophari conſueſcant.

Erat.] Sapiens eſt Platonis conſilium: ne aſpernare illud, ó Rex!

Apoll.] Nihil ſalutarius ſuaderi poteſt, ad confuſionibus laboranti Literariæ rei citò, tutò, efficacitérque, ſuccurrendum.

Plin.] Eadem eſt ſententia mea, idem ſuffragium.

ACTUS I. SCENA II.

[*Colloquutores iidem*,]

Rex.] Aperiri ſuadetis Paradiſi Scholam, amici? & ſuſcipi Univerſale Rerum luſtramen? Condi etiam, aut certè emendari & ſtabiliri totam Rerum Nomenclaturam? Utinam ſimus tam felices! Sed quis jam Deus nobis in conſpectum adducet omnium Rerum exercitum? ſicut i

tuti Adamo adduxiſſe omne Animalium genus, Moſes eſtatur.

Plato) Bono animo ſis, ó Rex! Idem Deus producit quotidie Exercitus ſuos in conſpectu omnium hominum: tantummodo ut attendere ſciant mortales.

Erat.) Et multa jam etiam occultiora deprehenſa ſunt â Mundi contemplatoribus, cum pertexta ſatis rationabiliter Nomenclatura: tantùm quod iſta ſparſim jacent. Si redigerentur in ordinem unum, haberetur quod quæritur.

Apoll.) Nec deſunt, qui hodieque Res omnis generis luſtrant, tractant, excogitant etiam novas. Luſtrandi ſunt omnes, & omnia, *condendaque univerſalis quædam Rerum & Verborum Tabulatura*; per quam Mundi fabrica quaſi tota, & Linguæ apparatus quaſi totus, parallelè digeſta ſpectari poſſent. Concepta verbis ſimplicibus, ſententiis breviculis, ſerie ſic una perpetuâ, ut finis niſi in fine non reperiatur: ntermediis omnibus, Rebus & Verbis, tam nonniſi ſuo loco poſitis, ut nihil idem repeti ſit opus. Et omnia tamen ſint tam clara, facilia, fluida, ut hæc legere volupe ſit, propter adjunctas (ubi opus) icones, côque influentem mox ſimul Rerum intellectum.

Plin.] Experientiâ doctus utile quiddam monere habeo. Non ſatis erit teſtimonio de Rebus eorum qui res deſcripſerunt aut pinxerunt, colligi: Res ipſæ nobis inſpectandæ erunt accuratè. Me, dum recitatoribus omnia credo, ſæpè fuiſſe falſum, novit jam Literatus Orbis: idcò vos, Collegæ, cautiores facio.

Plato) Rectè hoc monetur. Oculatos eſſe nos, ut ne fallamur, neceſſe eſt; atque id ſolum admittere, quod videri, audiri, guſtari, palpari, poterit, demúmque unumquodque nominari.

Erat.) Rectè. Habebitque res illa hunc præterea uſum, quòd *utramque illud, Res & Verba, ſuavius diſcentur junctim, quàm ſeparatim: dum quicquid nominabitur, ſimul oſtendetur; & quicquid viceverſa oſtendetur, nominabitur.*

Apoll.) Sed & Methodi habenda erit ratio: ut ſemper primo

primo ſpectetur & nominetur Res tota, ad cognoſcendum quid ſit; tùm Partes ejus, ad intelligendum quid in ſe habeat: demùm differentiæ ejus, ut innoteſcat quot modis aliquid ſit, faciat, deficiat; & quomodo unumquodque iſtarum efferendum ſit propriâ Nomenclaturâ ſuâ.

Plin.) Amœniſſimam prævideo futuram ſic inſtitutam Univerſi perambulationem: quin facimus initium?

Rex.) Diſponenda priùs eſt acies, quam ineatur prælium. Nondum deliberaſtis, *unde orandum, & quâ procedendum ſit.* Nam ut ne ſe aliquid à conſpectu ſubducat, aut ſæpiùs occurrendo turbet, exactiſſimâ aliquâ opus eſt ordinis ſerie.

Plato.) Quid ſi ante omnia Cœlum & Terram contemplemur? luſtraturi quicquid Deus per creationem produxit, & adhuc per Naturam operatur? Poſt adeamus *Villas, Opificinas, Scholas*, viſuri quomodo Homines tùm accommodēt divina illa opera uſibus ſuis; tùm eruditant ſeipſos in Artibus, Moribus, Linguis. Dehinc intremus *Domos Curias, Principúmque Aulas*, ad ſpectandum qualiter regantur communitates. Tandem viſitemus *Templa:* ad obſervandum quem diverſe mortales venerari quærant Creatorem ſuum, illíque uniri ſpiritualiter; & quomodo rurſum ille moderetur Omnia, per Omnipotentiam ſuam. Ita nobis cuncta venient in conſpectum, quæ uſquam ſunt vel fiunt, & quidem unumquodque loco ſuo. Res inquam omnes ſic innoteſcent, *Naturales, Artificiales, Morales, Divinæ*, unà cum tota Latinitate purâ: quâ nunc Lingua philoſophantur Gentes.

Erat.) Fateor, certiſſimæ Rerum notitiæ certiſſimam eſſe viam, unamquamque rem locô ſuô, & in ſeipſa ſpectari. Non auſim tamen tam moleſtæ itinerationis Regi meo eſſe author: ut permeandi omnes Cœli regiones, omnes Terræ tractus, omnes ſubterraneas cavernas, omnes Marium receſſus, & quid non? imponamus neſſitatem. Satiùs erit Homines rerum quarumque gnaros ordine huc accerſi, ſecúmque Res ipſas adduci, aut certè Rerum icones veras afferri: aut hîcin conſpectu Regis

omnia

omnia & ſingula luſtrentur, rerúmque Nomenclatura edatur.

Apoll.) In ſententiam Eratoſthenis eo, quæ compendiariam ſuadet viam. Nam ſi Mundum ipſum nobis pedibus proponimus peragrandum, vita non ſufficiet: hôc autem modo, etiam domi deſidendo, pertranſire poterimus Omnia, *citò, tutò, jucundè*, novis ſemper ſic etiam obvenientibus ſpectaculis.

Pli.) Accedit, quòd ſi nos ipſi Orbem perambulare volemus, paucos habituri ſumus comites, collectáque rerum notitia nobis proderit, non aliis. At verò ſi per Rerum ignaros undique evocatos commonſtrari ſibi faciet Omnia Rex noſter, admitti poterunt, ultróque ad tam varia & jucunda ſpectacula accurrent ſenes, juvenes, pueri, agminatim. Nec prohibendos cenſebo eô fine, ut vel Omnes tandem homines, cur in Mundi Theatrum ingreſſi ſint, & ad quid Oculos, Aures, Linguam, Mentiſque ſpeculum acceperint, attendere incipiant, ſic namque ad rationabilem Rerum contemplationem excitatis multorum animis, & Sapientiæ lumen multiplicabitur, & polientur Linguæ: ut nos ex hoc tempore intelligamus melius, Turrimque Babel ædificare aliquando deſinamus.

Rex.] Rationabiliter hæc dicuntur: quid tu ad hæc Plato?

Plato.] Fiat quod Regi placet. Agnoſco facilius fuiſſe Animalia in Arcam Noæ congregata luſtraſſe, quam ſi quis per campos, ſylvas, deſerta & teſqua diſcurſare habuiſſet neceſſe.

Rex.] Jam ergô determinate, Quis primò ſit vocandus? & quô ordine reliqui?

Plato.] Satis in præſens fuerit eos accerſi, qui nobis Naturæ faciem exhibeant. Phyſicos dico: tum in genere, ratione *compagis Mundanæ ex Elementis* compoſitæ: tum per ſpecies, qui nobis orta ex Elementis proximè oſtendant, *Meteora*. Dehinc qui ſubterraneos theſauros in lucè ponant, *Minralia*. Proximi ab his erunt, qui

regnum

regnum *Vegetabilium*, hoc eſt, procreſcentes Terrâ *Stirpes*, explicabunt. *Demum*, qui ſpontè mobilium machinularum, Animalium, ordinabunt Exercitum.

Rex.] Series hæc placétne Vobis reliquis ?

Eratoſt.] Naturalis eſt: Optimè ſic quomodo res ex ſimpliciſſimis principiis ſuis, per rudimenta ſua, gradatim ad perfectionem ſurgant, ſpectari poterit.

Apoll.] Ita ſit: rationaliter iri non poteſt aliter.

Plin.] Sereniſſime Rex, dimittenda erunt nomine Majeſtatis Tuæ ad Philoſophos Mandata, ut ſe ſiſtant, omniumque in Natura obſervatorum catalogos ſecum ferant. Sed & ipſa naturalia, quæcunque poſſunt, Corpora: ad fidem omnium faciendam demonſtrativè.

Rex.] Hoc tu optimè curaveris, Plini. Abi in Tabularium, & ſcribi cura. Scriptum tamen priùs nobis exhibe.

Plin.] Rectè ſanè.

[Atque ſic egredietur, mox regreſſurus.]

ACTUS I. SCENA III.

[*Plinius reverſus cum Cancellario.*]

Rex.] Quid ſcriptum eſt ? legatur.

Cancell.] Ptolomæus Rex Philoſophis, Naturæ contemplatoribus, ſalutem. Dilecti fideles : Non clam vobis eſſe volumus, Deliberatò nobis conſilio ſtatutum eſſe, ſolemne *Rerum univerſarum* inſtituere *Luſtramen*, unâ cum earundem *Rerum Nomenclaturis*, ut quam ſibi exactè reſpondeat utrumque ad producendum harmonicos in Intellectu humano conceptus, videri queat. Vos itaq; Cæli & Terræ, univerſæq; Naturæ Contemplatores, nominatim *Coſmographos*, *Meteorologos*, *Metallicos*, *Lapidarios*, *Gemmarios*, *Botanicos*, *Zoographos*, omnis generis, huc ad nos invitamus primò. Adeſte, & in Regiæ noſtræ Palatio comparete ! Naturæ theſauros coram nobis & amicis

micis noſtris, aut quos præterea his intereſſe ſpectaculis contigerit, explicaturi. Quem in uſum Vobiſcum ducite, aut ferte, quæcunque ſpectari opus erit *Naturæ opera* : aut ſi quid ipſummet adferri nequeat, delineationes tamen & *icones*, quàm accuratiſſimas, quæ à vero nihil aberrent; aut denique Nomenclaturas & Definitiones quàm maximè exactas, quæ pro demonſtratione ſint : cum Geſtibus decoris, Res ipſas ad vivum repreſentantibus. Quâ ratione Rerum Majora ut rectè conſtituantur ubique dabitis operam, de minutiis minùs ſolliciti : circa minutias ſapere, Græcorum fuerit morbus. De cætero Vobis Regium promittimus favorem, Valete, & ad nos Volate.

Rex. Quid videtur, recténe hæc ita ?

Plato. Non video quid deſiderari poſſit.

Erato. Tantundem ego. *Apoll.* Regiæ manûs ſubſcriptio deeſt, & ſigillum.

Rex. Cedò igitur ! *(& ſubſcriptô, detrahet annulum, tradénſque Cancellario dicet)* Obſigna epiſtolas, & mittantur per Celeres.

Cancell.] Nihílne amplius ?

Rex.] Dictum eſt. *Cancell.* Factum puta, Rex clementiſſime.

[Tentabitque ire : ſed Rex revocabit.]

Rex. Heus, conſiſte ! Poſtquam venerint, non agminatim intromittantur, ſed ſinguli, vel bini, raro plures : ordine illô qui literis invitatoriis expreſſus eſt, Moneantúrque, ut huc ad nos ingreſſi Philoſophos ſe exhibeant, non Curiales ! mittentes Ceremoniarum pompas, & ſua illicò agentes : nobis tacitè ſpectantibus, Interfandi tamen, ſi quid erit opus, nobis relinquimus arbitrium.

Cancell.] Intellexi.

(Muſica.)

ACTUS

ACTUS II. SCENA I.

[*Coſmographus ingredietur meditabundus, nec Regem reſpectans, nec alium quenquam: ſed ſurſum tantum & deorſum, & circumcirca, proſpectans: tandem manuum ac totius Corporis ad res appoſitô geſtu, ſic inſiet:*]

Sub dio ſum. Quôcunque oculos circumfero, ſurſum & deorſum, prorſum & retrorſum, dextorſum & ſiniſtrorſum, MUNDUS eſt: Compages Univerſorum abſolutiſſima, Domus ſupellectile inſtructiſſima, Amphitheatrum ſpectaculis refertiſſimum.

[Tum ſurſum oculos & manus extendens]

Fornix ille ſpatioſus, in rotunditatem ſupra nos expanſus, COELUM vocatur, Mundum ſic circumdans, quomodo mœnia ſolent Civitatem.

Pavimentum hoc pedibus noſtris ſurpoſitum [dextrô pede leniter pulſabit Terram, monſtrabíque manu] TERRA eſt: circumflua hinc inde AQUIS.

Spatium denique iſtud pellucidum, nos undique ambiens, æqualitérque fornici ac pavimento interjacens, AER dicitur.

Sed unde omnia hæc? Fuit enim certè; quum nihil horum eſſet. Deus omnipotens, ab æterno in æternum habitans in ſeipſo, quia majeſtatem ſuam revelare voluit Creaturis ſuis, creavit omnia hæc ex nihilo. Et primô quidem [ut ſacra teſtatur hiſtoria] informe quoddam & tenebricoſum *Chaos*, fumi cujuſdam, aut vaporis, inſtar prodire juſſit: & prodiit.

In quem vaporem cùm immiſiſſet Spiritum Vitæ agitantem ſe ſuper abyſſum, accenſus eſt Ignis, à quo Vapor ille colliquatus, & porrò hinc depuratus, illinc denſatus diſcrevit iſtas Mundi regiones ſic, ut eſſent *Æther*, *Aër*, *Aqua*,

Aqua, Terra: prima ſcilicet & maxima Mundi corpora, reliquorum corporum gremia, ſeu matrices; in quibus, & ex quibus, omnia poſtea producta habitare, exque illis nutriri, poſſent. Ideò vocantur *ELEMENTA*, quaſi Rerum *Alimenta*: Omnia enim corpora [Nubes, pluvia, nix, lapides, herbæ, animalia, &c.] ex illis fiunt, & in illa, dum intereunt, reſolvuntur. O Sapientiam Conditoris! qui *Unus unum, Magnus magnum, Sapiens pulchrum, Bonus bonum, fecit Mundum! Unus enim eſt Mundus*, undique ſibi adeò cohærens, ut nec vacuum quidquam ſit (Elementis omnia loco explentibus) nec rupturam & inane ferat. *Magnus eſt Mundus*: terminos enim ejus ignoramus. *Pulcher eſt*: ordinatiſſima enim in illo omnia, & infinitâ formarum varietate, unde Latini à munditie *Mundus*, Græcis ob ornatu Κόσμος dictus eſt. *Bonus denique eſt Mundus*: quia nihil in illo fruſtra, & ſine uſu eſt, omnia ad fines certos deſtinata. Etiam dum aliquid corrumpi contingit, & interire, bono fine fit: ut alterius corruptio ſit alterius generatio, renovetúrque, & perennet, formoſiſſima rerum facies. Laudate mecum meum & veſtrum Creatorem, ô Creaturæ Omnes!

[His ſe ſcenâ ſubducet.]

ACTUS II. SCENA II.

[*Uranius, Selenius, & Aſterius (hoc eſt, Cœleſtinus, Lunaris, & Stellarius) ingredientur, ſurſum intenti.*]

Ur.] Suſpicite mecum Æthera, quicunque pars eſtis Generis illius de quo Poeta cantat,

Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus!

Deus eſt, Deus, qui nos tales fecit, ut pedibus calcemus Terram, vultu verò tollamur Cœlum verſus, ad ſuprem-

prema illa Mundi Palatia, Angelorum palatiis proxima. Attollite igitur oculos! Videte Mundi lampadas, Sidera! Quomodo lucidis ſuis radiis illuminent tenebras. Ardoréque ſuo excalefaciant & collíquent Elementalem materiam, perenni autem curſu ſuò, quem à flammante ſua vi habent, dimetiantur nobis tempora.

Sol.] SOLEM fulgentiſſimum inter Sidera, nemo hominum eſt qui neſciat: eſſe tamen illum lucis noſtræ fontem & originem, non omnes attendunt; cùm tamen ſi abſque illo eſſet, per Lunam & Stellas perpetuam ageremus noctem. Sol etenim totus flamma eſt: evibrans à ſe, & jaculans per totum Mundum, Radios, qui in Terram, Nubem, & quodvis corpus opácum, incidentes, diſcutiuntur, fitque lumen. Ideò ille orſens lucem nobis adfert; occidens aufert. Nempe poſt occaſum ejus mox veſperaſcit, & nocteſcit: ortum verò ejus præcedit aurora, cum lucęſcit, & mox dieſcit. Nec aliud eſt Dies quàm Solis ſupra Terram præſentia; Nox vero ejuſdem, à Terris abſentia.

Aſter.] Idem SOL, ut non Diem ſolùm & Noctem faciat, ſed & alias temporum differentias, accepit (præter diurnum ſuum omnibus conſpicuum circa Terram motum) alium quodque motum, circa Cœlum ipſum: quò per ſex menſes Meridiem verſus exſpatians, pérque tot menſes Septentrionem viſitans, Anni partes, *Ver*, *Æſtatem*, *Autumnum*, *Hiemémque* diſtribuit. Cùm enim nobis propior quat, *Ver* eſt, & *Equinoctium*: cùm nobis propè verticem verſatur, *Æſtas*, & *Solſtitium*, adferens dies longos & æſtum: cùm recedit rurſum *Autumnus* eſt, iterúmque *Equinoctium*: cùm longiſſimè diſtat, *Hiems* & *Bruma*, hoc eſt dies breviſſimi, adferentes gelua.

Ur.] Omnis ergò Temporum dimenſio à Sole eſt primariò. Cujus circa Terram revolutio facit *Diem*: dies verò dividitur in Horas viginti quatuor: & Hora in 60 minuta. Rurſúmque ſeptem dies dant Hebdomadam; hebdomadæ quatuor Menſem; menſes 12 Annum; centum anni Seculum. Sed transferamus oculos in LUNAM, abſentis

absentis Solis vicariam: cujus cursum nostine tu *Seleni Sele.*] Quid nî noverim? qui per singulas noct (cum Davide) intueor Cœlos, opera digitorum Dei Lunam & Stellas, quæ ille fundavit: sæpè exclamans, *Quid est Homo Vermiculus, quòd Tu tantorum operum Dominus recordaris ejus? & Filius hominis, quòd visitas eum?* [Psal. 8. vers. 4 5.]

Uran.] Piè hoc: sic decet humanis, non brutis, Opera Dei spectare oculis. Sed Lunæ cursum, formam, usum, narra.

Sel.] Luna non sic flammanter fulget, uti Sol, sed splendet tantùm: non suo, sed mutatitiô Solis lumine, coruscat. Per se enim tenebricosa est, quasi conglobata quæpiam Nubes: sed à Sole irradiatur medâ sui parte semper, alterâ sui parte manente obscurâ semper. Non semper autem illuminatam illam faciem nobis habitatoribus Terræ ostentat; quia cùm sit Sole inferior, neque cum Sole currat æqualiter, fit ut variè ab illo elongata, nec eodem situ nobis obversa, jam appareat lumine crescens, jam decrescens; jam plena, jam gibbosa; jam dividua, jam falcata, jam nulla, quando prope Solem est, aut cum illo: facitque plena Noctem illustrem; dimidia sublustrem; nulla, illunem.

Aster.] Ita sunt duo Mundi *Luminaria*, majus & minus: *Sol*, illuminans diem; *Luna*, noctem. Sed & *Stellæ* noctu micant, triplici differentiâ. Primùm sunt *Stellæ fixæ*, h. e. distantiis inter se immotæ, quibus totus Æther coruscat. Circummeunt quotidie Terram, eâdem semper altitudine, magnitudine verò dispari. Quædam enim adeo sunt exiles, ut splendorem tantùm circa se spargaet: uti est videre in albido illo circo, per medium stellati Cœli porrecti, quem *Viam lacteam* vocant, & quâvis serenâ nocte conspici potest. Deinde sunt *Stellæ Erraticæ* quinque, à Græcis *Planetæ* (h. e. Errones) dictæ: variantes motum & distantiam, tam à se invicem quàm à nobis. Nostine illos, illorúmque Nomina. Urani?

Uran.]

Uran.] Ind ignus essem Cœlestini nomine, si quidquam in cœlis ignorarem. Antiqui septem Planetas numerabant, quia Solem quoque & lunam Planetas (parùm aptè) vocitabant. Nos Dei nomenclaturam sequimur, qui Sidera Cæli in Solem, Lunam, & Stellas, ubique divid.t. Stellas verò subdividimus in *Fixas*, *Erraticas*, (non quòd verè errent, sed quia imperitis vagari videntur) & *prodigiosas*.

Aster.] Quot ergò nobis erunt Planetæ?

Uran.] Primarii quinque, secundarii sex. Primarii sunt: *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Venus* & *Mercurius*. Quos à Stellis fixis dignoscimus scintillatione; à seipsis invicem Colore. Fixæ enim scintillant, h. e. radios tremulos emittunt: quia sunt flammantia corpora, æquè ut Sol. Planetæ verò non scintillant; quia lumen suum ab illuminatione Solis habent, æquè ut Luna. E Venere tamen & Mercurio trèmulum quoque emicat jubar: quia in eis radii Solis ob vicinitatem fortiter repercutiuntur, Inter se autem dignoscuntur colore: quem *Saturnus* habet *pallidum*, *Jupiter splendidum*, *Mars rutilantem*. *Mercurius valdè radiantem*, *Venus omnium venustissimum*. Quæ Solem tantùm circumcursitans (sicut & *Mercurius*) jam supra illum, jam sub illo est, atque tùm propter radios Solis non apparet: jam illum antecedens mane fit conspicuo, & vocatur *phosphorus*, h. e. Lucifer, mensibus ferè novem; jam sequens, & sese vesperi spectandam exhibens, & dicitur *Hesperus*, seu *Vesperugo*, totidem mensibus, *Mercurius* qui parvam habet à Sole excursionem, rarò conspicitur. Ita sunt Planetæ primarii: secundarios tu narra.

Aster.] Nuper demùm detecti sunt, ope Tuborum opticorum, aliàs ob exilitatem inconspicui: Satellites nempe Jovis quatuor, Saturni duo.

Uran.] De Stellis tertii generis, extraordinariis, seu prodigiosis, dic tu Seleni.

Sel.] Adventitiæ sunt Cælo, intra multos sæpè annos nulla apparet: nec ferè nisi ante magnas Orbis mutationes.

nes. Ideóque Bellorum, Peſtis, Famis, prænunciæ creduntur, excitaríque divinitùs ad homines prænonendum. Sunt autem ſimiles aut Stellis fixis, ſitu, motu, figurâ (Vocanturque *Stellæ novæ*:) aut erraticis, motu admodum vago, extra omnes Planetarum vias, figurâ tamen vel *crinitæ*, *vel barbatæ*, vel *caudatæ*. Nuncupant *Cometas*: ut qui Anno 1618, fulſit, & Germaniæ bellum 30 Annorum attulit. Nuper alius arſit (anno 1652. & 1653.) qui quid Orbi adferet, pateſcet brevi. Cometas antiqui opinabantur proprio ardere igni; moderni à Sole habere lumen inde colligunt, quia nunquam aliter quàm caudâ à Sole aversâ conſpiciuntur.

Vran:] Laudate Deum Sol & Luna! laudate Eum omnes Stellæ! (pſal. 148. v. 3.)

ACTUS II. SCENA III.

Ignatius candelam ferens accenſam: & *Pyrocles*, foculum cum ardentibus ligillis.

[N B. *Ignatius fuit Antiochenæ Eccleſiæ Præſul, vir ſanctus, igne amoris Dei totus flagrans. Pyrocles, Cilicis filius, quem primùm è Silice ignem, excuſſiſſe tradunt.*]

Ign.] Ignes ſiderei ſunt inexſtinguibiles? (utinam & amoris flamma in corde noſtro!) Noſter ſublunaris alitur pinguedine rerum, quâ abſumptâ extinguitur. Ut hæc mea candela ecce flammam nutrit ſebo! quô depaſtô, mox illum extingui videbitis. Omnis verò Ignis calore ſuò propinqua fovet (*manum propè flammam tenebit, ſi* ardore verò proxima urit (*admovebit chartam, vel ſtupam, ut exuratur.*)

Pyr.] Lignum quod aret [*oſtendet aſſulam aridam*] facile ardet (*admovebit flammæ, ut ardeſcat*) mox gliſcit, tum flammat (*oſtendet hoc:*) ac ſi perflatur (*ſi ventus*

tus defuerit ipse sufflabit) flagrat, crematúmque redigitur in favillas & cineres. Quod autem humet (*extrahet assulam humidam*) aut *madet* (*intinget in aqua, ut madeat*) id in ustione *fumat*, & quidquid contingit *fúniga*t (*ostendet insumatam chartam*) *crépitat, scintillas disjectat*: ubi cauté agi opus. Nam perexigua etiam scintillula facilè incendit, in quicquid flammascere idoneum incidit, Sed ut restinguatur incendium, comprimenda est confestim flamma, aut affundenda aqua, vel dissiciendus fomes. (*Ostendat hæc*) *Flamma*, est ardens *fumus*; qui adhærens Fumario, spissatúsque, dicitur *Fuligo*, fuscandis rebus idonea. (*Ostendet, & fuliginem, & nigrandi modum.*) Ignitum lignum *Torrem* vocamus (Ostendet:) particula ejus *Carbo*.

Ign.) Tu de focali nostro igne disseris, & rectè quidem: ego de Ignibus in Aëre dicam, unde veniant, & quas habeant differentias. Corpora terrena, æstu torrefacta, emittunt sursum Exhalationes siccas: quæ in Aërem sublimatæ, ibique accensæ, excitant *Meteora ignea*, subitò disparentia. Ut sunt (1) *Stella cadens* (*ostendet hujus accendendæ modum, per candelas duas ardentes*: quarum inferior exstincta, fumóque pingui superioris flam nam attingens, rursum accenditur, flammâ fumum lambente, deorsumque cadente.) 2. *Draco volans*, per transversum. 3. *Ignis fatuus*, circa terram oberrans. 4. Item *Fulgetra* in aëre: in nubibus verò *Coruscationes & Chasmata*, seu Hiatus: quæ omnia tacitè fiunt. At G. Halitus calidi frigidis circumdati incendunter (hoc est, Sulphur mixtum Nitro) fit collisio & pugna: unde prodit Fulgur & Tonitru, cum Fragore terribili (*Hîc accendet pulverem nitratum in bombarda aliqua majore, nulla re duriore onerata.*) Quod si frequenter fulgurat, tonat, fulminat, attoniti pavescimus. Evibrata verò é nubibus flamma *Fulmen* nuncupatur, triplici differentiâ. Aliquando enim tam crassa est, ut ædificia, sylvá que accendat; aliquando tenuior, potens tamen, ut Arbores, & quidvis, in millenas partes discutiat aliquando subtilissima,

ſed penetrantiſſima, ut Corporis cutem illæſam penetret, humores verò in corpore momentò exurat omnes; penetret item marſupium illæſum, nummos autem liquefaciat, & in maſſam cogat. Triplex proinde Fulmen dicitur, *Urens, Diſcutiens, Penetrans.*

Pyr.) Vox Domini in virtute! Vox Domini in magnificentia! Vox Domini confringens Cedros, Pſal. 29. 29. 4. 5.) Timeat Dominum omnis Terra! Pſal. 33. 8.)

ACTUS II. SCENA. IV.

[*Aërius, cum Vitro caldario, cujus oblongus tubus aquâ ſemiplenus inſiſtat vaſi Aquam continenti; ipſa verò Vitri concavitas ineluſum habeat Aërem. Æolus cum æneo globo, aquâ ſempleno, undique occluſo, unicum tantùm exiguum ſpiraculum habente.*]

[*Aërius.*] Mihi ab Aëre nomen eſt: Aëris naturam explicare jubeor. Quærit quis ex me, *Quid ſit Aër* reſpondebo, Materia tenuiſſima, in atomos redacta, ſpirabilis, ſubtò mobilis, & in omnes formas mutabilis. Coloribus enim, odoribus, ſonis, omnium rerum tingi ſe patitur, cóque ad ſenſoria ſua momentò tranſmittit, & quidem quaquaverſus. Ecce enim. Vos omnes me videtis & auditis. Quomodo? Aër luce tinctus defert ſtaturam, figuram, habitum, geſtumque meum, & omnes colores meos, in oculos veſtros. Aër plectro linguæ meæ percuſſus, & variè diffuſus, defert ad aures Veſtras percuſſiones & fiſſuras iſtas, inque ipſis auribus Veſtris illas effigiat. Sed & in ſeipſo Aër, & eſſentia ſua, tanquam ſpongia eſt jam ſe in ampliora ſpatia diſpandi, jam in arctiora contrahi, patitur. Edem vultis? En ad oculum! Cernite in hoc ampullaceo Vitro partem Aëris exire, aut forinſecus ingredi, poſſit. Ecce autem illum

ego

ego ampullam agito, aquæ ſuperficies jam deſcendit: h. e. Aër incluſus, jam ſe dilatando aquam propellit; jam contrahendo illam attrahit: quia non datur vacuum. Vultis plus videre? Apponam huic Vitro ſupernè linteum aquâ calidâ tinctum. Ecce quàm ſenſit calorem Aër! quàm ſe potenter & ſubitò dilatat: Aquámque cedere cogit! Rurſum appono frigidâ tinctum [*apponat.*] Ecce quàm ſe rurſum contrahit, & ad explendum vacuum Aquam aſcendere cogit! Nempe dum Aër caleſcit, tum rareſcit, & ſe dilatat extra ſe: cùm frigeſcit, tum ſpiſſeſcit, & contorquet ſe intra ſe. Et hoc eſt quod æſtate ſentimus, Calorem; hieme verò Frigus.

Æolus. (Eſtne Aër ubique ſui ſimilis?

Aër.) Dividunt Aërem in tres Regiones: *Infimam*, hîc circa Terram; *Mediam*, ubi ſunt Nubes: & *ſummam*, ſupra Nubes. Hæc ſuprema ſemper eſt tranquilla, quò nec Venti pertingunt, nec pluvia: (ut in monte Olympo, & aliis Nubium altitudinem excedentibus, patet.) Media ſemper fère eſt frigida: infima verò noſtra, jam calida, jam frigida, prout Solis & Siderum jubet radiatio, ob diverſam Rerum vegetationem Utrobique autem (in Caloře & Frigore) ſi Aër quietus eſt, ſtat; ſic immotus, flat, nunc leniùs nunc vehementiùs.

Verùm de Ventis agere tuum eſt, Æole.

Æol. Æolum Ventorum Tempeſtatúmque potentem, adoravit Antiquitas: me illi cognominem Philoſophum optem eſſe ſcientiâ potentem, ad Ventorum naturam Vobis rectè explicandam, Creatoríſque in tam debili, ut videri poſſit, Elemento potentiam commonſtrandam. Equidem tùm lenis *Aura* ſpirat, facillat nos; ſed quoties impetuoſa concitatur *Procella*, quatit, procellit, poſternítque, omnia obvia. Concurrunt & aliquando contrarii Venti, colliduntque ſe, & elidunt ſurſùm: unde ſurgit *Turbo*, circumagens ſe, & alia ſecum, in gyrum, donec vi utrinque fractâ miteſcant. Vultis autem ſcire quid ſit Ventus? Eſt *Aëreum flumen*, Aëris dico alicubi per vim dilati, aut impulſi, eòque novas ſedes quærentis,

de loco in locum migratio. *Unde autem ad istam migrationem impellitur?* Ordinariè ab inflammatione alicubi facta. Vultis specimen? Ecce! Hic æneus globus continet tres partes Aëris, unam Aquæ: habétque perexiguum foramen, quasi cuspide acûs factum. Superimponam eum huic igni, ut inclusus aër & aqua ignem sentientes calescere incipiant. Quid erit? Calescet utrumque, & rarescet, & se dilatabit. Aër verò exitum sibi aliâ via non sentiens, trudet sese per hoc foramen violenter, spirabítque vehementer. Ecce, ecce, Ventorum generandorum rationem, ad sensuum evidentiam deductam! Ventus porrò, à qua Mundi plaga venit, ab illa denominationem & indolem accipit. Dicam de Cardinalibus, à quatuor Mundi cardinibus venientibus. *Boreas* Septentrionalis, & *Eurus* Orientalis, ásperant, adstringunt, gelant. *Auster* verò Meridianus, & *Favonius* (seu *Zephyrus*) Occidentalis, remolliunt, resolvunt, regelant,

Si de Terræmotu quæstio sit, unde fiat? sciendum est subterreas quodque cavernas expleri Aëre; cujus flamina ibi concitata dum erumpere quærunt, tremefaciunt Terram: dum verò erumpunt, cogunt Terram hiscere, & hiatu desidere, fiuntque Labes terræ, & subversiones Urbium, aut montium.

Magnus est ubique Dominus noster, & Magna virtus ejus! & intelligentiæ ejus non est numerus! (Psal. 147. 5.)

ACTUS II. SCENA V.

1. *Aquinus*, 2. *Marius*, 3. *Nubianus*, 4. *Stillico*.

Aqu.) Instrumenta mecum nulla fero, de Aqua, corpore noto & valè plano, planissima facturus verba. *Aqua*, est Elementum grave, molle tamen & fluidum. E látice scáturit, é fonte salit, per rimas manat, in plano fluit.

Rivi emanantes è ſcatebris, confluunt in *Fluvios*, tum majora *Flumina*, intra ſuas ripas decurrentia. *Amnis* verò eſt fluvius huc illuc circumfluus: *Torrens*, fluvius ex aquis pluvialibus, rapidè defluentibus, collectus: *Eluvio*, fluvius è ſuis alveis exundans, agróſque inundatione vaſtans. *Fluentum* nuncupabis, ubi aqua fluit; *Verticem & Gurgitem*, ubi gyratur; *Voraginem*, ubi ſeipſam abſorbet; *Abyſſum*, ubi expers fundi eſt. Sicubi profluvio ac decurſu deſtituitur, ibi tumet, ac ſe in *Stagna & Lacus* diffundit: *Palúdes* verò ſunt ſcaturigines languidæ, ſine fluxu; *Lacuna*, eſt confluuium limi.

Habent verò aquæ differentias ſuas, à ſapore & virtute. Fontes enim ſalſi, dicuntur *Salinæ*; acidi, *Acidulæ*; calidi, *Thermæ*. Illæ aſſerviunt decoquendo Sali, iſtæ potioni medicabili, hæ lavationi morbidorum. Pars aquæ minima, dicitur Gutta: maxima collectio aquarum *Mare*. Verùm de mari natura tu *Mari*.

Mar.) Mare ſalſum eſt, ad inſtar muriæ. Cujus Undæ bis de die intumeſcunt ab intranea æſtuatione, affluúntque ad littora, & poſt ſex horas refluunt in altum, cum ſonitu horribili, præſertim inter anguſta Freta. Ubi Tellúrem terminat inæqualiter, efficit aut *Sinum* (aquas Terræ ſe inſinuantes) aut *Promontorium* (terram in mare procurrentem) ubi regionem undique circumluit, *Inſulam* facit ubi majori parte, *Peninſulam*, quam Iſthumus jungit *Continenti*. Plus dicere non habeo.

Nub.) Ego vaporum enarrabo myſteria, quid ſint, unde fiat, quid ex ſe generent, & quomodo.

Mar.) In rem erit: exprome.

Nub.) *Vapor* eſt exhalatio aquæ caloris aut frigoris motu attenuatæ, ob levitatem ſuam ſurſum volans: quibus copiò è aſcendentibus quando Aër craſſeſcit, nubilare dicitur. *Nubilum* verò, ſeu ſpiſſata illa caligo, propè terram dicitur *Nebula*, unde rorat: altiùs ſublevata *Nubes*, unde pluit, ningit, grandinat: nullibi conſpicua, facit *Sudum*. Jam quid ex Vapore generetur, & quomodo, ignorandum non eſt. Evaporatio interdiu excitata, noctur-

na verò frigedine conſpiſſata, & Herbis accorporata, dat *Rorem*; quem mellitulum vocant *Mannam*; gelaſcentem *Pruinam*. Elevatior autem Vaporatio facit, ut dixi, *Nubem*, reſolventem ſe frigore in aquam, deorſum ſtillantem. Quæ deſtillatio ſi ſit minutatim, dicitur *Roratio*; ſi lenè, *Pluvia*; ſi densè, *Imber*; ſi impetuosè, *Nimbus*; ſi guttæ inter decidendum conglaciantur, *Grando*; ſi incaleſcunt, *Vrédo*, adurens plantas rubigine. At verò ſi Vapor Nubium concreſcit in ſpumeſcentes guttulas, ceu floccos, dat *Nivem*, in forma ſtellularum cadentem. Quod hieme fit, propter frigus in Aëris regione media tùm, cùm infima valdè friget, temperatum: æſtate verò cùm apud nos hîc caletur maximè, ibi verò frigetur maximè, Vapor in aquam aut glaciem denſatur.

Still.) Satis hæc philoſophicè. Sed nec omittendum quod ego profeiam; facit enim ad Nomenclaturæ accurationem. Gutta ſtillans è pluvia, *Stilla* eſt, quæ in aquas decidens, facit *Bullam* (veſiculam ſcilicet aëre plenam, aquæ ſupernantem.) Bullarum verò minutiſſimarum congeries dat *Spumam*. Sed cùm ſtillatio rigeſcit frigore, fiunt *Striæ*: cum aqua ſtando vel fluendo congelaſcit, *Glacies*. Circulus in roſcida nube albicans, Solem aut Lumen ambiens, *Halo* vocatur; ſimulacrum verò Solare, in collatrali nube reſplendens, *Parelius* dicitur. Lunare, *Paraſélene*. *Iris* denique (oppoſitùs quandoq; Soli veſicolor formoſiſſimus arcus) ſi pallet, venientem pluviam; ſi claret & ſerenat, abeuntem, naturaliter indicat; ſupernaturaliter autem fœdus Dei, poſt Diluvium nobiſcum initum (quod nolit ampliùs aquis perdere Mundum) in mentem revocat. *Vide Arcum, & benedic Et qui fecit illum, valdè ſpecioſum in ſplendore ſuo, inquit Sirac. 43. v. 12.*

(*Muſica.*)

ACTUS

ACTUS III. SCENA I.

Gajus (hoc eſt Terrenus.)

Ego TERRÆ admirator ſum, Elementi denſiſſimi, graviſſimi, ſemperque conſiſtentis nunquam fluidi: quod uos cum aliis Animantibus geſtat, nobiſque ad vitæ ſuſtentationem infinita ſubminiſtrat. Hæc non ita conſtat partibus indiſtinctis, undique ſimilaribus, ſicuti Aër & Aqua; ſed miræ varietate ſe conſpiciendam eat, æquè in ſuperficie atque viſceribus ſuis.

Proſpicite quæſo [*proſpectabit & ipſe tanquam in longinquum*] quàm habeat hîc quidem vaſtas Planicies, ibi Tumulos, eminentèſque Colles! [*Oculis hæc & manu ad diverſa loca protenſis, pronuntiabit*] alibi fragoſa loca, imò & altos Montes, profundàſque Valles! arduas & abruptas Rupes, præcipitèſque Hiatus! hic herbidos cæſpites, ibi arida glabrèta, aliibi udas Ulligines, humorem ſemper eliquantes: & quam ſit hîc argilloſa, alibi arenóſa, alibi ſaxóſa. Nec minus variant interiora ejus, plena tenebricoſorum meatuum & ſpecuum: quas Vaporationes perflant, & fluores perfluunt, è quibus diverſimodè coaleſcentibus generantur *Foſſilia*, ſeu *Mineræ*, trini generis. Primò, *Succi concreti*: deinde *Metalla*: tandem *Lapides*. De quibus quia narrabunt alii, ego tacebo; de differentiis Terræ tantùm dicam aliquid. Pars Terræ ſicca, eruta ecce, *Gleba* eſt! quam ſi pede teram, aut friabo digitis [faciat utrumque] *Pulvis* erit: ſi diluam aquâ, *Lutum*, [faciat idem]: ſed aqua turbida deponit *Limum*, per plateas lutoſas calcamus *cœnum*. *Argilla* eſt terra tenax, vaſis figulínis apta: *Marga* pinguis, ſtercorandis agris idonea. *Creta* eſt terra alba pigmentis valens: ex *Ochra* exuſta fit *Rubrica*, color ſanguineus. Sed omnia hæc Mineralium inceptio ſunt; de quibus loquentur alii.

ACTUS

ACTUS III. SCENA II.

Chymius [*id est, Humoristæ, ab* χυμὸς, *Humor, succus.*]

Corpora ex Elementis concréta, sed fluxa, spectaculo hucusque fuerunt exposita; *Nubes, Imbres, Bullæ, Stiriæ, Glacies, Halones, Irides, Fulgura*, variique sub terra *Fluores*. Ego fixiora narrare incipiam, *Succos Mineralibus?* qui sunt subterraneus fluor, leviculâ tantum alteratione coalescens, saporéque aliquo, & aliâ quâpiam singulari proprietate characterizatus, Differentiam accipiunt à dissolvendi sui modo. Quidam enim sunt *liquabiles* aquâ; alii *inflammabiles* igne; alii *friabiles* in pulverem. *Liquabilis est amnis Salsugo*, in aqua diffluens, in igne diffiliens & crepitans [ostendet hoc utrumque] Ita cedet facit *Sal commune*, ubique notum; sive sit fossilicium (quod lapidescit) sive decoctum. Itemque *Alumen*, dulciter stipticum: & *vitriolum*, acriter stipticum, & *Nitrum*, subacidum: quod alà *Sal nitri*, & quando in lapidem concrevit, *Salpetræ*, vocitatur. [*Omnia* hæc *debent ostendi*] *Inflammabilis* igne est quælibet Terræ pinguedo, sive fuerit concreta sive liquida. Ut est *Sulphur*, igniem concipiens celerrimè: & *Naptha*, etiam de procul flammascens (quam *oleum vivum* vocant: sed quô nos in Europa destituimur): & *Succinum* translucidum, Ambrâque fragrantissima: & alia *Bitumina*, non unius generis.

Succi concreti friabiles in pulverem, & convertibiles in pigmenta, sunt hæc: *Arsenicum* albens (sed venenatum,) *Auripigmentum* luteum, *Sandaracha, & Cinnabaris* rubicundæ, *Stibiumque* (seu *Antimonium*) plumbeo colore nitidum. Subtiliores differentias Succorum mineralium norunt subtiliores Chimici.

ACTUS

ACTUS III. SCENA III.

Metallicus, Aurelianus, Mercurius,

Meum eſt Metallorum generationem, proprietates, differentiáſque & uſus, enarrare. *Aurel.* Dic igitur, *Metallum quid eſt.* *Met.*) Concretum aqueum duriſſimum, fundi & tundi aptum. *Aur. Quomodo generatur?* *Met.*) Et hoc nóvimus. Subterranei ignes percólant Minerales liquores multifariam: frigo áque eurſum ibidem acerrima, & per ſecula dutantia, condurant eos in tantam ſoliditatem, ut non liqueſcant niſi acerrimo igne. Quô liquefacta penitus, fundi poſſunt? emollita igne minori, tundi tantùm, hoc eſt malleo in quamcunque formam duci. Amotum verò ab igne redit ad conſiſtentiam duritiémque ſuam. Quàm ſapienter hæc ita fieri mandavit Creator! quàm varios in uſus nobis! *Aurel.* (Species Metallorum primariæ quot ſunt? *Met.*) Septem: oſtendam ſingula.

1 Ecce *Plumbum*, metallorum crudiſſimum, & molliſſimum! Ex quo arte paratur *Minium* pro picturis; & *Ceruſſa*, pro emplaſtris; Et *Lithargyrum*, pro incruſtationes fictilium. [N B. *oſtendantur hæc ſingula.*]

2 Ecce *Stannum*, excoctius, durius, nitidius! ex quo paratur ſupellex eſcaria, pátinæ, diſci, cánthari &c.

3 Ecce *Ferrum* duriſſimum, quòd tamen temporis proceſſu ferrúgine arroditur: videre [*oſtendit arroſum*] Ferrum verò ſummè depuratum, & eduratum, *Chalybs* dicitur: ex quo cultrorum acies fiunt.

4 *Cuprum* ſequitur, rubeô colore: cujus tamen ærúgo viriditatem habet amœniſſimam [Eu!] Aptum eſt Ahenis fabricandis. Sed cùm illi admiſcetur *Cadmia* terra, fit *Orichalcum*, ob ſuam friabilitatem meliùs fundi quàm tundi aptum: ex illo itaque funduntur Mortaria,

Cam-

Campánæ, Bombardæ majóres &c.

5 *Argentum* est purius omnibus istis; habet nihilominus scorias suas; & pretiosius, ideoque Nummi ex eo cudúntur, tùm Unciales hi (Thaleri dicti, & Imperiales nummi) tum alii.

6 Sexto loco *Aurum* est. *Aurel.*) Subsiste! Aurum laudare meum est! *Aurum* est purissimum omnium, præsertim obryzum: quod vel centies catillo immissum nihil substantiæ perdit, quia nihil scoriæ admistum habet. Est & durabilissimum, serens ætatem, nec sentiens rubiginem. Est ductilissimum: unicus enim Aureus nummus (notæ quantitatis) in tam tenuem & amplam lam'nam malleando diduci patitur, ut Equitem cum equo contegat. Ponderositate superat plumbum, pretiositate verò Argentum sic: ut unus ille Aureus nummus (Ducatum seu scutatum, vocant) cùm sit pondere nona tantùm Thaleri pars, pretio tamen duobus Thaleris æquipolleat. Decies igitur octies pretium Argenti excedit.

Merc.) *Argentum* denique *vivum*, admirandæ naturæ: quod liquet semper, consistit nunquam; effusum super mensam, aut vestem, dispergit se in mille guttulas, congregátque se tursum: nihil interim eorum quæ attingit humectans, aut madefaciens. Metalla cætera perródit, soli auro parcit: ideò in vasis ferreis servari nequit, sed ligneis aut figulinis. Nullum item Metallum in se ad fundum transmittit, præter Aurum: cætera supernatare cogit. Ab Homine bibitum (errore aliquando factum) innoxiè viscera perlabitur, & per posteriora subitò exit. Sed audíte: Contrario habet se modo Talcum, metallaris & ipsum naturæ; ob indomitam tamen duritatem nec liquari patitur nec malleari.

Aurel.) *Electrum* Metallis annumerabimúsne? *Merc.*) Non est naturale metallum, sed mistura quædam metallorum.

ACTus

ACTUS III. SCENA IV.

Lapidarius, Gemmarius.

Lap.) *Lapis* eſt concretum terreum, ad indiſſolubilitatem uſque induratum: non niſi tundi aptum Qui comminutus dicitur *Arena*: hæc autem craſſior, *Glarea* [Oſtendatur.]

Gem.) Genera quoque Lapidum recenſe.

Lap. (Lapis arenaceus & ſcaber dicitur *Tophus*: multicavus & ſpongioſus, *Pumex*: levis & atricolor, ſcriptoriis tabellis inſerviens, *Lapis ſciſſilis*, alius in tenuiſſimas lamellas fiſſilis, ſed vitri inſtar pellucidus, *Phengites*: uſtulandus in calcem & gypſum, *Calcarius*: inflammabilis, & exuſtilis *Bituminoſus*, ſeu *Anthracites*. [Oſtendantur cùm nominatur.]

Gem.) Nullæne amplius Lapidum ſunt differentiæ?

Lap.) Sunt omninò: recenſebo. *Silice* elidimus ignem [ſic]: *Cote* acuimus ferramenta tenuia [ecce]: *Cotiecula* probamus aurum & argentum [ecce !] *Magnete* attrahimus ferrum [ecce ! NB. Admovendus erit lapis hic aciculis, laminis, cultris, ut oſtendatur trahere.] *Hæmatite* ſiſtimus ſtillantem ſanguinem: *Smirite* (ſeu ſmyride) ſcindimus vitrum. *Saxum*, eſt lapis major humi jacens; *Saopulus* ſaxum ſubaqueum, ſive exſtet ſive lateat; *Cautes* (*Rupes*) prominet in altum: *Marmor* lapis prædurus, valdè tamen lævigabilis. Tu verò, Gemmarie, jam recenſe pretioſos, lucentes, & micantes lapillos.

Gem.) Non recenſebo ſimpliciter, ſed oſtendam ad oculum, & nominabo ſingulos. Ecce enim plenam pyxidiculam habeo Gemmarum! Hic habes *Carbunculum*, ſolem inter Gemmas, flammæ modò rutilantem. Hic Adamantem, nitidiſſimè radiantem. Hic *Hyacinthum* pur-

purpureum. Hîc *Smaragdum* viridem. Hîc *Rubinum* ſanguineum. Hîc *Sapbirum* cœruleum. Hîc *Topazium* Adamantis æmulum, ſed nonnihil flavescentem. Hîc *Iaſpidem* varii coloris, ſanguineis tamen maculis interpunctum.

Paulò ſequiores Gemmæ ſunt hæ ſequentes. *Carniolus* (olim *Sarda*) & *Granatus*, ſubrubicendi. Hic *Achates* dicitur vario colore, ut plurimùm tamen croceo. Hæc eſt *Cryſtallus*, quæ in lapidoſis antris, formâ hexagonæ ſtiriæ, naſcitur. Hi autem ſunt *Vniones* (Græci *Margaritas* vocant) qui ex marinis Conchis eximuntur. Hæc denique *Corallia* ſunt baccæ rubræ, ex ramuſculis frúticis marini petræ ſubaquææ adnaſcentis, tornati. Arbuſcula enim illa in auras protracta lapideſcit, & rubeſcit.

(*Muſica*)

ACTUS IV. SCENA I.

Rex, Plato, Apollonius, Plautius.

Rex.) Protrahi videtur actus. Annon tempus nos deficiet, ſi ſic ſermocinari permittantur?

Plat.) Hic dies actioni huic datus eſt. Moneri tamen poſſunt ut brevius agant, ſummas rerum explicando. Aut reſpondeant tantùm ad interrogata. [Interim ingredietur *Plautinus*.]

Rex.) Apolloni, Mone hunc quod monendum eſſe audiviſti.

Apoll.) Amice, Rex & ſapientum Collegium breviloquentiâ delectantur. Ne ergò ſis longus: Verba Rebus exæquare ſtude: nihil te diffundendo. Quid loqui habes? Non de Plantis?

Plaut.) Poſtquam ſubterranei Theſauri (Succis, Lapidibus, Metallis & Gemmis conſtantes) aperti ſunt coram

ram Sereniſſimo Rege noſtro, mihi mandatum eſt ea quæ rerum mater, Terra, ipſamet foras proferit, oſtendendi facere initium.

Apoll.) Fac igitur.

Plant.) Quicquid è Terra protuberat, illique radice inhærens reliquò corpore in aërem germinat, STIRPS eſt, ſeu *Planta*: quæ fibris humorem imbibens, eumque in ſuccum ſibi utilem convertens, & digerens, aleſcit, vigeſcit, vireſcit: deſtituta ſucco, langueſcit, flacceſcit, marceſcit, areſcit. [oſtendantur herbæ, virides & marcidæ.]

Plant.) Quæ ſunt Plantarum genera, aut ſpecies?

Plant.) Rudimentum Plantæ *Fungus* eſt. Utpote qui deorſum debiliter radiceſcit: ſurſum verò cauleſcit quidem, non tamen frondeſcit, ſed in maſſam orbicularem, molliculam, infernè ſtriatam, concorporatur. Quinimò *Tuber*, fungini generis infimum, ſub terra ſe continet, nec foras exturberat, nec infra ſe radicat, corticellâ tantùm ſe obtegens: unde *Callus Terræ* dicitur. Italia iis abundat, & quibusdam locis Hungaria. Delicati eſt ſaporis, odóriſque fragrantiſſimi; quò & indicio reperitur.

Apoll.) Ain? Eſtne eſui? *Plant.*) Etiam alii quidam edules ſunt: & inter hos præſtantiſſimi *Boleti*, *Capreoli*, *Ruſuli*, *Spongiolæ*, & *Piperites*, quorundam deliciæ. Alii verò ſunt virulenti & noxii, ut *Muſcarii*, *Pulverulenti*, &c.

Apoll.) Habes quid præterea? *Plant.*) Fungos eſſe dixi rudimenta Stirpium. Vera enim ſtirps habet Radicem fibratam, Stipitem corticoſum, Ramuſculos folioſos, plerumque brachiatos (Oſtendet hæc per partes.) E quibus minores, quotannis emorientes & renaſcentes, *Herbæ* nominantur: grandiores & perennantes, *Arbores*: mediæ proceritatis & durationis, *Frutices*.

Dixi, quæ dicenda habui (exhibitque.)

ACTUS IV. SCENA II.

Graminius. Oluscus. Frugius. Florus. Iatrus.

Plin.) Quinam vos estis, tantum agmen? *Gram.*) Botanici sumus, rei Herbariæ studiosi. *Erat.*) Quid de herbis narratis?

Gram.) Herba nititur caule suo, simplici vel multiplici: unde unicaulis vel multicaulis dicitur.

Plin.) Quomodo aliàs dividuntur? *Gram.*) In *Alimentarias, Coronarias, & Medicamentarias.*

Plin.) Quæ sunt Alimentariæ? *Gram.*) Quas ésitant Animalia, aut Homines. Ut sunt, primò, spontè nascens *Gramen*, viridans solùm, non sementans: deinde sativæ herbæ, *Olera & Fruges*, ferentes florem & semen.

Plin.) Gramen quid est? *Gram.*) Vide pecoram pabulum, variis herbis constans. Inter quas sunt *Muscus* (rudimentum ferè Graminis, oppilandis rimis aptum:) *Centinodium*, juxta vias humi serpens; *Trifolium*; optimum Vaccis dans pastum; [ostendantur omnia, recens evulsa.] *Carex*, acie suâ fœnisecis molesta; & aliæ infinitæ.

De Oleribus narra tu, Oluscе.

Olus,) Olera nocis comesturam præbent aut *Folia*, aut *Redices*, aut *Fructus* oleraceos.

Plin.) Ostende singula. *Olus.*) *Folia* præbent, *Lactuca*, *Atriplex*, & aliæ. Inprimis verò *Brassica*: quæ priùs sata, post transplantata, fit capitata: succrescens verò in caulem altiorem, & folia extenta, dicitur *Crambe*. Sed *Asparagus* loco foliorum dat thyrsos; *Scolymus* capitella. (Ecce!) Radices suppeditant aliæ solidas, aliæ bulbosas. Solidas, *Rapum*, *Napus*, *Raphanus*, quæ albent; *Pastinaca*, quæ pallet; *Siser*, quod flavet: *Beta*, quæ *Rubet*. (ecce!) *At* bulbosas radices dant, *Cæpe*, *Allium*, *porrus*: resolvi-

reſolvitúrque bulbus Cepæ in túnicas (ecce !) bulbulu verò Allii, & Porri, nucleos (videte !)

Fructus oleracei ſunt ferè cylindraceâ formâ, *Cucumeres*, *Melones*, *Pepones*, & maxima in hoc genere *Cucurbita*. Fragaria dat baccas, *Fraga*. Tu *Frugi*, expone Fruges.

Frug.) Exponam, auribus & oculis Veſtris. *Fruges* ſunt herbæ altiores, ferentes *Grana* : ſpicatæ quidem in Spicis, ut *Siligo*, *Triticum*, *Hordeum* &c. paniculatæ in *Paniculis*, *Milium*, *Pánicum*, *Fagopyrum* : ſiliquatæ in *ſiliquis*, ut *Faba*, *Piſum*, *Ervum*, *Phaſeolus*, *Vica*, *Lens*, *Cicer*. Spicatæ & paniculatæ; ut *Avena*, *Oryza*, dicuntur *Frumenta* : ſiliquata, *Legumina*. Frumenta videte quàm ſe in culmum geniculis interſtinctum erigunt ! Legumina verò dabunt ſcapum debiliorem, tametſi etiam geniculatum. *Spica* fovet grana glumis (en !) *Siliqua* vá'vulis (en !) Panicula complectitur granula ſua faſceatim. Frugum add.tamenta ſunt, *Linum*, *Cannabis*, *Urtica* : ſemina quidem etiam ferentes, potiſſimùm tamen flamine (unde Lintea parantur) ſeſe commendantes.

Plin.) De Condimentariis herbis nemóne dicit ?

Oluſ.) Ad Eſcarias pertinent. Dant enim conditioni aut folia, ut *Acetóſa*, *Endivum*, *Naſturtium &c.* unde acetaria conficiuntur, & intinctus : aut flores, ut *Crocus* : aut granula, ut *Sinápis*, *Cuminum*, *Anéthum*, *Aniſum*, *Fœniculum*, *Coriandrum* : aut denique radices, ut *Raphanus major*, *Calamus aromaticus*, *Galanga*, *Zedoaria*, *Zingiber ſeu Zinziber*.

Plin.) Sic habuimus herbas Alimentarias : quis jam Coronarias oſtendet ?

Florus) Mihi hoc liceat. Coronariæ herbulæ ſunt floridæ & odoratæ. Ut *Viola*, *Roſa*, *Pœonia*, *Cariophillum*, *Amarácus* (*Majorana*) Lilium, *Tulipa &c.* E quibus vient, pro olfactoriis, *ſervias* manu tenendas; aut imponenda Capiti *ſerta*, ſeu *Corollas ſi ſic*). *Tinctorias* his annumerare licet, *Rubiam*, quâ rubefiunt panni : & *Iſetidem* ſeu *Glaſtum*, unde paratur *Indicum*, quo

panni cærulei fiunt. [En hîc sunt! Panni saltem ita Colorati.

Plin.) Medicamentosas tûne ultimò narrabis?

Iatrus.) Medicandi vim omnes habent Herbæ, nullâ exceptâ. Speciatim verò sic nominantur, quæ insigniter naturam afficiunt; Ut alvum solventes, *Aloë*, *Sene*, *Helleborum* (Latinè *Veratrum*) *Rhabarbarum &c.* aut rursum sistentes, ut *Plantago &c.*

Sunt autem medicamentosæ quædam hortenses, ut *Hyssopus*, *Levisticum*, *Mentha*, *&c.* aliæ sylvestres, *Angelica*, *Lilium convallium*, *Scolopendrium* &c. Cæteræ ferè Campestres, *Betonica*, *Centaurium*, *Cichorium*, *Enula*, *Melissa &c.* *Aconitum*, *Cicúta*, *Napellus*, venenatæ sunt, incautè sumentem perimunt. Sed & *Opium*, quod est succus ex vulnerato capite Papaveris nigri destillans; habens vim soporandi, stupefaciendi, nimièque sumptum enecandi.

Plin.] Nihílne restat de herbis?

Florus.] Domine, Sunt Herbæ quæ aquis innascuntur, & supérnatant: ut *Alga marina*, *Lens palustris*, *Tribulus aquaticus*. Sed *Spongia* (ecce quàm fistulosæ est substantiæ!) supernáta subaquèis saxis, etiam inde exempta bibula est: quia adsvevit: Ecce quomodo aquam sorbet!

Plin.] Rectè rem herbariam per classes digessistis. Redite ad Botanicas speculationes vestras.

ACTUS IV. SCENA III.

Thamnius, & Hylémus (à Frutice dicti, qui Græcis Θάμνος, *&* ὕλημα,

Tham.] Stirps ligneſcens, & multiplici caudice frúticans, appellatur *Frutex*: quorum notiores in terra patria nostra referam, & ostendam. *Corylus* fert nuces avellanas: *Prunellus* pruna sylvestria: *Sambúcus*, baccas sambuceas: *Paliurus*, baccas paliúri: *Rosa*, rosas: *Canirubus*

bus agreſtes roſas, & poſtea baccas Cynósbati, ampullacea forma, rubentiſſimas (Ecce!) *Vinifera vitis* profert vinaceas uvas: *Spiniſera vitis* (nota hortis Magnatum) ſpinas (ſeu *creſpinas*) Uvas: *Ribes* dat S. Johannis baccas: *Rubus* (ſeu *Humirubus*, ſerpit enim humi) dat Mora rubi nigra: *Rubus Idæus*, ſurſum ſe erigens, mora Rubi Idæi, rubea. Plauſtres iſti etiam ſunt fruticóſi, *Juncus* palmipedalis: *Scirpus* (*Caunam* etiam vocant) tricubitalis, generans in ſummitate (ecce!) typham! ex quo cùm ſit enodis & mollicellus (videt., nullum habet nodum ſcirpus! & flectitur) texunt Scirpeas & Canistra, & Matras (*oſtendantur ſingula.*) Hæc autem *Arundo* ecce lignoſa eſt, & nodoſa.

Stirps autem frutice minor, & herbâ major, *Suffrutex* vocatur: ut *Ruſcus* et, reliqui Cardui. Itemque *Ebulus*, *Erica*, *Nardus*, *Lavendula*, *Ruta*, *Salvia*; *Roſmarinus*, *Abſynthium*, *Artemiſia*, *& Myrtillus* ferens rubra & nigra myrtilal, ſeu *Vaccinia*, *&c.* Hi frutices & ſuffrútices mihi noti ſunt.

Hylemus.] At mihi non ignoti exotici etiam: quos ſi non poſſum offerre ipſoſmet, adferam pictúras. Ecce *Oxiacantha*, ferens *Berberes*! Ecce *Capparis*, ferens cappares! En *Ceratonia*, dans dulces ſiliquas! En *Cinnamomum*, frúticem & lignum odoriferum cibis & medicinæ præbens. Ecce *Balſamum*, odoratiſſimam Arbuſculam; quæ inciſa vitreis oſſeiſve cultellis (nam ferro inciſatur emoritur) eliquat *Opobalſamum*, ſuccum auro pretioſiorem. Ecce *Goſſipium*, ferentem quiddam non abſimile Nuci! quæ dehiſcens, detegit circa nucleos glomum Lanæ inculcatum: quem redordíri, & inde conficere goſſipina Lina, muliebris labor eſt. Sed tu amice (hæc converſus ad *Thamnium*) nondum recenſuiſti omnes frútices nobis hîc notas.

Tham.] Quid adeò deeſt? *Hyl.* [Glycyrrhizam omiſiſti, quæ mellitam habet radiculum. Et *Hederam* muros & arbores ſcandentem, eáſque exedentem; & fortè alia.

Tham.] Neque tu omnia exotica recenſu iſti, & quis errarem

enarraret omnia, in quibus Natura ludit? Sufficit non ignorare primaria. *Hyl.*] Esto.

[*Exibunt.*]

ACTUS IV. SCENA IV.

Dendrólogus, Pomónus, Sylvánus.

[Δενδρον, *Arbor* Δενδρόλογος, *Arborum, enarrator. Pomóna Gentilibus fuit Dea pomariorum praeses: Sylvánus, Sylvarum habitator.*]

Dendr.] Strips altùm excrescens, & è stipite robustos ramos pangens, obtegénsque se frondibus, *Arbor* est, circumtecta *Cortice:* sub quo ecce *Liber* est! & *Alburnum!* & ligni *pulpa!* tandémque in penitissima pulpa spectate *medullam:* (ecce!) Lignum verò ipsum quædam habent interveniis distinctum, adeoque *fissile:* ut *Abies, Tilia* &c. ecce! (findatur:) aliæ tentum & flexile: ut ecce *Betula!* (flectatur:) aliæ rigidum & frágile, ut ecce *Alnus: Pyrus &c.* (frangatur.) Id quod sapienter sic dispensavit Deus. pro vario usu nostro. Folia verò omnibus sunt venosa (ostendatur) multis lanuginosa (itidem:) plerisque per ambitum crenata (ecce) Decidunt sub hiemem, regerminant vere; præterquam gummosis. Abieti, Buxo, Taxo, & aliis, quæ semper virent. Dic verò tu, *Pomone*, quomodo Arbores differunt secundùm fructum, quem ferunt,

Pom.] Arbores sunt vel *Pomíferæ*, vel *Nuciferæ*, vel *Bacciferæ*, vel *Aromatiferæ*: vel *Resinosæ*,

Dendr.] Recense illas ordine. *Pom.*) Pomiferæ sunt notissimæ fructiferarum, habentes fructum pulposum, extrinsecus molli corticellâ intectum, intus verò granatum vel

osficu-

officulatum. Granata poma ſunt hæc ſequentia: *Ficus*, *Pirum*, *Malum*, cujus varia ſunt apud nos genera; in calidis verò regionibus etiam creſcunt *Aurea*, *Citria*, *Punica*; nobis item notum *Cydonium*, (ecce!) *Meſpilum* & *Sorbum*. Officulata poma ſunt, *Ceraſa*, & *Pruna*, varii generis: item *Perſicum Armeniacum*, *Oliva*, *Cornum*.

Dendr.] Quænam ſunt Nuciferæ? *Pom.*] Quarum fructus duro ſub cortice occultat nucleum, putamini incluſum: ut *Juglans*, *Amygdalus*, *Caſtanea* (oſtendantur hi fructus.) Sed *Palma* fert *Dactylos*, *Abies* Strobilos, *Quercus* Gallas, *Suber* & *Ilex* Glandes; *Fagus* Glandes fagi nas.

Dend.] Bacciferas oſtende! *Pom.*] Sic dicuntur, quæ baccas molliores racematim creſcentes ferunt, ut ecce *Morus*, *Laurus*, *Sorbus ſylveſtris*, &c.

Dendr.] Aromatiferas oſtende. *Pom.*) Non poſſum: quia non apud nos, ſed in India creſcunt, nobiſque ut ignotæ, ſic innominatæ ſunt. Nempe progignunt *Piper*, *Caryophilla*, *Nuces myriſticas* (ſeu Moſchatas) mácidi incluſas, alioſque odoriferos fructus, è quibus ciborum conditúras paramus.

Dendr.) Quæ ſunt *reſinoſæ*? *Pom.*) Notiſſimæ ſunt *Pinus*, & *Picea*: è quibus exſtillat *Reſina*, ex hac autem eliquatur *Pix*, tandemque *Axungia*. Dehinc eſt *Lentiſcus*, ex qua colligátur *Maſtiche*: & *Terebinthus*, è qua fluit *Terebinthina*. Arbores item quæ *Myrrham*, *Thus*, *Camphoram*, cæteràque Gummi exſudunt.

Dendr.) Quomodo verò fructificant Arbores? *Pom.*) Verno tempore quilibet Surculus gemmat, tum Gemma hians protrudit florem. (Sola Ficus non præmittit florem, ſed protrudit groſſulum: in Corylo verò florem præcedit *Iulus*, mox autumnô.) Tandem decidente flore prodit Fructus petiolò penſilis, minútus primò: ſed creſcit donec matureſcat.

Dendr.] Tu verò, Sylvane, ſemperne tacebis? Dic aliquid de Sylva tua.

Syl.] *Sylva* eſt Arboretum frequens : quam amœnè viridicatam *Nemus* dicimus ; denſam & inviam *Saltum* ; diſraratam & intercîſam, recreſcentemque *Sylvam cæduam* : opacam & incæduam, *Lucum* : ſpeciatim autem *Quercetum*, *Pinetum*, *Betulletum*, *Salictum &c.*

Dendr.] Nihilne habes præterea ? *Syl.*] Nihil niſi quod graminum & arborum amænitate, aviumque concentu, feſtiva loca, *Tempe* dicantur : ſaltuoſa viciſſim, ſalebroſa, ſaxis & vepretis hiſpida, eoque impervia & triſtia, *Teſquorum* nomen habent.

Dendr.] At ego te de uſu *ſterilium Arborum* diſſerere velim, cur datæ ſint.

Syl.] Nihil ſine uſu. Quædam ſterilium factæ ſunt latifoliæ, & dehinc umbriferæ, opacantes viteſa, magnô hominum & animalium commodò : ut *Tilia*, *Platanus*, *Acer*, *Fráxinus*, *Ulmus &c.* (frondes ſingularum oſtendit.) Deſectæ vero Arbores ſteriles, aliæ miniſtrant pabulum foco : ut *Alnus*, *Betula*, *Fagus*, *Ornus*, *Pópulus alba*, *Pópulus nigra* : aliæ materiam ædificiis, ut *Quercus*, *Pinus*, *Larix*, *Cedrus*, *&c.* Laudate Dominum montes & colles ! Arbores fructiferæ, omnésque Cedri. (Pſal. 148. 9.)

(*Muſica.*)

ACTUS V. SCENA I.

Zoógraphus, *Cochlèus*, *Vermilius*, *Serpilius*.

[Ferentes ſecum Animalcula quæ enarrabunt : ſeu viva, ſeu picta, Conchas, Vermes, Serpentes.]

Zoógraphus.] Mirabilis ubíque in creaturis ſuis Deus, maximè tamen in corporibus illis automatis ; quæ *vi â*, *ſenſu*, *& liberó motu prædita*, der ſemetipſa huc illuc ie trans-

transferunt *Animali* vocamus: quæ vitam accipiunt naſcendo, continuant nutricando, propagant ſui ſimile: generando, ideóque ſexu diſcréta ſunt, in maſculos & femellas, Senſum potiſſimùm exercent alimenti causâ: quicquid ſe offert videndo, audiendo, olfaciendo, guſtando, palpando, & ſic rem à re dignoſcendo. *Motum* verò adhibent (ad proſequendum bonum, & fugiendum malum) Alta *volando*, Pinnata *natando*, Pedata *gradiendo*. Si quando ſe non movet Animal, tùm aut *cubat*, proſtratis membris; aut *ſedet*, ſubſtratis inferioribus, arrectis ſuperioribus, aut *ſtat* totum erectum, per pedes ſuos ſeſe æquilibrans, aut fulcimento alicui innitens. Sunt tamen Animalcula quædam, quæ ſeſe *palpitando* duntaxat promovent, aut *rependo*, aut *ſerpendo*: cùm ſint animalis generis veluti rudimenta, ut *Conchæ*, *Vermiculi*, *Serpentes*. De quibus Vos differtate, amici.

Conch.) Ego de Concha dicam, quæ eſt animal aquatile, conchis teſtaceis duobus incluſum, illísque carne exſangui & viſcosâ arctiſſimè adhærens, & ſeſe ſub aquis levi quâdam palpitatione loco dimovens. Harum aprimæ ſunt marinæ, trini generis. Primò, *Oſtrea* ſuculenta, grati ſaporis, eóque pretii magni. Sed majoris longè *Concha margaritifera*, in qua naſcuntur pretioſi *uniones*, & *Purpura*, purpureum evomens ſuccum. In ſicco vivuunt tardigrada *Cochlea*, teſtaceam ſuam ſecum circumferens domunculam: & ſimilis huic, ſed ſine teſta, *Limax*. Putantur hæc & illa carere oculis: ſed habent cornícula, quibus præeuntant iter.

Verm.] Mihi Vermilio de Vermibus facere verba placet, qui non æquè factura manûs Dei, atque noſtris: quippe ôquè factura monûs Dei, atque cætera omnia. Imò altiorem ſublimitatis gradum præ Auro, Gemmis, Stellis, evecta: utpote vitâ, ſenſu motúque libero (quibus iſta carent) donata. Sunt autem Vermes animalcula pedibus & alis deſtituta, motum tamen onvolutione & evolutione corpuſculi abſolventia, quod *Repere* vocamus. Ex quarum rerum pinguedine gignuntur (h. e. unde

materiam & vitam primò accipiunt) ex iiſdem nutrimentum quærendo eaſdem eradunt : *Acari* ceram, *Tarmites* carnem, *Tineæ* veſtes, *Blattæ* libros, *Teredines* (*Coſſi*) ligna, *Lumbrici* uvidam terram, *Volvones* vitem, *Curculiones* frumenta. *Erucæ* plantas, *Bombyces* Mori folia &c. Expeditiora verò ſunt *Inſecta* quibus dati pedioli : ut ſunt *Pediculus* (ſeu Pedunculus) Lendium progenitor : *Pulex* ſaltator : *Ricinus* canibus infeſtus : *Cimex*, parietum & cubilium (maximè abiegnorum) graveolens perreptator. Et *Oniſcus*, humeſcentibus adhærens muris. Et *Scolopendra*, à pedum multitudine Centipes (& Millepeda) dicta. *Formicæ* denique circa victum comportandum ſemper actuoſæ : & *Aranea*, tenuiſſima nectentes aranea, per quæ inſidientur Muſcis.

Serp. EGo generi humano inimica, ad exercitum Dei Exercituum ſpectantia (quibus Ille peccati Hominem admonet, aut etiam peccata ejus punit) referam, Venenata ſerpentum genera : qui longum adepti corpus, arcuatâ ejus & volubili ſinuatione ſerpent. Ut ſunt, *Anguis* communis, *Colúber* ſylvaticus, *Natrix* aquatica, *Aſpis* venenoſiſſima ; *Iaculus*, ex arbore in obvios ſeſe vibrans : & *Vipera*, ſola ex anguíno genere cátulos vivos pariens : (cætera enim Ovípara ſunt.) *Amphisbæna* item porrò gradiens : & *Baſiliſcus* tam nocivus, ut ſolô viſu necet. *Draco* denique, alatus ſerpens.

Serpentibus annumerari ſolent, tametſi grèſſiles : *Lacerta*, lacertoſis pedibus ; & *Seps*, illi conſimilis, ſed minor ; & *Stellio*, maculis aureis picturatus ; & *Salamandra* tam frigida, ut exſtinguat ignem. *Scorpio* denique, flexuoſâ caudâ lethiferos infligens ictus. Habet ecce in minimis etiam quod metuat Creatoris iram Homo [O reſipiſcat !

ACTUS

ACTUS V. SCENA II.

Aquátus. Natantius. Piſcenus.

Aqu.] Aquarum incolas luſtramini ſiſtere noſtrum eſt. Inter eos notiſſimi ſunt *Piſces*, pedum locò habentes *pinnas*, quarum remigio nâtitant : locò autem colli *branchias*; quibus lympham ore immiſſam emittunt, & ſic veluti reſpirant.

Natant.] Obſervandum eſt, habere intus *Veſicam* aëre turgidam, ad ſeſe allevandum, & faciliùs fluitandum, quæ ſi rumpitur, perit ad nandum habilitas. Quando verò ſe creſcere & corpore gravari ſentiunt, proſiliunt aquâ & hauriunt aërem, ut ſtanti ad ripam fluminis tranquilli quotidie obſervare licet.

Piſcen.] Nec ignorandum, pleróſque piſces eſſe ſquamoſos : atque in his fœmellas habere *ova*, maſculos *lactes*. Alii ſunt glabri, lúbrici, oblongi : ut *Anguilla*, *Congèr*, *Muræna*, *Lampetra*, *Muſtela*, *fluviatiles* & reliqui de Anguino genere. Quomodo aliàs Piſces dividuntur ? dic tu, Aquáge.

Aqu.] In fluviaticos, lacuſtres, & piſcinales, ac marínos. De fluviaticis quid obſervas, dic tu, ipſe Piſcine.

Piſc.] Inter fluviaticos maximæ corpulentiæ ſunt : *Silúrus* bucculentus : *Acipenſer* mucronatus ; & *Huſo* totus cartilagineus, grandeſcens uſque ad longitudinem viginti quatuor pedum, Minima contrà eſt *Apua* (avenacei grani non multum excedens menſúram :) tùm *Cobitis aculeáta*, *Cobitis barbatula* (aliàs *Fundulus*, delicatus piſciculus) & *Gobius* ſeu *Cobius*.) Dehinc *Alburnus*, *Perca fluviatilis*, *Trutta* (aureis guttis picturatus piſcis) & amicus illi *Thymallus*, *Barbus* item, ſeu *Mullus* & *Mugil*, *&c.* Lacuſtres & Marínos recenſe tu Natanti. *Natan.*) Perge abſolvere piſces. *Piſc.*) Eſto, ſi ita placet. *Lacuſtres*

custres ac Piscinales primarii sunt, *Lucius* (seu *Lupus* piscis) *Carpio* (seu *Cprinus*) & *Cyprinus latus* : *Tinca* item, & *Coracinus*, & *Perca*: *Pelágici* verò sunt : *Haleces*, quæ nobis salitæ afferuntur, in tinis : & *Passeres marini*, qui afferuntur arefacti, sole tosti : sicut & *Asellus*, qui usui non est nisi contúsus; *Salmo*, generosissimus piscis, adduos cubitos excrescens, gaudet exire in flumina, in quibus & capitur. *Rasa*, monstrosus est piscis, in planum rotundus, pinnis orbem expansis. Sunt & quidam volatici pisces. Habetis piscium genera notiora. Præter verò pisces, quid animalium habent Aquæ, dic tu, *Aquáte*.

Aqu.] Belluas marínas, seu *Cetos* : & *Aquatilia mollia*, & *Cancros*, & *Infecta*, *Pisc.*) De Cetis differta primùm. *Aqua.*) Omnes Pisces sunt ovipari, sed Ceti vivípari. Quorum quinque aut sex genera nota sunt maribus nostris. Nempe *Phoca*, seu *Bos marinus*, tres vel quatuor nostros æquans boves, iners & ignavus. Tum *Delphin*, volacissimus animalium, ocyor vólucre. Et *Delphino* paulò minor, atque rotundior, *Orca* : & ad ducentos cubitos longus *Physeter*, per fistulam capitis aquam sursum ejaculans, Tandemque *Balæna*, quam scribunt reperiri trecentarum ulnarum : habet tamen hostem *Xiphiam*, qui assultans acutissimo suo rostro (ad duos trésque cubitos porrecto, & gladii instar mucronatio) illam láncinat, lániat, conficit tandem. *Mollia* verò *aquatilia* quid sunt ? dic, *Natanti*.

Nat.] Quæ nec sanguinem habent, nec spinas. Aliàs vocant *Araneas marinas*, à similitudine longissimorum pedum, in orbem extensorum. Qualis est *Polypus*, octo brachiis prælongis metuéndus (amplectitur enim, si potest, Hominem, & conficit :) tum *Loligo* (seu *Sepia*) emittens atramentalem succum, ne à piscatore videri & capi possit : & similia. De cancris quid habes, *Aquate* ?

Aqu.] Sunt Natatilia crustata, cervíce nervosâ, pedibus dénis, binísque chelis (id est forficulis, quas manuum loco habent, iisque prehendunt, stringunt, scindunt)

dunt) instructa. Horum maximi dicuntur *Gammari* & *Astaci*, bicubitales: rotundi *Carabi*; minutul *Squillæ*. Omnes vere crustam veterem exuunt (sicuti serpentes pellem) novámque induunt, ut crescere queant. Insecta verò hujus Elementi sunne aliqua, Natanti?

Nat.] Sunt: tria dicam primæ notæ. *Hirúdo*, est vermis ater, affligens se cuti nudipedis, exugénsque linguâ bisulca sanguinem. *Tripula* habet aranææ formam, super aquam stans, aut cursans tantâ levitate ut non fidat. *Seta* denique *aquatica*, lumbrícus est, crassitie equinum crinem non excedens. Magnus ubique, etiam in minimis, Creator omnium!

ACTUS V. SCENA III.

Avinus: Volanicus: Potémus [*πτηνός, alatus, volucer.*]

Aqua.] Quantò subtilioris essentiæ præ Aqua est Aër, tanto sublimioris naturæ aquatilibus sunt Animantes aëriæ, quæ alarum & caudæ vibratu volant quò volunt: Omnes sunt pennatæ, plumatæ, rostratæ: excepto *Vespertilione*, qui pilosus & dentatus est, alásque habet membranaceas. Omnes item sunt bipedes (etiam *Manucodiata*, quam esse apodem falsò perhibent:) sed grandiores ambulant sclummodò; minóres saltitant tantummodò; mediocres & incessu utuntur & saltatu. Cibaria petunt rostro, referciúntque ingluviem: & quamvis pitissent, nulla tamen minget, omni humiditate in vapores, quibus humectandæ sunt plumæ, perpetuò, abeunte.

Nidificant communiter in locis homini inaccessis, securitatis causâ: (mirum est, si verum, *Halcyonem*, seu *Halcedonem* aviculam, in ipso pelago nidum struere, tranquillitum æquore: unde tranquilli dies *Halcedonia* vocantur. (Structo nido pariunt Ova, quibus postea incubando

cubando excludunt implúmes pullos ; qui quamdiu pipiunt, Pipiones vocantur. Et notandum eſt, ex albumine ovi formari aviculæ corpoſculum ; Vitellum autem illi eſſe loco alimenti, quamdiu intra teſtam vivit pullus : qui deficiente ſibi hoc nutrimento teſtam areſcentem fódicat, perrumpit, erumpit, cibúmque à parentibus accipit, aut ipſe mox circa ſe quærit. Mira naturæ induſtria ! Sed *Volucrum genera*, ipſi jam recenſéte ! ut ne mihi objicere queatis quod Æſopus conſervo, omnia ſólum ſcire voluiſſe, ſibi reliquiſſe nihil.

Vol.] Ne metuas ! non adeò erimus invidi, tametſi omnia ſcias & eloquaris. Eſto tamen, & noſtræ partes ſint hîc aliquæ. Aves avibus ſi comparamus per oppoſitas uſq; qualitates : erit *Struthio* alitum maximus, ob vaſtitatem corporis (æquat enim Bovem ferè) haùd ſúbvolans, alarum tamen vibrátu curſum perniciter urgens : minimus autem *Regulus*, ſepimentorum foramina pervolitare gaudens. *Aquila* eſt generoſiſſima, abſq; nictatione ſolem intuens, *Avium Rex* dicta : deſpicatiſſima rurſus *upupa*, criſtata quidem, fœda tamen, quippe ſtercoribus victitans. *Pavo* formoſiſſima eſt volucrum, ſpecioſam ſuam caudam ſubinde rotans, & ſuperbiens : deformiſſima verò *Noctua*, cum reliquis nocturnis lucífugis ; *Bubone* ominoſo, *Aſióne* auríto, *Ulula* flebili, *Alucóne* feráli. Cæteræ Aves ſunt nobis Vernáculæ vel Advenæ, Campeſtres vel ſylveſtres, aut Aquaticæ. Quarum ſpecies placétne perſequi, *Poténe*?

Potèn.] Si me quoque non eſſe mutum vultis, experiar. Vernáculæ ſunt quæ nobiſcum in ædificiis habitant, & ſimeta ferè ruſpantur. Qualis eſt *Gallus*, certis horis cántitans (eoque ruſticis Horologii vicem præſtans) & in ſuo ſterquilinio criſtam erigens & cucuriens, cum graecillantibus *Gallinis*, & tota gallinacea pullitie. Dehinc *Gallopavo* (Gallus Indicus) gerens in capite carnoſam vittam, & ſub roſtro paleam, irato valdè rubentem, cum ſua *Meleagride*. Tum Columbus cum Columba ; pulchelli, ſi plumipedes. Domeſticis anumeramus, quæ

circa

circa ædes habitare gaudent, tametſi nullo uſui noſtro quem ſciamus: ut *Hirundines*, Veris nunciatrices, & *Paſſeres* ſaláces: *Monedulas* item, *Cornices*, *Picas*, & in Turribus nidificantes *Tinnúnculos*.

Vol.] Cur Anſeres & Anates ſilentiô tranſis? Nónne quoque domeſticæ ſunt?

Pot.] Sanè: Sed eas Aquaticarum gregi reſervatas volebam.

Vol.] Perinde fuerit. Quas autem vocas *Aves advenas*?

Pot.] Quæ hiemandi nobiſcum tædiô in regiones cálidas ávolant, rurſumque vere redeunt: ut *Ciconiæ*, ſpineos ſibi nidos ſuper ædificia, dum æſtatem nobiſcum agunt, exſtruentes. Et *Ardeæ*, his paulò minores, collo tortili. Et *Grues*, admodum congruè abvolantes: nempe cuneatim, unâ prævolante. *Anſeres* item *feri*, *&c.* Notabile admodum, *Hirundines*, *Cotúrnices*, & alias quaſdam, non avolare à nobis peregrè: ſed ſe abdere tantúm in arborum vel rupium cava, aut ſubmergere aquis, & obrigeſcere: donec tempore verno reſuſcitatæ àvolent, & ſe nobis reddant.

Vol.] Verúmne hoc?

Pot.] Veriſſimum, experientiâ multâ probatum: in teſtimonium, Deum eſſe qui omnibus à ſe creatis vitam & indere & admere poteſt. Tu verò, *Avine*, jámne tibi ſilentium indixiſti?

Av.] Minime gentium. De Avibus agimus, creatúra vocali, mutos eſſe nos non convenit; ſed veſtri me oblectant diſcurſus.

Pot.] Veniemus mox ad Cantrices aves, quæ nos exemplô ſuo ad laudes Dei excitabunt. Tu interim recenſe Campeſtres.

Av.] Campeſtrium prima ſit *Alauda*, primô vere in aëre ſe vibrans, & cantillatione multâ Deum laudans: cui ſimilis eſt *Caſſia* cirrata. Tum *Coturnix* caudâ curtâ: ideóque parum volitans, & cum vociferatione. *Perdix* corturnice major, palato gratiſſima. Et prægrandis,

anſere

Anſere major, *Tarda*, ſeu *Biſtarda*, à tardo volatu ſic dicta: quam non omnes Terræ habent.

Silveſtres quomodo dividis, *Volanti? Vol.*) Diſpeſco eas in majores, minores, & minimas. Majores ſunt, *Terraones* ſurdi (ſeu *uro-galli*:) & *Phaſiani*, gallinæ ſylveſtres picturatiſſimæ: & *Attagènes* ſapidi (Perdices montanæ:) & *Columbiſeri* duorum generum: majores dicti *Palumbes*, torquati; & minóres pede rubido, *Liviæ*, *Cuculus* item, qui ſe prodit cuculando: caſtúſque *Turtur*. Minores ſylveſtres paſtu diſtinguimus. *Ficedula* enim veſcitur ficubus; *Merops* apibus; *Rubécula* muſcis; *Curruca* vermiculis; *Picus* arbores roſtrando, delitentéſque beſtiolas extrahendo, iiſdem; *Turdus* baccis juniperinis, unde nobis carne ſuâ ſapidiſſimum ſaluberri múmque præbet paſtum. Minimæ ſunt Cantrices; ut *Luſcinia*, ſuaviſſima modulatrix; hujúſque æmula, etiam frigore frinniens *Fringilla* & parum minuriens *Parus*: & flaveſcens collo *Galbula*: & victitantes ſeminibus aviculæ, *Luteola* papaveris, *Linaria* lini, *Carduelis* cardui, &c.

Sed & vocalibus addendæ ſunt illæ majores. *Sturni*, *Mérulæ*, & ex tranſmarínis *Pſittaci*, articulatam noſtram vocem ac ſermonem imitari conſueſcunt, *Vanellus* pulchrè criſtatus, ſed ingratè clamoſus, campis gaudet. Rapaces enúmera tu, *Potens*!

Pot.] Rapáces ſunt Carnívoræ, & ſolívagæ, quæ campos & ſylvas pervolitando prædantur, hoc eſt, alias aves perſequuntur, uncíſque unguibus & roſtro dilaniat, ac dévorant. Ut ſunt, *Accipiter* quem aiunt reſupinatum reſtà cœlum verſus evolare poſſe,) cum congeneribus ſibi, *Niſo* fringillario, *Falcone* bellè oculato, *Buteone* ignavo. *Milvus* item (ſeu *Milvinus*) pullaſtrorum raptor: & *Vultur*, ſolis morticinis paſcens, ſicut & *corpus*. Aquaticas percenſe tu, *Avine*!

Avin.) Aquaticæ omnes palmipedes, natandi causâ: quemadmodum videre eſt in Anſere & Anate. Sicut & acanthidiſſimo *Olore*; & in ſaturabili ingluvie *Onocra-*

talo

lato (cui mox ſub ipſo roſtro ingluvies, ſacci inſtar, pendet, quo magnos etiam piſces déglutit:) & in latiſſimi roſtri *Pelicano*: boviſque inſtar in Arundinétis mugiente *Bautione*; & in ſemper nanaute *Querquedula*, crebroque urinante *Mergo* & *Fúlica*, Sunt & piſcivoræ non palmípedes, ideoque Aquis non innatantes, ſed eas tantùm circumvolantes: *Ardea*, *Ciconia*, *Gavia* piſcatrix, *Motacilla* caudam indefeſsè motitans. Claude tu, *Volanti*, doctrinam de volatilibus, inſtructo ex *Inſectis volantibus* exerciru.

Vol.) Eſt profectò (hîc etiam non contemnendus DEI Exercitus armatus, malorum in pœnam varié, aculeis, roſtris, dentibus, cornibúſque. *Apes* enim, *Veſpæ*, *Crabrones*, &c. aculeati ſunt: *Muſcæ*, *Culices*, *Tabani*, *Aſili*, roſtrati: *Cicádæ*, *Licuſtæ*, *Grylli*, *Papiliones*, dentati: *Eruchi & Scarabei* quidam cornuti: & longum eſſet omnes illorum dotes, aut vires, recitare. *Apes*, mellis conditrices, hoc artificii ſciunt quod hominum nemo: tantúmque conficiunt ſingulos in annos Mellis ut ſi comportari eſſet poſſibile, rivi fluerent, amnium inſtar. Quantum hos in nos Dei, per hunc puſillarum avicularum exercitum, beneficium? quanta rurſum clades ſi quando *Locuſtæ* ſegetum populatrices, denſiſſimis agminibus immiſti? quàm citò ſic meſſem ante meſſem peragit? quantâ fame integras Gentes afflixit? ſi quis neſcit, legat Joëlem Propheram.

ACTUS V. *S*CENA. IV.

Quadrimus. Ctenius. Eereus. Amphiſtenes.

Qu.) Solidiſſimum inter Elementa Terra eſt, ſolidiſſimæ compacturæ animantes terrenæ ſunt, *Quadrupedæ*: quæ in *manſueta*, *ferocia*, & *amphibia*, dividimus. *Manſueta* ſunt, ſub Hominum cura viventia, *Pecora* & *Jumenta*. *Ferociæ* ſunt, feræ hominem refugientes, per

loca

loca latebrosa sese abdentes, & pastum ipsamet sibi quærentes. *Amphibia* sunt Terram pariter & Aquam incolentia quadrupeda. Quæ omnia fœtum vivum progénerant, lacteque uberum alunt: grandiora unicum, & rariùs: minutiora numerosum, frequentiùs. Pro integumento habent vel *Pilos*, ut *Lepus*, vel *villos*, ut Ursus; *Lanam*, ut Ovis; vel *Setas*, ut Sus l vel *Squámas*, ut Rhinoceros. Pedes autem vel digitatos, *unguibus* armatos, ut Canis; vel *ungulatos*. Et quidem *ungulâ vel solidâ*, ut Equus; vel *bisidâ*, ut Bos. Quædam sunt cornúta, carentque superioribus dentibus, quia horum materia transit in cornua. Idcirco cibum rúminant, hoc est deglutitum semel ex ventriculo primo in os retrahunt, denuoq; masticant, totâ nocte. Habent enim (melioris digestionis causâ (Ventriculos quatuor contiguos *Rumen*, *Reticulum*, *Echinum*, *Omasium*; demúmque *Intestina*: & ádipis loco pinguedinem densiorem, *Sebum*. Verùm de illis jam per species agamus. Tibi, *Cléni*, placétne de *Pecoribus*?

Cten.) *Pecora vocamus* illas quadrupedes, quæ lactis & carnis potissimum causâ aluntur. Quorum maximum genus *Bovinum* est, cujus dux, *Taurus*, paleari pendulo spectandus venit. *Vacca* prægnans dicitur *Forda*; nondum fœta *Iuvenca*; *Vitulus grandescens Bæculus vel Bacula, ut notum est.*

Minorum pecudum sunt *Oves* lanosæ, cum *Agnis* subrumis & abrumis, Arietibúsque petulcis: qui vexati arietant, tametsi cornibus mutili, aut sectarii *Vervéces*. Hirsútus *Hircus* castratione fit *Caper*: hîc & illic aruncô sectabilis: petulantes *Hædi* circumcursitant. Capram. *Setósi* sunt *Porci*: qui necdum castrati vocantur *Verres*: exsecti *Majales*; porcelli sumen *Scrophæ* adhuc sugentes, *Nefrendes*, depulsi à mamma, *Délici*. Tu, *Amphistbenes*, recense Jumenta.

Amph.) *Jumentum*, est pecus operarium, seu *Veterenum* (rectius forsan *vecterinum*,, quia vecturis adhibentur). Inter quæ maximus & gibbosus *Camélus*, plaustri instar

Mer

Mercatorem cum mercibus ferens. Huic proximus *Equus*, juba insignis, ferox licet, & calcitrans, effrenis & indomitus, domatur tamen, & sessori obtemperare cogitur: præsertim *Cantherius* factus, ubi & hinnire desinit. Sed pandus *Asellus* oneribus bajulandis servit, & cum ab Agasone vapulat, rudit. *Canes* & *Feles* huc repono, quia nobis custodes sunt; illi pecoris contra fures; hi penois, contra mures. Nam canis ádvenam latratu prodit, improvidéque appropinquantem mordet, præsertim Catenarius: vel ad minumum baubatur. Si quis eum sensim irritat, ringitur; si percutit, quiritatur. Rabidus autem factus discursat; & si quem obvium mordet ipso morsu reddit hydróphobum, hoc est, aquæ metuentem, moréque catello rum latrantem. *Catus* autem angulos Domûs perreptans, Mures (ex muscerda, vel alias) odoratur, tum insidiosè capit, discerpit, dévorat. Sed etiam tu, Feræ, facito Verba, deque Animantibus illis unde tibi nomen disertato.

Feræ (Feræ majores dicuntur *Belluæ*: crudeliores *Bestiæ*. Belluarum maxima *Elephas*; capi se & mansuefieri facile patitur, ferítque homini vectando (aliquando viginti & triginta vates simul) perlubens. Dentes habet duos tricubitos, qui dant candidissimum *Ebur*; pabulum verò gerahit *Proboscide*, quæ est ab ore prodiens oblongus rubus, quo vice manûs utitur. *Rhinoceros*, corpulentia illi ferè æquâlis, indutus est squamis ossei, géritque super nasum Cornu acutum, quo transfodit Ventrem *Barri* (hoc est, Elephantis) dum cum illo prælíatur. Dehinc sunt feri Boves bicornes, *Bubalus*, *Urus*, *Bonasus*: sed Bonasus habet cornua ad oculos flexa, ad pugnam inutilia. *Monóceros* (i. e. *Unicornis*) rarissima fera, unico visendus b.cubitali cornu, abditissima incolit deserta, ob incredibilem pernicitatem capi difficilis. Sequuntur Feræ ramosa gestantes cornua: quarum maxima est *Alces*, cui detractum tergus præ duritie insecabile est. Tum *Rangifer*, jubatus; velocitateque tantâ, ut trabis præjunctio (in Lapponia) decurrat diurno cursu super 800 (octingenta stadia, quod 25 milliaria nostratia facit) per nivem & glaciem. Tum *Cervus* noster, prægilis quoque, estans

gestans cornua quotannis decidua (cervæ tamen nulla sunt) solus é brutis moriturus lacrymatur, Damæ cornua lateſcunt: *Ibici* reflectuntur in dorſum: *Rupi-capræ* sunt obuncа, ut auxilio horum insiliat rupes desiliátque indemnis. *Capreolus* cum sua *Caprea* minimus est Cornigerorum. Quorum omnium pulli *Hinnuli* dicuntur. Ita in ordinem redegi Feras mitiores. Tu, *Quadrine*, Bestiarum explica naturam, & greges.

Quad.] Bestiarum nulla est cornuta, Dentibus ac Unguibus armatæ omnes; quia non herbaticæ sunt, sed carnivoræ. Quarum agmen ducit robustissimus *Leo*, hirtus armis, rugiens (quando rugit) formidolosè. *Pardus* (mas) habet pellem variis maculis pulchrè distinctam; *Pardalis* (fœmina) interalbicantibus tantùm punctulis notatam. Uterque admirandæ velocitatis: si prædam saltu terno non assequatur, dimittit. *Tygris* omnium sævissima (& ipsa maculosa) tympanorum sonitu adeò dicitur efferari, ut in rabiem acta seipsam dilaceret. *Lynx*, aliquanto minor corpore, haud dispar ferocitate, & visus præcuti est, tergoque coloratò. Ursus villosus continet se per hiemem in spelæis, sine victu: *Ursa* dicitur parere catulos semiformes, lambendoque demùm refingere ac perficere. *Lupus*, voracissima bestiarum, famélicus ululat. *Vulpes*, dolósa & gulósa, nunquam mansuefit: expetitur propter pelles, eóque non capienda vernò, ubi glabreſcit, ac sit depilis. *Onager* ventò ubi glabreſcit, ac sit depilis. *Onagri* ventò pasci perhibetur, si desint herbæ. *Aper* autem terram rostro fodicans, radicibus pascitur: irritatus ore spumat, dentibus frendet, vertagosque & venatores se insequentes ferit, quandoque interimit. Atque hæc sunt Bestiæ majores: minores edetu, Oreni.

Oren.] *Simia*, sola quadrupedum caudæ expers, ridicula est humanorum operum imitátrix: sicut & *Cercopithecus*, qui tamen caudatus est. *Lepus*, quo nihil timidius, dormit patentibus oculis; ac si quid strepit, mox erectis arrigit aures, vel se próripit, & ad dumeta confugit; si ausugere non potest, & capi se videt, vagit. *Cuniculus* nihil fœcundius: ut qui non tantum creb. ò fœtat,

sed

ſed & ſuperfœtat. · Addam Animalia fera duo ſpinis horrida: *Erinaceum* noſtratem, qui periculo viso convolvit ſe in globum, aculeosque erigit, ut ne impúne tangi etiam poſſit: & *Herinaceum Æthiopicum* (decuplo majorem noſtro; *Hyſtrix* illi nomen) qui aculeos ſuos veluti ſpicula ejaculatur, canéque ſe inſequentes vúlnerat. *Gazela* exſudat fragrantiſſimum Moſchum: neque huic diſſimilem *Catus Zibethi*. Sed ne ſolum híc ſermóciner, tu, Ferræe, abſolve quod in Ferarum claſſi reſtat, *Feles* & *Mures ſylveſtres*.

Ferin.) Varia ſunt illorum genera, quos pellium causâ venantur. Nempe *Catus ſylveſtris*, *Martes*, *Martes Scythica*: *Muſtela alpina*, *Mus ponticus*, & *Noricus*: ſicuti & ſemidomeſtici illi, *Viverra* & *Muſtela*. Ex cognato genere ſunt *Sciúrus*, *Melis*, & *Glis*. Hoc & iſto nihil ſomnolentius; *Sciurus* v. latâ & villosâ ſua caudâ ſibi ipſi umbellam facit, & in transvolando de arbore in arborem, illâ vice alæ utitur. Huc ſpectat campeſtris murinus grex, quorum maximi ſunt *Sorex* & *Cricétus*, profunda ſibi cavantes foramina, ſegetibúſque valida inferentes damna. Sed *Talpa*, vád cibis ſolis piſcens, ſub terra ſe continent ſemper, interdum tamen grumos faciens capitur. Claude quadrupedantium agmen tu, *Amphiſtenes*: explicato quid & quæ ſunt *Amphibia*?

Anph.) Sunt beſtiæ in utroque elemento, Terra & Aqua, degentes. Ut *Fiber* ac *Lutra*, uterque piloſus, & caninæ ſtatúræ: ſed ille caudam habens carnoſam & ſquameam, tanquam ſibi appenſum piſcem; hic pedes poſteriores velut anſerinos, ad natandum. Tum eſt *Crocodilus*, formâ feré lacertæ parvæ, ſed excreſcens ad ulnas 20. Frequens eſt in Nilo Ægypti, dévorans interdum canes & Homines. Hoc habet ſingulare, quod inter mandendum, contra omnium Animalium conſuetudinem ſuperiorem movet mandibulam. Quadrúpedes quoque ſunt *Ranæ* coaxantes: & *Buſónes* venenati, & viridiſſimæ *Calamitæ* innoxiæ: clypeata denique *Teſtudo*, quæ in India tanta reperta eſt, ut inſidentes (aut inſiſtentes) ſibi duos tréſve viros ferre potuerit.

Cten.) Ita ſunt Exercitus Viventium. *Laud[illegible]* jam

Dominum Deum Exercítúum omnia Opera ejus; ipſæ etiam Beſtiæ, & omnia jumenta! Reptilia & Aves alatæ, Hallelujah! Pſal. 141. v. 10.)

ACTUS V. SCENA V.

Rex.) Nempe jam peracta ſunt, quibus peragendis hæc deſtinata fuit dies?

Plato, Ita, Sereniſſime Rex. Naturæ nobis exhibita ſunt Opera, per ſuas Claſſes: uſque ad glorioſum illud faſtigium quod Operibus ſuis impoſuit DEUS, imaginem ſuam, Hominem, quem & parvum Mundum dicimus.

Rex.) Hic autem quando luſtrandus veniet?

Plato.) Quando Tibi, Rex, Philoſophos, qui Anthropologica tractant, accerſi placebit.

Rex. Placebit quam primùm per negotia licebit: cujus rei me ſubmonebitis, quum videbitur commodum. Nunc ad officii munia redeamus omnes.

[*Hic ſurget, & à Senatu ſuo comitatus ingredietur Scenam, Muſica interim reſonante.*]

Epilogus.

Scena patacta eſt, *Generoſi & Reverendi Domini Scholarchæ.* Videtíſne quid in addiſcendis Linguis & Artibus bonis *Comica* poſſit actio? Non Phigacos vel Merulas audiviſtis, ea quæ non intelligunt deblaterantes; rem agi potiùs, quàm dici, vidiſtis. Intelligere enim nos ea quæ diſcimus, rerum, quas recitamus, ad vivum facta repræſentatio apertè oſtendit, noſtro & veſtro ſenſuum oblectamento. Nam quod per nudam expoſitionem vix trimeſtralis moleſtus obtinuiſſet labor, id per ſchematiſmos, variámque rerum & perſonarum interpolationem jucundus dierum aliquot obtinuit luſus. Non Sufféni, nobis ſumus. Auditóres, nec inánes vanæ induſtriæ venditatores, Vobis inſpectantibus res vivo patuit experimento, parebítque indies melius, modo nobis favorem ne ſubtrahite Veſtram. Nunc ſi quid aberratum eſt, memoriâ vel actione, condonate oramus. Primùm experientibus venia debetur. Valéte, & Scholam, Studiáque noſtra, Vobis [illegible]bete quàm commendatiſſima. JA-

Januæ Linguarum PRAXEOS COMICÆ

PARS II.

Glorioſum Operum DEI colophónem, HOMINEM, cum ſua mirabili *ſtructura*, ſpectandum exhibens.

Ecclus: 17. v. 1, & 6.

Deus creavit de Terra Hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum: Creavit illi ſcientiam Spiritus, ſenſu implevit Cor illorum, mala & bona ſtendit illis.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Ptolomeus Rex.
3 Plato. } Philosophi.
4 Eratosthenes. } Philosophi.
5 Apollonius. } Philosophi.
6 Plinius. *Polyhistor.*
7 Anthropologus.
8 Membratus.
9 Propertius. } Anatomici.
10 Ossatus. } Anatomici.
11 Fulcinius. } Anatomici.
12 Myódes. } Anatomici.
13 Encarus } Anatomici.
14 Corderus.
15 Cœlius.
16 Humorius.
17 Spiriteus.
18 Sanguinius.
19 Concretius.
20 Vitalius.
21 Vocalius.
22 Gustavus.
23 Albinus.
24 Attentius.
25 Dormilio.
26 Mentéus.
27 Synesius.
28 Volentius.
29 Affectenus.
30 Conscius.
31 Chirurgus I.
32 Secundus.
33 Tertius.
34 Medicus I.
35 Secundus.
36 Tertius.
37 Quartus.
38 Portentius.
39 Fabellus.
40 Epilogus.

PRO-

PROLOGUS.

[*Obambulans tacitè, capite tamen retectô, circumspectabit modestè: tandem consistens infiet.*]

LOquere adolescens, *ut te videam*! dixit ad puerum, sibi adductum discipulum, Antisthenes Philosophus. Videns quidem illum ante se stantem, quantum ad externam staturam & figuram, interiora tamen ejus intueri non valens, nisi quantum se foras proferret sermone. Sermo nimirum, & Gestus exterior, index est Animi: unde non tantòm quid Homo velit, sed & quid sciat & possit, egregiè patescit.

[*Tum spectatoribus obversus.*]

Vos nobis Antisthenes eritis hodie, Viri prudentissimi: Nos vestri tirones. Jubete nos loqui, ut nos videatis! Non loquemur tamen solùm (id enim etiam qui sonos dant sine mente possunt) sed agemus simul: ut Nos Res quas recitabimus intelligere quoque intelligatis. Erit autem dignum attentione argumentum: *Nosse semetipsos, quantum ad totam Naturæ nostræ constitutionem. Nempe & Corporis compagem totam, intus & extra; & Animæ nostræ structuram totam, simul cum Morbis Corporis & Animi, qui nobis contingunt.* Talia enim nos præteritis diebus didicisse, hac horâ vos docebimus. Qui sibiipsi vilis non est veniat, & seipsum sibiipsi spectandum Theatro sisti gaudeat.

[*His dictis, exhibitôque honore, recedat.*]

ACTUS I. SCENA I.

Rex, cum Conſiliariis nuperis.

Ptol.) Mundi contemplationem abſolvimus: Hominis conſiderationem ſeponi ſua ſiſtis hunc in diem. Quis ergo hujus rei nobis erit proceſſus?

Plat.) Diſpoſita jam ſunt, ó Rex, omnia, expedienda quaternô actu. Primò venient, eum vocabuntur, Phyſici illi qui ſe Anatomicos vocant, Membrorumque Corporis humani numerum, ſitum, uſum inquirunt: oſtendéntque nobis quàm harmonicè Corporis hoc ſyſtema compoſitum ſit. Deinde ingredientur, qui Humorum Membris contentorum, Spirituumque humores moventium, vim explicare ſciant. *Poſt hos* prodeant, quibus Mentis ſtructura, Affectuumque natura, nota ſit. *Tandem* aderunt qui Morbos, Corporis & Animi, non ignorent, nominibúſque ſuis, é rerum natura deſumptis, diſtinguere valeant.

Ptol.) Deſignatio hæc ordinis probatúrne Vobis reliquis?

Erat.) Accurata videtur, *Apoll.*) Aſſenſione illam comprobo.

Plin.) Galenus Corporis partes in *Continentes*, *contentas*, & *impetentes* diviſit: hoc eſt, in *Vaſa*, *Humores*, & *Spiritus*. Sed hæc diviſio plenior erit, quippe quæ non Corpus, ſed Hominem, dividit: impetentibuſque ipſis (ſpiritibus) impetentes ſuos (Animum & Affectus) aſſignat: démúmque quomodó omnia hæc vitiari poſſint, & ſoleant, utiliter (quô corruptélæ caveri poſſint) oſtendit.

Rex.) Maneat igitur; Ordine iſtô Hominem luſtremus.

Apoll.) Iterum Methodi admoneo: [illegible] alios audiatur, qui generalia de Homine, quid [illegible] in ſeipſo

ſo conſideratus ſit, & ad quid ſit, edifferat.

Erat.) Rectè id monetur: Anthropólogus igitur primò erit vocandus.

Rex.) Veniat. Tu verò, Eratoſthenes, exerce illum quæſtionibus.

ACTUS I. SCENA I.

Anthropólogus.

Antr.) Juſſu Regiæ Majeſtatis adſum.

Erat.) Juſſu ejuſdem te alloquor. Hominis aggredimur contemplationem, amice: quam unde tu auſpicandam cenſeas, ſcire avemus.

Antr.) A conſideratione excellentiæ ſuæ: ut rectè à Macrocoſmo veniri ad Microcoſmum; & à Domo numeroſæ familiæ ad ipſum Patrem-familias, pateat. Quippe qui ipſius Dei imago, incarnatúſque Angelus, eſt, & Animal divinum, in regendis & gerendis rebus Dei coadjutor, inque edendis Sapientiæ ludis colluſor: Creaturarum denique Dominus, Creatoris verò ſui rationarius.

Erat.] Magnificè de Homine loqueris.

Antr.] Quia magnifica cum illo fecit qui Potens eſt, & ſanctum Nomen ejus. Miſer, qui ignorat Deum: miſer, qui ignorat ſeipſum.

Erat.] At exortus Hominis humilis eſt.

Anthr.] Sed finis excelſus & glorioſus, ad quem ſe prómovet gradatim. Conceptus enim in Matris utero ex ſanguinis gutta, *Embryo* eſt; maſſa viva, ſed ſui ignára. Inde prodit in lucem, *Infans*; ex quo fit *Puer*, beſtiola ad ſenſuum ductum brutè diſcurſans. Ex impubere fit puber *Adoleſcens*, ubi rationis freno coërceri incipit, ſi incipit. Grandeſcens Corpore, ſtaturæque aſſequutus terminum, *Juvenis* eſt: demùmque, ſi animò ſimul grandeſcat, fit *Vir*, negotiis vitæ par: mox provectior

vectiore ætate *Senex*; & in decrepita senecta edentulus *Senecio*. Corpore quidem mox futurus sepulchri pabulum, Mente tamen æternitatis candidatus, Quomodo & in altero sexu, è *Pupa* fit *Puella*, tum *Adolescentula*, inde *Juvencula*, dehinc *Mulier*, tandem annosa *Vetula*. Ita humanæ vitæ curriculum nihil est nisi *Nasci*, *Puerascere*, *Adolescere*, *Juvenescere*, *Virescere*, *Senescere*, *Mori*.

Erat.) Ecquid igitur hîc adeò glorioſum? Præterea ſi Ætatum ſingularum attendamus occupationes, inanitas mera ubique ſe prodit. Nam *Infantia* ſeipſam ignorat, *Puericia* ludicris transigitur, *Adoleſcentia* curioſis tentatur, *Juventus* vanis oblectatur, *Virilitas* laboribus fatigatur, *Senectus* ad priorem invaleſcentiam relabitur (hinc ſenes repueraſcere dicuntur): donec ſenilis marcor conſumat & conſummet Vitam, heu quàm fugacem!

Anthr.) Veriſſima hæc ſunt, ſed Corporis reſpectu. Animò nobis Mundo majora demandantur peragenda: nempe præſentis Vitæ curriculum regere tam circumſpectè, ut in conſpectu Cœli & Terræ omnium hîc actorum reddere queamus rationem; atque ſi digni fuerimus reperti, ad æternam cum Deo cohabitationem Cœlos ingrediamur: O felix qui SEIPSUM ex ultimo fine ſuo NOSSE dicetur!

Erat.] Agnoſcimus: ſed hoc nos docebunt Theologi. Nunc Naturæ humanæ conſtitutionem, & Corporis Animæque fabricam, quærimus. Tu igitur ſecedere poteris: veniant autem qui nobis externa Corporis noſtri Membra ſcitè oſtendant,

[*Abibitque honore exhibito.*]

ACTUS

ACTUS I. SCENA III.

Membratus. Propertius.

Rex.] *Apolloni*, age cum his.

Apoll.] Viri boni, estísne ex eorum numero, qui in naturæ humanæ contemplatione operam ponunt?

Membr.] Equidem sumus.

Apoll.] De Corporis igitur nostri compáge quid dicitis?

Membr.] Corpus nostrum, Animæ rationalis habitáculum & organon, sapientissimi Architecti tàm illustre spécimen est, ut nemo satis demirari queat, si articulátim spectetur.

Apoll.] Doce igitur articulatim nos spectare Hominem.

Membr.] Primùm ipsa Corporis statúra perelegans est, Cœlum versus erecta: quod nulli animantium contingit.

Prop.) Et Membrorum inter se situs quàm harmonicus? Nam quæ bina data sunt (ut *Manus*, *Oculi*, *Aures*, *Renes &c.*) locantur ex adverso, ad latera: quæ singula (ut *Nasus*, *Os*, *Cor &c.* per medium. Præstabiliora item membra supremò locò, ut *Caput*; vel intimo, ut *Cor*; sequiora infimo (ut *Pedes*) vel intimo, digitorum *ungues*.)

Apoll.) Rectè hoc observatur. Sed recensentur Membra ordine.

Membr.) *Capitis* partem potissimam tegunt *Capilli* rotati in vertice: anteriorum verò partem decórat *Facies*, è qua dignoscimus personas. In Facie rursum *Frons* éminet, figúrâ propè semicirculári, désinens utrinque in *Tempora* [*ostendantur omnia & singula manu*]: plerisque glabra, paucis híspida; senescentibus rugósa, latis crugata, iracundis caperáta.

Prop.)

Prop.) Fronti autem subjacent *Oculi*, quoquô versum mobiles, facti è diversis membranis, seu túnicis, transparéntibusque humoribus. Qui, si cui próminent, cernit obscurius; si sunt profundiores, clariùs. Sed hirqui oculorum sæpè sudant lacrymas, quotidie gramias, manè à somno detergendas. In Oculi medio sita *Pupilla*, albô circumfúsa; spéculum est in quo rerum objectarum imagúnculæ resplendent in forma pupulatum. Eam *Palpebræ* humectant nictando [*sic*, *ostendatur nictatio*] : *Cilia* verò, è crepidine palpebrarum enáta, unâ cum *Superciliis* [*ostendantur*] tutantur oculum, ut ne quid incidat.

Membr.) Auribus verò adaptatæ sunt *Auriculæ*, & quidem pátulæ, ad repercutiendum sonos; & in Cochleæ formam cavatæ, ad inrrovertendum sonum per anfractuosum iter. *Nasus*, respirationis causâ datus, incipit ad intercilium, & se inter duas genas demittens, discriminatur in duo spiracula, *Nares*; per quas demanat Cerebri purgamentum, mucus; sed ne defluat ante munctionem, detentatur à vibrissis. Infra Nasum sunt rubicunda *Labia*; & apertile *Os*; tum *Mentum*, & ad latera ejus *Malæ*, ephébis *Lanugine*, viris *Barbâ*, intectæ. Superius *Labrum* tegitur mystace bipartito; sed quidam sunt imberbes.

Apoll.] Absolvistis Capitis partes externas: descendite ad ipsius Trunci partes. *Memb.*) *Collum* interjacet: cujus pars anterior *Jugulum* est, posterior *Cervix*. Sub jugulo incipit *Pectus*, papillis utrinque turgens, calidisque maribus in medio hirtum. *Umbilicus* est in ventris meditullio: infraque hunc *Inguen*, cum adjacentibus verendis; quæ ut nudare, ita nominare, pudor vetat. *Tergum* verò, sub cervice incipiens, habet ordine *Húmeros*, *Dorsum*, *Lumbos*, & *Nates*, sessionis gratiâ *Clunibus* obvolútas. Ad latera sunt *Axillæ*, & *Hypochondria*. Ita sunt partes Trunci etiam externæ: nihil omissum reor.

Apoll.] Descendite igitur ad *Artus*, Manus & Pedes.

Pro.]

Pro.] Ab humeris dependent toroſa *Brachia*: hinc flexiles *Cúbiti*, quibus inniti ſolémus: tum *Lacerti*. *Manuſque* perquam verſatiles, ut quidvis pro lubitu verſare valeamus. *Siniſtra* tenet, *dextra* operatur; quamvis hoc apud *Scævolam* fiat contrariè, apud *ambidextrum* indiſcriminatim. Jam partes Manûs attendite! Cóncava mànus dicitur *Vola*; diducta, *Pálma*; contracta, *Pugnus*. Habétque *Digitos* quinque: & quiſque digitus *Articulos* tres, & totidem *Condylos*. Articuli verò poſtremi exeunt in *Ungues*, quibus *ſcabimus*, *ſcálpimus*, *lancinamus*, *laceramus*. Notandus & digitorum uſus: nempe quòd *Póllice* premimus, *Indice* monſtramus, *Verpâ* ludificamus, *Annulari* annulos geſtamus: *Auricularis* verò pro auriſcalpio eſt.

Membr.] Similiter infra *Coxas* ſunt *Fémora*; ſub *Genubus*, *Crura*: ſub *Póplite*, *Sura*. A *Suffragine* eſt imus pes; Continens Talos ad latera exſtantes; & à tergo *Calcaneam* & hinc *Solum* pedis, ſeu *plantam*, & ſuperne *convexam plantam*. Tum denique *Hallum* cum digitis: quibus ſubnixi proſólimur altiùs.

Apoll.] Ita ergò à Capite ad plantam pedis deſcendiſtis.

Prop.] Deus nóſter Deus ordinis eſt, & Opera ejus omnia undique ordinata: maximè verò in quo Ille Sapientiam ſuam oſtendere voluit maximè, Homo. Cui externa & interna Membra tot data ſunt, quot Anno dies, nempe 365; ut ſingulis diebus Homo gratus ſit Deo pro tali Corporis ſtructura.

Apoll.] Habemus gratiam, Vir optime, pro hocce tam utili monito. Veniant jam qui nobis interanea Hominis oſtendant.

ACTUS

ACTUS I. SCENA IV.

Ossatus, Fulcimus [Ferentes secum *Scelcton* humanum, si haberi potest.]

Oss.] Interanea Hominis explicari sibi velle Serenissimum Regem cognovimus. Adsumus igitur, ostensúri Corporis Fulcra OSSA, quantum ad numerum, situm, usum.

Rex.] Age cum illis, *Plini*.

Plin.] Numerum ossium ostendere vultis? Quot ergò sunt cuique nostrûm ossa?

Oss.] Circiter trecenta: quædam enim adeò minuta reperiuntur, ut ab aliis numerentur, ab aliis non numerentur.

Plin.] Quodmodo dividuntur?

Oss.] In *Ossa Capitis, Trunci, & Artuum*.

Plin.] *Ossa Capitis*, quæ sunt, & quot?

Oss.] Primarium est *Calvaria*, ex pluribus ossibus pectinatim veluti consuta (Ecce!) Id quod à Sapiente Creatore ideò sic ordinatum creditur, ut per suturas illas Cerebri vapores exire, neque Homini perpetuos adferre dolores, possint. Tum hæ *Maxillæ* duæ continent triginta duobus alveolis totidem osseos *Dentes*: quorum anteriores quaterni vocantur *Incisores*: utrinque illis proximi *Canini*; dehinc *Maxillares*, seu *Molares*, quini: postremò *genuini*, bini. Omnia in universum Capitis ossa, 59.

Ossa Trunci Tu, *Fulcini*, explica.

Fulc.] Truncum constituunt, in longum quidem *Spina dorsi*, supernè verò *Ossa Thoracis*, infernè *Os Sessibuli*. Demonstrabo en singula! *Spina dorsi* primarium est corporis fulcrum. Quod ut Corporis flexú æ serviat (sursum & deorsum, & ad latera) dissectum est in *Vertebras* triginta quatuor: quarum septem insunt Cervici: duode-

duodecim Tergo, quluque Lumbis, quatuor Ossi sácro, residuæ sex Ossi cóccygis. Forma Vertebrarum talis ecce est: variè angulosa, omnesque in medio foraminosæ, pro Nervo principali hâc defluente, & per totum corpus motum & sensum dividente, ut postea videbitur.

Ossa pectori muniendo data sunt, in ante *Sternum*, à tergo *Scapulæ duæ*, collateraliter verò *Costæ* hinc & illinc duodenæ. Scapulas Sterno copulant duæ *Claviculæ*, seu *Jugulæ*, in Avibus *furcula* dicta, Costæ exeunt omnes è Vertebris spinæ; sed tantùm septenæ superiores copulantur sterno, inferiores quinæ sternum non attingunt: idcò, ut venter (dum opus est) extendi, Homóque se infra se flectere, possit. Iutegræ illæ Costæ, superiores, vocantur *legitimæ*; curtæ illæ *nothæ*. *Os scissibuli* (novô nomine) dicitur ossium Compages sub Ventre. Cujus pars sub lumbis *Os ilium* dicitur; pars oppósita ad inguen, *Os pubis*; ad latera utrinque, *Os Coxæ*.

Plin.] Artuum jam exponantur ossa.

Oßal.] Ossa manuum impacta sunt scapulis; Pedum coxendicibus. Sunt autem unius manûs ossa tot, quot Vertebræ spinæ dorsi: nempe 34. Nam *Os brachii* est unum: *Ossa cubiti* duo, *Ulna & Radius*: *Carpi* (ubi Manus parva jungitur, Ulnæ) octo, parva omnia, & ita compósita, ut celeritati motûs undique serviant. *Metacarpium* (seu tabula Manûs) habet ossa quatuor; *Pollex* tria, reliqui digiti quaterna. At in pede uno non nisi 30 Ossa sunt. Nempe *Femoris Os* unum; *Cruris* duo, *Tibia* & *Fibula*; *Tarsi* septem, *Metatarsi* quinque; Digitorum omnium simul 14: & insuper *Patella genualis*.

Plin.] Ossium interiora quid continent?

Oßal.] Majora ossa sunt intrinsecus cava, continentque Medullam minora, non quidem medullosa, succosa tamen sunt. Omnia insuper extrinsecus contecta membranulis.

Plin.] De Ossium junctura nihil dum dixistis, quomodo cohæreant.

Fulc.]

Fulc.] Ossa ubi sine flexu sunt, simplici commissura glutinantur: ut ossa Capitis, Dentium, & Maxillæ, &c. Ubi flecti debent, cohærent articulatim, per insertum alterius *caput* alterius *Cótylæ*: ut in junctura Humeri & Scapulæ, humeri & cubiti, & in omni digitorum, articulo. Ubi ut ne se mutuò contactu & attritu ossa atterant, doloremque faciant, interponitur illis veluti cuticella (osse mollior, carne firmior, substantia) *Cartilágo* (ecce!) Tandem ut ne violentò etiàm motu articulorum ossa divellantur, aut luxentur, circumligatur quilibet articulus ligamentis cartilagineis firmissimè: (en!)

Rex.] Satis hæc evidenter demonstrantur: laudamus: & gratam habemus industriam Vestram. Ingrediantur nunc, qui nobis Carneas, Corporis partes exhibeant.

ACTUS I. SCENA. V.

Myódes. Encarus. Cordérus. Cœlius.

Rex.] Quomodo Sceleton humani Corporis ossium structura cohæreat, vidimus: quâ verò ratione expletum sit carne, & circumvestitum membranis, denarrare verbis, & demonstrare reipsa, Vestrum erit amici.

Myod.] Lubentissimò facturi sumus animò, Serenissime Rex. Homo si tantùm osseus esset, nihil nisi terriculamentum esset. Vt ergò Vas fieret variorum capax, Carne fuit explendus: at non carne continua (ita siquidem ad motum esset inútilis) sed carne velut in funes, aut farcimina, dispertita. Canales puta membranaceos pulpâ carnea (i. sanguine concreto) fartos. Qualibus undique circumdatus Homo, talis apparet cute detracta: (En!) Farcimina illa carnea, seu toros, Anatomici vocant *Musculos*, & numerant humano in corpore 405. (*Músculum* autem, vocant, quia exoriati muris habent formam.)

Encarus

Encarus] Sed nec satis erat carnosum fieri circumcirca corpus, ó ganis etiam vitæ implendum fuit, *Visceribus*: humorumque causâ condendæ tres encamerationes, quas *Cellas* vocant, & *Ventres*, Supréma Cella, seu Venter, in *Capite* est; media, in *Pectore*; infima, in ipso *Abdomine*. Nam Cavum Trunci, per se unum, in duas cellas dividit, & dissépit, membrana crassa, quam Græci *Diaphragma*, Latini *Septum transversum*, vocant: super hoc *Thorax* est (seu *Pectus*. (infra illud *Venter*, seu *Abdomen*.

Rex] Quid ergò cellæ istæ cóntinent?

Encar.] Viscera, h. e. vitalia vasa. De quorum suprémo ego dicam. *Cerebrum* intra cavernas cranii convelatum est geminâ *meninge*: i. e. membranâ molli: ut ne lædatur facilè. Divisum autem in quatuor céllulas, seu ventriculos: ut si alicunde obveniat læsio, non totum simul lædatur. Quinta vero Cellula sub occipite est, *Cerebellum* dicta: à quo *Medulla spinalis* exit, & ex hac rursùm nervi per totum Corpus divisi, ad motu & sensu implendum omnia.

Cord.] Thorax verò, media Corporis cella, cóntinet vitalissimum membrum, & ipsissimum Vitæ fontem, COR, peculiari membranæ quam *pericardium* vocant. Ex corde prodit *Aorta magna*, tanquam truncus Arteriarum, calorem vitalem per omne Corpus deferentium. *Pulmo* autem (viscus carne rarâ, ceu spumeâ, & bivalvi) circumdatu Cordi, ad calorem ignis ejus respiratione temperandum. Nec aliud quicquam præterea Pectoris venter habet.

Cæl.] Sed infimus Venter; *Abdómen* dictus, habet septem Viscera. Quorum primum est *Ventriculus*; cum sibi subtractis Intestinis circumtectus *Omento*. Secundum *Hepar*, seu *Jecur*, situm ad dextrum Ventriculi latus: cum adjuncta sibi *Fellis* vesiculâ oblongâ: quæ tertium viscus est. Quartum *Lien*, Jecori oppositus ad sinistrum. Quintum & sextum sunt duo *Renes*, in lumbis. Septimum sub umbilico, Urinaria *Vesica*. Quæ omnia totò cum Abdo-

mine circumfensa sunt *Peritonæo*, membranâ firmâ. Tandem verò tota Corporis compáges circumdatur crassâ *Cuti*, tenuissimâque illi superductâ *Cuticulâ*.

Rex.] Satisne plenè carneas Corporis partes explicuistis?

Cord.) Nihil superesse puto.

Rex.] Et vestra diligentia meretur laudem.

ACTUS II. SCENA I.

Humorius, Spiritus.

Rex.] Cum his bonis Viris age tu, Plato.

Plat.] Humorum corpore nostro contentorum, & spirituum humores permeantium, unàque corpus moventium, explicare rationem poteritisne, amici?

Humo.] Speramus. *Plato.*) Explicate igitur.

Homor.] Quemadmodum ossa explentur carne, ita Caro udatur *Humoribus*; hos autem permeant *Spiritus*, omnium quæ in corpore fiunt effectores. *Humor* primarius est *Sanguis*, rubens & dulcis: tum *Pituita* (*Phlegma*) subalbicans & amára; tándem *Melancholia*, bilis atra & acida. Pro præpollentia Humorum inducitur nobis *Temperamenti* diversitas, ut alii dicantur *Sanguinei*, calido-humidi & alacres; alii *Cholerici* calido-sicci & feroces. alii *Phlegmatici*, frigido-humidi & segnes; alii *Melancholici*, frigido-sicci & tristes.

Plat.] Breviter tu ista quidem, satis tamen dilucidè; Cur verò non attigisti, unde Humores influant Corpori?

Hum.] Ex assumtis Cibo & Potu: quod mox explicabitur, ubi *Naturalis* describetur *functio*.

Plato.] Tu, Spiritee, age de Spiritibus in Corpore nostrovivis.

Spirit.] Agam: brevibus & ipse *Spiritus* in corpore nostro

noſtro ſunt *Vis viva*, ex depuratiſſimo ſanguine naſcens, & per totum Corpus ſeſe diffundens, ad illud vivificandum, vegerandum, movendúmque. Unus eſt in radice: ratione tamen operationis dividit; ſe trinè, trinámque accipit denominationem, à peculiaris trini muneris functione. Quod ſic habet: *Naturalis Spiritus* dicitur puriſſimus vivúſque ſanguinis Vapor: in Hepate naſcens, perque Venas quoquoverſus diffluens, diſtribuit membris nutrimentum: eum nempe ipſum ſanguinem, quem ſecum vehit. *Vitalis* autem *Spiritus* eſt flammula vitæ in Corde accenſa, indéque per Arterias diffultans, ab communicandum iiſdem membris vivificum calorem. *Animalis* denique *Spiritus* eſt cryſtallinæ puritatis vapor, ſummè tamen tenuis, ſummè vivus, & ſummè robuſtus, totum corpus geſtans, movens, verſans, ſummâ agilitate. Naſcitur & habitat in Cerebro: indéque dimanans per Nervos ad omnia membra, Senſu illa implet, Motúmque illorum dirigit.

Plato.] Quanta Dei Sapientia! Sed potéſne ſpecialiùs, quomodo iſta fiunt, explicare?

Spirit.] Expedient hoc, quibus *Functionem naturalem*, & *Functionem vitalem*, *Functionemque animalem*, enarrandatum eſt.

Plato.] Veniant igitur: accerſe eos tu, Humóti.

[*Curret ille* (Spiritu manente) *& adducet ſecum perſonas octo.*]

ACTUS II. SCENA II.

Sanguinius. Concretius.

Erat.] Quid vocatis *Functionem naturalem*?

Sangu.] Operationem Spiritûs naturalis Corpus nutrientis, ut vivere queat.

Erat.) Quâ id ratione?

Sangu.) Omnia membra nutriuntur *Sanguine*: Sanguis autem fit ex concoctis alimentis, hoc processu. Alimentum (incîsum primoribus, atque confractum canînis, si quid durum fuit) manditur molaribus, mansumque demittitur è *Bucca*, per *Gulam*, in *Stomachum*; ubi fit *concoctio prima*, h. e. conversio egesti cibi & potûs in *Chylum*: si quid non sufficienter percoctum est, aget pituitam. *Chylus* defertur (per inferius orificium Ventriculi) in *Lactes*, Lactes sunt graciliora Intestina, convoluta in multimodas spiras, & obvoluta *Mesenterio*) ibique eliquatur purîùs; protrusis fecibus crassioribus per intestina crassiora, egestísque & ejectis foras (de quibus *Oleta & Merdæ.*) Quod autem nutritivum inest chylo, exsugunt *venulæ Mesaraicæ*, immittuntque Hepati per *Venam Portam*: ubi peragitur *concoctio secunda*, h. e. sanguificatio) amotis inde per tres vias ternis *excrementis*, *serosis*, *turbidis*, *perustis*. Nam quod *serosum* est, id meat ex hepate (per *Venas emulgentes*) ad *Renes*; ulteriúsque per *Venas albas* (*Ureteres*) ad *Vesicam* cui *Urina* instillatur, & exinde mejendo emittitur. Quod *turbidum* est in sanguificatione, id trahit ad se *Lien*, receptaculum atræ bilis; immittítque rursum intestino crasso, per venulas certas. Tandem *Vesicula Fellis* receptat inflammatiores portiunculas (Sanguinis) & transmittit itidem ad *Intestina*, ut inde ad egerendum stercora stimulentur.

Erat.] De *Sanguificatione* satis clarè differuisti: dic jam de *Membrificatione*, ut nonnullis loqui placet. Hoc est, quomodo ex præparato jam & depurato sanguine Membra fiant.

Concret.] Sanguis in Hepate trinô illô modô purificatus digeritur per *Venam cavam*, dimittentem ramusculos quaquâ versus, ad extrema usque, & minima quæque Corporis membra: ubi fit *tertia concoctio*, quam Membrificationem vocant. Dum enim quodvis Membrum

hrum exſtillantem illum ſanguineum rorem bibit, & lentâ agglutinatione ſibi aſſimilat, atque ſic accorporat, fit Sanguis applicatus carni Caro, cerebro Cerebrum, cartilagini Cartilago, Oſſi os, & ſic alia, per meram ſanguinis accretionem, & concretionem. *Excrementa hujus tertiæ concoctionis* ſunt impuritates collectæ membratim, expellendæ per poros cutis, & alia emunctoria : (puta *per ſudorem*, *ſputum*, *mucum*, *ſternutationem*) ut ne faciant putreſcentes morbos.

Erat.) Nutritionem Corporis quid cogit eſſe quotidianam ? quotidie enim cibo & potu indigemus.

Concret.) Vita noſtra, omniumque Animalium res fluxa eſt, niſi quotidie novis roboretur fulcris, concidit : quia nihil eſt aliud quàm Vapor ille in nobis flammans. Ubi autem flamma, aut ignis, ibi pabulô eſt opus : quod quia quotidie abſummitur (dum ſanguis partim in membra, partim in ſpiritus tranſit, hi autem ipsô perpetuô motu ſeſe atterunt & abſumunt) neceſſe eſt quotidie fieri reparationem. Nam unumquodque Membrum, dum alimenti eſt indigum, ſolicitat ſuas Venulas, illæ Venas, hæ Jecur, Jecur venas Meſaraicas, hæ Ventriculum: Ventriculus autem ſi non habet quod det, corrúgat ſe, ſugens veluti ſeipſum. Et hoc eſt quod vocamus *Eſurirem* : *Sitim* autem, cùm opus eſt alimento humído, faucésque arescunt.

ACTUS II. SCENA III.

Vitalius & Vocalius,

Apoll.) Pulchrè Nutritionis proceſſum enarraſtis, Naturalisque Facultatis myſteria recluſiſtis, Vos duo. Quis jam Functionem Vitalem explicabit.

Vital. Mei hoc muneris eſt, Domine: explicabo clarè omnia. *Vita calor eſt, imò ignis*, ut paulò ante dictum: qui quandocunque, caſu quocunque, exſtinguitur, mox ſanguis, & cum ſanguine membra omnia, frigeſcunt, rigeſcunt, moveri ceſſant, moriuntur. Communicandus itaque Calor eſt omnibus membris perpetuò, ut vivant omnia perpetuò. Quod ut fieri poſſet, poſuit Creatoris ſapientia in medio Corporis fornacem, COR, igne perpetuò inſtructum. Flammat enim perpetuo, & ex puriſſima ſanguinis portione, attractoque per reſpirationem aëre, producit flammulam, *Spiritus vitalis* dictam: qui ex palpitante corde prorumpens, per totum corpus ſeſe diffundit, omniaque calore & vitâ implet. (Palpitationem Cordis continuam, experiri quiſque poteſt quovis momento; contrectatu ſive pectoris, ſive Arteriarum pulſu, præſertim ad carpos, & tempora.) Ne autem calor ille Cordis Cor exurat, additus illi eſt *Pulmo*: qui diſtendendo ſeſe inſtar follium, attrahit frigidiuſculum aërem, eumque Cordi afflando illud refrigerat, rurſumque ſe comprimendo, & aërem repefactum reflando, egurgitat fuliginoſos halitus; quod *Spirare* & *Reſpirare* vocamus. Quæ res quum deſerviat Vitæ ſoſpitandæ, factus eſt Canalis reſpirationis (à faucibus oris ad pulmonem deſcendens) ex cartilagineis annulis: ut poſſit patere ſemper, claudi nunquam, ne reſpiratio intercipiatur.

Apoll.) Quàm pulchrum eſt, res per ſuas cauſas noſſe! finémque cujuſque rei, cur facta, & cur talis facta ſit, intelligere.

Vocal.) Canalis ille Oris ad Pulmonem vocatur *Arteria aſpera*: cujus alius quoque præter reſpirationem finis & uſus eſt: nempe quòd *Vocis* ſimul ſit *inſtrumentum*. Quippe cujus ſummitas, *Guttur*, habet rimulam fiſtulæ ſimilem, in quam aër impulſus ſonat, acutiùs vel graviùs, prout annulus Trachææ ſe progerens (ſuperior aut inferior) à *Laringe* dilatantiatu facit

facit. *Articulatam* verò *Vocem* facit varius ſoni affiſus, variáque Oris configuratio. Nam voce liberè fluente, & nuſquam intra oris cavitatem allidente, fit Vox merè Vox, ſeu ſonus *Vocalis*, in quinque-formem differentiam abiens. Nempe ſi ore valdè patente exhalatur, fit A; ſi contractiori, E; ſi contracto, & linguâ in canaliculi formam reducta, I; rotundatò, G; magis etiam rotundatis labris, foráſque progeſtis, U. Si verò ſonus alicubi allîdit, fit *litera Conſona*, ut Grammatici loquuntur. Nempe ſi alliditur ad guttur, fiunt literæ *Gutturales*, H, CH, G, K, (ſeu Q) : Si in palato ſe vibrat, fiunt *Palatinæ* ſeu *Linguales*, L, R, Jod : ſi dentibus eliditur, fiunt literæ *dentales*, D, T, S, C, Z, X: ſi è compreſſis labiis elabitur, *Labiales*, B, P, F, V, ſeu W: ſi denique per nares efflatur, *Narinæ*, M, & N,

Apoll.) Hem, iſtud etiam adeò mechanicè factum eſt?

Voc.) Tota ſtructura Corporis & Animæ noſtræ mechanica eſt, ad minimas uſque minutias; non aliter atque Horologii. Ideóque Homo plures ſonorum differentis edere poteſt, præ brutis, quia meliorem, & magis variam *Trachææ*, *Laryngis*, *Oris*, *Linguæ*, *Narium*, configurationem accepit præ brutis, quorum pleraque nihil niſi uniſonas edunt voces. Quippe *Anguis* tantùm ſibilat, *Aquila* clangit, *Cicouia* gloterat, *Cornix* cornicatur, *Apis* bómbylat, *Bos* boat, *Taurus* mugit, *Ovis* balat, *Porcus* grunnit, aut quirritat, *Vulpes* gannit, *urſus* múrmurat &c. *Piſces* carent voce, quia carent pulmone ac tracheâ.

At homo poteſt aliter atque aliter ſonare; dum triſtis *ſuſpirat*, ægrotus *gemit*, impatienter dolens *plorat* & *ejulat*; tacitè loquens *muſſat* aut *ſuſurrat*; ſonorè, *clamat* &c. Quia verò trachea non poteſt tolerare aliud præter aërem (alioqui mox *tumultuatur*, tuſſiendóque expectorare moleſtam rem quærit) addirum ibi operculum, *Gurgulio*, obtúrat Laryngem tùm, cùm a-

limentum Oesophago ingeritur, ne aliquid influat. *Tonsillæ* sunt quæ fungosæ glandulæ, ibi ad uvulam sitæ; veluti fontes salivæ, ad Linguam semper salivandum. Quæ si arescerent, impediretur ejus motus, rerúmque gustus.

ACTUS II. SCENA IV.

Gustavus. Albinus. Attentius. Dormilio.

Rex.) Apparet nihil sine causa, certóque fine & usu, fecisse sapientiam Dei. Sed placétne ad *Facultatis animalis functionem* transire?

Gustav.) Si audire placet, mihi vim sensitivam explicare volupe fuerit.

Rex.) Explica.

Gust.) Spirituum animalium sedes in Cerebro est: unde illi ad Oculos, Aures, Nares, Linguam, & per omne corpus, excurrendo, faciunt ut quicquid nos contingit, qualе sit cognoscatur. Nam calcátne an frigeat aliquid, comperies *tangendo*; Humidumne an siccum sit, *prensando*; Durum an molle, *comprimendo*; Asperum an læve, *attrectando*; Grave an leve, *attollendo*; ubi sit in tenebris, *palpando*. Atque iste est primus SENSUS, *Tactus*: quô si afficimur blandè, *Voluptas* est; si molestè, *Dolor*; si blandulis prensationibus, *Titillatio*; si minutulis compunctiunculis, *Pruritus*. Idem Spiritus examinat. *Sapores* Lingua, porosô & nervosò membrô: deprehenditque mel esse *dulce*, fel *amarum*, acetum *acidum*, piper *acre*, fructum maturum *sapidum*, immaturum *austérum*, labrúscum *acerbum*, multaque prorsus insipida: éstque hic secundus sensus. *Gustus*. Tertius est *Olfactus*, internoscens *Odores*; hoc est subtilissimas exhalationes rerum: quæ permanando ad nares, Spiritum afficiunt, vel gratè, *Suaveolentia*: vel molestè, *Graveolentia*; ut cùm adusta caro exhalat *Nidorem*;

Nidorem; putida *Putorem*, randida *Rancorem* (quale esse solet Lardum & Arvina;) morticina *Fœtorem*: omnia enim mucida & situ corrupta putent, sordent, sœtent.

Rex.] Satis hæc novimus experientiâ: perge ad reliquos Sensus.

Albin.] Duo supersunt externi Sensus, *Auditus*, & *Visus*. *Auditûs* officina *in Auribus est*: ubi spiritus discriminat *Sonos*, id est, concussi circa se aëris coagitationes, ad *Auditoria organa* (sunt extensa membranula, cum oppositis tribus ossiculis, *Stapede*, *Incúde*, *Malleolô*) penetrantes, aliudque ibi vibramen clamore, aliud sibilo, &c. Percientes, Sonitus repercussus, & resonans, aut reboans, *Echo* dicitur; modulatus, *Cantio*; veniens è fractura, *Fragor*; è corpore elîso *Crepitus*; atque si vehementior sit, & obtusus, *Fremitus*: tenuis valdè *Tinnitus*. *Visu.* discriminamus *Colores*: quorum *Albus* & *Niger* extremi sunt; *Luteus* & *Cæruleus*, *Viridisque* & *Ruber* intermedii. *Albitudinis* & *Nigritudinis gradus* ita dignosce: Creta est *candida*, Capillus *canus*, Ebur *lacteum*, Palea *pallida*, Asinus *cinereus* (seu murinus) Unguis *rubus*, Æthiops *fuscus* (furvus) Passer *pullus*, Anser *aquilus*, Castanea *spadicea* (badia). Inter *Cæruleæ* & *Luteæ* discernes, si dices Caryophilla *hyacinthina*, Violas *ianthinas*, Sugillationem *lividam*, Cyanum *æneum*, Felinos oculos *cæsios* (*glaucos*): Aurum verò est *flavum*, Cadaver *luridum*, Lupa *rava*, Later semicoctus *gilvus*. Inter viridia & rubra sic discrimina: Quercetum est *herbeum*, Pinetum *prasinum*, Pontus *vitreus*, & cum undat *venetus*: E *rubris* sunt, Coccus *purpureus*, Minium *puniceum*, Flamma *rutila*, Vulpecula *rufa*, Leo *fulvus*.

Rex.) Omniáne istis quinque Sensibus (*Tactu*, *Gustu*, *Olfactu*, *Auditu* & *Visu*) cognoscimus?

Attentius.) Omnia externa. Sed ut sentiamus nos sentire, dati sunt insuper *Sensus interni tres*. (1) *Sensus Communis*, sub sincipite: (2) *Phantasia*, sub vertice: (3) *Memoria*, sub occipitio: *Illic* Spiritus tanquam in

specula

ſpecula ſtans, arripit ſimulachrum cujus vis rei viſæ, auditæ, olfactæ, guſtatæ, tactæ; *iſthic* ea ſpeculans dijudicat; *hic* illas icones in futurum recondit, & pro occaſione depromit. Officium igitur ſenſûs communis eſt *attendere*; Phantaſiæ *imaginari*; Memoriæ *meminiſſe*; aut ſi quid oblita fuit, reminiſci. Idem *Animalis ſpiritus* operatur *Localem motum*: dum diſcurſans per Nervos, & implens Muſculos, hinc intendit Tendines, inde retrahit: quam intenſionem & attractionem ſequitur *Motus* membri.

Dormitio.) Non obliviſcendum eſt, quomodo idem Spiritus Animalis, diſcurſatione multâ feſſus, quieſcere quærat: dum Senſoriis omnibus derelictis in ſua intranea ſeſe oculit, & ſic à feneſtris ſuis averſus, nihil eorum quæ circa ſe fiunt percipit, *Somnum* vocamus. Atque ſic *Dormire* nihil eſt aliud, quám habere Senſus ab externis operationibus requieſcentes: eo fine, ut iidem Spiritus defeſſi, & diſperſi, & diſperditi, ſe intra ſe recolligant. *Naturalis* enim ſpiritus maximè tum vacat digeſtioni; *Vitalis* reparat nativum calorem; *Animalis* ſeipſum in cerebro vegetans, & ſuas cellulas transcurſans, in quæ phantaſmata incidit, illa reaſſumit perſpeculanda: quod *Somnium* vocamus. Moderatus ac tempeſtivus *ſopor* recreat, quia vires auctat: *Vigilia* nimia fatigat, quia easdem exhaurit (nec tam impensè debilitat *Inedia*, quam *Inſomnia.*) Nimius tamen ſomnus auget phlegma, & ignaviam. Qui *dormiturit*, is oſcitat & pandiculatur; qui *dormitat*, is nictat oculis, & nutat capite: qui *dormit*, ſomniat, & aliquando ſtertit: qui *edormivit*, expergiſcitur (ſeu evigilat) experrectúsque experge facit (ſéu excitat) alios.

Rex.) Acquieſcimus: redire Vobis ad Veſtra licebit. Ingrediantur verò qui nobis Mentis ſtructuram, Affectumque naturam, explicent.

ACTUS

ACTUS II. SCENA V.

Menéus. Syneſius. Colenius. Affectémus Conſcius.

Rex.) Confer cum illis Plato.

Plato.) Amici, Luſtravimus catenus Hominem Corporis reſpectu, corporeosque illi cum brutis pariter datos Senſus: nunc deſiderium eſt ea videndi per quæ Homo brutis præcellit, *Animam* ſcilicet *rationalem*, omnium quæ Homo, quâ homo, facit, intellectricem, electricem, effectricem, Eja ſtructuram ejus reſolvite, ſingulasque ejus partes appellationibus ſuis diſtinguite.

Menteus.) Quia Senſus, externi & interni, tantummodò præſentia percipiunt objecta, & ea quidem ſuperficiétenus duntaxat, placuit Creatori noſtro addere nobis MENTEM: h. e. *vim cogitandi*, & cogitando ad abſentia quoque penetrandi, abſtruſa indagandi, futura præſagiendi: cum *Arbitrio*, agnita bona appetendi; & Animo concupita audendi.

Plato.) Diſtinctiùs hæc enuntia.

Ment.) Penetrativam illam vim vocamus *Rationem*, quæ rerum *Intellectuu* quærit: Boni appetitivam vim dicimus *Voluntatem*, quæ rerum *Electionem* expoſcit: Electa conſectandi nuncupamus *Animum*, qui rerum *poteſtatem* ambit. Hæc tria ſunt quæ Hominem à bruto differre faciunt, imò Hominem ab homine: dum alii allis plus & melius intelligunt, volunt, & ſatagunt.

Syneſius.) Ita omninò eſt: ſed & ſpecialiores differentiæ obſervandæ ſunt. *Nam* qui multa inquirit, *Induſtrius* eſt; qui facilè rem arripit, *Ingenioſus*; qui excogitat, *Solers*; qui noſcit, *Gnarus*; qui notitiam uſu ſitmavit, *Expertus* qui rebus novit uti, *Prudens*; qui utitur,

utitur, *Sapiens*; qui abutitur *Astutus*. Contrà, qui nihil percipit, *Stupidus*; qui tardè perspicit, *Hebes*; qui nihil perpendit, *Improvidus*. Quod *quis sensu* tenet, id scit; quod *ratione*, id intelligit; quod *fide*, id credit: sed hic relatio verisimilis facit *Persuasionem*; probata, *Assensum*; admissa sine probatione, *Credulitatem*. Quorum causam non intelligimus, *Miramur*; quæ pernoscere volupe est *Rimamur*: sed vera perceptio rei dat *Scientiam*: falso *Errorem*; debilis, *Opinionem*; ex conjecturis veniens *Suspicionem*; nutans, *Dubitationem*; nulla, *Ignorantiam*.

Plato.) Satis hæc accuratè, strictim licet. Transite ab intellectu ad Voluntatem.

Volentius.) Voluntas est vis Mentis rebus bonis Hominem obvertens, à malis avertens. Innatum itaque illi, bona amare ac velle; mala odisse ac nolle. Si quando fit, ut hæc placeant, illa displiceant, ex accidenti est: nempe qui illam externa species decipit, ut bonum pro malo, & malum pro bono accipiens, spernat potiora, eligat deteriora.

Plat.) Annon scientes volentes aliquando bona negligimus, & mala persequimur? Annon Poëta dicit --*Video meliora, probóque, deteriora sequor?*

Volentius.) Ita sanè. Sed & talia Voluntatis peccata ex aliqua intellectionis aberratione veniunt, secúmque Animi conatus enormes, moliminaque irrita, trahunt: Bonum istud, quod Animus videt probatque, aliquâ difficultate terret; Malum contrà suavitate aliquâ allicit. In summa: Boni ignorantia *neglectum* ejus affert (*Ignoti nulla cupido*): satietas *fastidium*: præfervidus amor *Zelum*.

Plato.) Quid est Zelus?

Volent.) Adamati boni anxiè solicita cura; sive, Amor non redamari metuens.

Affectanus.) De Animi passionibus (quas Animi Affectus vocant) disserere meum est.

Plato.) Disserè igitur.

Affect.)

Affect.) Omnium Animi passionum radix est *Amor* & *Odium*: Amor nempe *Boni*, & Odium *Mali*. Nam quoties Mens nostra Bona sua sentit abesse, desiderat illa, optat, sperat, pro adipiscendis illis nihil non tentat: frustrationem tamen metuit, atque si desideratum bonum differri videt, tædium patitur. (Ecce hîc *Desiderium*, *Vota*, *Spes*, *Metus*, *Tædium*!) Si verò ad sunt Bona, gestit Animus, lætatur, plaudit, perfruendoque iis sese oblectat: saturatus tamen rursum illa fastidit; atque si eripiuntur, tristatur, dolet, queritur, pœnitudine affligitur, desperat (ecce *Lætitia*, *Gaudium*, *Fastidium*, *Tristitia*, *Dolor*, *Pœnitudo*, *Desperatio*, quàm se sibi invicem permiscent!) At *mala* magis eum inquietant: quæ ventura abominatur, formidat, tremiscit; adventitia horret, trepidat, aut stupescit; postquam evenêrunt irascitur, mœret, luget. (Ecce iterum *Timor*, *Tremor*, *Horror*, *Trepidatio* aut *Stupor*! *Ira* item, *Mœror* & *Luctus*!)

Affect.) Non semper eôdem modô. In alienis enim bonis aut gratulatur, aut invidet: in malis, aut commiseresci, aut (si perversa est) exsultat & insultat. Ecce *Gratulatio* vel *Invidia*! *Commiseratio* vel *Insultatio*! Quod postremum diabolicum vitium ὀμχαιρεκακίαν vocant.

Plato.) Pereat Invidia, pereat Insultatio! Jámne verò *omnia Animæ* dixistis?

Conscius.) Nondum: intimum ejus penetrale, imusque fundus restat, *Conscientia*.

Plato.) Quid est Conscientia?

Cons.) Tribunal Dei in homine: ubi mens sibi ipsi & actionibus suis obversata, si intellecta & electa bona sequutam, reprobata verò mala aversatam, se fuisse videt, gaudet: sin secùs, pavescit, & sit contra seipsam Lictor & Actor, Index & Testis, Judex etiam, & denique Victor. Hinc illa: *Bona Conscientia juge convivium*! *Mala Conscientia perenne Gehenna*!

Plato.) Recte rem expedistis, laudamus. Abite, & Medici

& Medicos atque Chirurgos adesse jubere, qui nobis Naturæ humanæ præternaturalia ostendant Accidentia.

[*Ibunt, honore exhibito.*]

ACTUS III. SCENA I.

Tres Chirurgi: primus, secundus, tertius.

Eratost.) Hominem Deus fecit rectum, sanum, formosum, utpote ad imaginem suam: at non omnes videmus tales. Explicate igitur nobis humanæ Naturæ defectus, nomina busque suis exprimite.

Primus.) Ita est, Domine, defectus varii, & superfluitates & distorsiones, deformant naturam humanam, intùs & extrà. Secundùm exteriorem enim aspectum quidam sunt *Corpulenti* & *obesi*, alii graciles, macilenti, strigosi: quidam item formosi, alii deformes ac turpes. Secundùm interiorem verò habitudinem alii sunt firmi, alii invalidi ac teneri: in utrisque tamen functiones integræ dant *Sanitatem*, læsæ *Morbum*.

Erat.) Morbi unde veniunt?

Primus. Jam dixi, à læsione Functionum: *Læsio* verò aut *à mala Conformatione membrorum* (ut cùm majora aut minora sunt justo, vel malè figurata, vel perperam situata) ; aut *à solutione continui* (ut in Vulnere, Ulcere, Luxatione, Fractura aut Ruptura) : aut denique *à vitiata humorum crasi*, ut in Morbis.

Erat.) Recensete ista ordine, verbis & gestu.

Secundus.) Malè figurati sunt, *Obtipi*, *Cernui*, *Capitones*, *Cilones*, *Frontones*, *Buccones*, *Labiones*, *Dentones*; & qui habent nasum *aduncum*, vel *reduncum* (resimum) vel *simum*; item *Gibbosi*, *Strumosi*, *Verrucosi*. Cui sunt parvi ocelli, *Ocella* dicitur; Unoculus *Luscus*; cernens oculis contortis, *Cocles*; Distortis *Strabo*; Obliquatis limis (alterutro minore) *Petus*; Semiclausis, & tantùm

tantúm admota videns, *Myops*; non videns ad lucernam; & caligans, *Luscioſus*. *Mutus* eſt impotens fari (à congenita ſurditate) *Traulus* R non pronunciat, *Blæſus* malè ſibilat, *Balbus* hæſitat: *Naſutus* putatur odorari aeriter, *Flaccus* eſſe bardus, *Succulentus* ingluvioſus: *Criſpus* non calveſcere facilè; *Rufus* caneſcere tardè. *Mancus* caret manu, *Ancus* habet contractam. *Sedigitus* redundat digito: *Claudus* claudicat: *Pedo* habet pedes longiores debitô, *Panſa* latiores, *Loripes* incurvos; *Scaurus* talos nimis extantes: *Varus* crura divaricata; *Vatius* in medio extorta: *Valgus* præcraſſas ſuras: *Compernis* ſibi atterit genua.

Tertius.) Mihi vitia quæ à continui ſolutione veniunt enarranda ſunt.

Erat.) Enarra igitur ordine.

Tertius.] *Vulnus* fit cæſim, aut punctim, aut morſicatim (mordicùs); *Plaga*, percuſſione, aut contuſione; *Vibex* verbere; *Puſtula* uſtione; *Pernio* gelatione; *Callus* indurationè; ſed *Livor* eſt ſignum plagæ; *Cicatrix* ſuper eſt à curato vulnere. *Ulcus* eſt ſubcutanea putredo; cujus ſuppurationem vocabis *Abſceſſum*: centrum verò ejus *Vomicam* extillantem pus, rabum & ſaniem; at quod de loco in locum ſerpit, eſt *Herpes*: quod citra ſe carnem exedit, *Cancer*: quod eandem mortuam facit, *Gangræna*. *Ozena* eſt ſuppuratio in naribus; *Reduvia*, ad ungues; *Variolæ* & *Morbilli* ubivis. *Luxatio* fit, cùm oſſa emoventur ſuis acetabulis; *Fractura* cùm diſtringuntur: *Ruptura* accidit Membranis; facíque in Peritonæo *Herniam* (Ramicem) h. e. procidentiam inteſtinorum in ſcrotum, &c.

Erat.] Jam denarrate *Morbos Temperamenti*.

Tert.] Hoc non eſt profeſſionis noſtræ, Domine: ad Medicos hoc ſpectat.

Era.] Fac igitur ut adſint.

Tert.] Fáxo.

[*Exibuntque omnes tres.*]

ACTUS

ACTUS III. SCENA II.

Medici: primus, ſecundus, tertius, quartus.

Apoll.] Omnes Vos profeſſione Medici eſtis?

Primus.] Id nobis honori ducimus, Domine.

Apoll.] Honorata utique ars Medicina, & vos propter illam, juxta illud ſapientis Hebræi: *Honora Medicum propter neceſſitatem.* Sed & lucroſa: juxta illud, *Dat Galenus opes*, Sed mittamus hoc. Sereniſſimus Rex juſſit Vos accerſi, ut nobis Morborum differentias, & nomenclaturam veram oſtendatis. Accingite Vos!

Primus,) Accincti acceſſimus, ad hoſtes illos cum quibus nobis pugna eſſe ſolet, oſtendendum. Producemus eos in conſpectum *ordine Functionis* trinæ, *Naturalis, vitalis, Animalis.*

VENTRICULUS, ſi nihil a limenti appetit, *Anorexia Græcè dicitur*, id eſt, *Inappententia*: ſi plus nimio, *Bulimia, canina appetentia*: ſi abſurda (ut carnes crudas, cretam, picem, &c.) *Pica.* Si idem Ventriculus aſſumta coquit imbecilliter, fiunt *Fluctuationes*; erumpentes ſurſum per *Singultus*, aut *Ructus*; deorſum autem per *Flatus*, aut etiam *Crepitus*, Si coquit pravè, naſcuntur *Vermes*, ſi plane non coquit, ſed rejicit per ſuperiora, eſt *Nauſea & Vomitus*; per inferiora verò *Lienteria.* Si INTESTINA non ejiciunt, dicitur *Conſtipatio* alvi, ſi cum torminibus in ilibus *Ileos* (ſeu *Iliaca paſſio*, & *Volvulus*; ubi cibus ſtercoribus permiſtus rejicitur ore) ſi inteſtino craſſo, colo, *Colica:* ſi verò dejectio nimis crebra eſt, *Diarrhæa*; ſi ſanguinolenta, *Dyſenteria*; ſi pauca, & cum difficultate (aut inani conatu egerendi) *Tenaſmus*; ſi ſurſum & deorſum, *Cholera.* MESARAICARUM obſtructio dat *Inflationes, Melancholiam hypochondriacam, & lentas Febres.* HEPAR, ſi generat ſanguinem

guinem aquoſum intercutem, ſi generat ſanguinem aquoſum intercutem, fit *Hydrops* : ſi ſemicrudum, *Cachexia*, & *Pallor* ; ſi nimis acrem, *Scabies* & *Papulæ* ; ſique occulta malignitas ſe admiſcet, *Scorbutus*, *Lues venerea*, *Lepra*. FEL ; inficiens ſanguinem, efficit *Aurigînem flavam* ſcilicet *Icteritiam*, aut *Icterum nigrum*) *Gracilitatem*, *Tabem*. LIEN verò multas feces colligens, inducit ſiniſtro lateri *Tumorem* & *Scirrhum* : easdem autem derivans ad ani exitum, *Hæmorrhoides* ; aliquando cum *Procidentia ani*, aut *Fico*.

Secundus.) Reliqua læſæ facultatis Naturalis recenſere mihi concedatur.

Apoll.) Conceditur.

Secundus.) SERSUM, detentum diutiùs in ureteribus facit *Lumbaginem* ; in Renibus & Veſica, *Calculum* : ſuppreſſa verò Urina excitat *Iſchuriam* ; ſanguinea, *cruentam mictionem* ; immoderata, *Diabeten*. Aſſimilatio ſangu nis delati ad membra nulla, aut paulula, affert *Marcorem* ; nimia, *Inflationes* & *Inflammationes*) quas vocamus in tonſillis *Anginam* ; ſub lingua *Ranulam* ; in venis *Varicem* ; in cute ubivis *Eryſipelas*) : prava, *Impetigines* : in facie *Lichenes* ; alibi *Vitiligines* (*Lentigines*) inque capite *Porrigines* : ſed *Alopecia*, *Calvities*, *Canities*, ſunt à defectu humidi radicalis. *Superamenta coctionum* aſcendentia ad caput, indéque deſluentia in partes ſubjectas, faciunt *Deſtillationem* (*Catarrhum*) : quæ ſi delabitur ad oculos, facit *Lippitudinem* ; ſi ad fauces, *Gravedinem*, ſi ad tracheam, *Raucedinem* ; ſi exulcerat pulmonem, purulentáque excreatio adeſt, *Phtiſin* : ſi denique ſalſa illuvies detruditur ad ariculos, *Arthritidem* : (quam vocamus in manu *Chiragram* ; in pede *Podagram* : in genu *Gonagram* : in coxendice *Sciaticam*.) Ita ſunt Morbi facultatis Naturales : ſequuntur qui facultatem Vitalem infeſtant.

Tertius.) Sed hos explicare meum ſit.

Apoll.) Perinde eſt, modò recte explicentur.

Tertius.) Motus CORDIS intensus dicitur *Palpitatio cordis*; nullus, *Animi deliquium*; respiratio difficilis *Anhelatio*; nimis frequens, *Asthma*: Thorax ejecturus aliquid molestum, excitat vehementi commotione *Tussim*; Cerebrum *Sternutationem*: at qui dormiunt supini vel proni recubantes, facilè infestantur *Anhelitu*.

Quartus.) Ego *Sensuum* & *Motuum* morbos narrabo, qui à læsione *Cerebri & Nervorum* veniunt. SENSU læsi, sunt *Cæci* & *Cæcutientes*, *Surdi* & *Surdastri*; & quibus est *obtusus odoratus* vel *gustus*, & qui *stupent*, ut attacta non dignoscant; Interno sensu autem, nihil imaginari posse, est *Stupor*; difficulter, *Hebetudo*; absurda, *Delirium* (Delirium verò, cum adjuncta febri, *Phrenesis* est; cum tristitia, *Melancholia*; cum furore, *Mania*): nihil reminisci posse, aut ægrè, *Oblivietas* est. Involuntarius motus unius membri est *Convulsio*; minutus & creber, *Tremor*; cutem tantùm stringens, *Horror*; corpus validè jactans, *Epilepsia*; obrigescens in membro, *Spasmus*; ademptus toti corpori, *Apoplexia* uni lateri *Hemiplexia*; uni membro, *Paralysis*: quæ omnia proveniunt ab obstructione nervorum, & prohibito affluxu spirituûs Animalis: qui si in Cerebro ipso circumagitur, est *Vertigo*. Somnus nullus aut pauxillus, est *Insomnia*, nimius, *Somnolentia*; continuus, *Veternus*; cum respiratione intercepta, & turbulenta somniatione compressoris alicujus, *Incubus*: surgens per Insomnium & obambulans, *Noctambulus* nominatur; vigilans introversis sensibus, & oculis inconnivis, & in animi raptu, *Ecstaticus*.

Tertius.) Absolvam quæ de Morborum natura & differentiis restant. Alii Morbi faciunt dolorem, ut *Calculus*; alii pruritum, ut *Scabies*, &c. alii stuporem & insensilitatem, ut *Paralysis*; alii sunt acuti, citissimè perimentes, ut *Pestis*; alii lenti, diuturnitate affligentes, ut *Phthisis*, &c. alii contagiosi, ut quavis *Lues vaga*; alii afflictant calore & frigore, ut in paroxysmo *Febris*;

quæ

quæ ſemel tantùm veniens, *Ephemera* dicitur; aliquandiu durans, *Continua*; repedans per vices, *Intermittens*: & hæc rurſus vel *quotidiana*, vel *tertiana*, vel *quartana*; vel denique *Peſtilentialis*; *Bubones & Carbunculos* ejaculans; aut tandem latenter & penitiſſimè oſſa depaſcens *Hectica* incurabilis. *Cephalalgia* infeſtat totum Caput; *Hemicrania* alteram partem capitis; *Odontalgia* gingivas: (acutiſſimè, cum infantes dentiunt, quia gingivulæ ſcinduntur:) *Pleuritis* pungit latera: ſymptomata verò moribundorum ſunt, *Stertor lethalis*, *membra infrigidata procidentia oculorum*, &c.

Apoll.) Ita nos ergò ad januam uſque Mortis deduxiſtis, quô utique ingrediendum erit omnibus: *Hodie mihi, cras tibi*, inquit Hebræus ſapiens. Vos autem pro his enarratis habete gratiam: reverſique in Collegium Veſtrum, mittite huc ad nos Phyſicos, qui nobis rerum Naturalium reliquos defectus & Monſtra oſtendant.

[*Exhibitô honore ibunt.*]

Rex ad ſuos.) Tu, Plinii, curioſe Naturalium ſcrutator, age cum iſtis ultimis.

ACTUS III. SCENA III.

Portentius & Fabellus.

Plin.) Vos Naturæ contemplatores, dicite nobis aliquid de Naturæ erroribus.

Portentius.) Accidit utique interdum, ut Natura in rerum generatione deerret. Hinc enim eſt quod in omni genere quædam fœtum abortiant: aut partum producant membris *defectis*, vel *ſuperfluis*, vel *monſtroſis*; vel etiam degenerantem in illud; quod ſcire etiam confert. *Portentoſa Meteora* ſunt, cum pluit ſanguinem, ſulphur, lapides, ranas, & alia inſolita; & cum igniti Globi decidunt;

cùm aciès armatæ viſuntur in nubibus; ſimiliſque oſtenta. Item Vegetabilia, cùm *Triticum* degenerat in *Secale*, imò in *Lolium*; Hordeum in *Ægylopem*, Avena in *Avenam fatuam*, &c. *Monſtrum* in animantium genere eſt, Animal natum biceps, aut triceps bicorpor vel tricorpor: Item bigener, quales ſunt *Muli* prognati ex Aſino & Equa: *Leopardique* ex pardo & Lœna: & *Hybridæ* ex fero & domeſtico ſue. En hominibus monſtroſi habentur *Androgyni*, quibus eſt ambiguus ſexus: & mutili aliquo membro; aut excedentes; aut aliàs inſuetè formati: quibus annumerare licet immanes *Gigantes*, nanosque *Pumiliones*.

Plin.) De portentoſis Avibus, & Serpentibus, & hominibus ſylvanis, & aliis rerum portentis, nihilne habetis dicere?

Fabellus.) Haberemus quæ apud Te, Plini, & alibi, legimus, ſi eorum conſtaret fides: ſed quia nihil talium rerum ætate noſtrâ deprehendimus, dubitare cogimur. Exempli gratia: quod de *Phœnice* ave (exurente ſe ipſam, & reviviſcente è cineribus ſuis) narraſtis: item de *Pelicano*, vivificante pullos ſuas, à ſerpente occiſos, ſanguine ſuo: & de *Boa*, ſerpente, ad 120 pedes excreſcente, integroſque cervos devorante: & de *Hydra* ſepticipite; & de *Gryphe*, vo'ucri quadrupede; & *Harpyis*, obſcœnis avibus, & de *Centauro*, ſemihomine Equo; & de *Pygmæis*, cum Gruibus belligerantibus, &c. videntur fabuloſa. *Fauni* verò & *Satyri*. homines ſylvani, hirſuti, ſemiviri & ſemiferi: *Tritones* item, marini viri, & *Sirenes*, marinæ virgines ſuaviſſimè modulantes, ſi figmenta non fuerunt, dæmonia fuerunt.

Plin.] Itáne quicquid oculis tuis non vidiſti, in dubium vocare licitum tibi putas?

Fab.] Nec tuos vidiſſe oculos talia, neque cujuſquam, credo; aut demonſtrandum eſt, ſeu reipſa in medium productâ, ſeu teſtibus fidis. Nunc è vento iſta collecta ventis narrantur,

Plinius

Plinius, ſubridens.) Civilius diceres. *Sit fides penes Authorem.* Verum interim eſt, multa ingeniosè ab antiquis conficta, ſive ut oblectarent tantùm, ſive ut aliam quandam veritatem obvelarent. Eruditis talia etiam ignoranda non ſunt. Vobis autem recedere jam licebit.

[*Exibunt.*]

ACTUS III. SCENA. IV.

Rex cum ſuis.

Rex.) Ita quoque Microcoſmi luſtramen peregimus: quid jam utilitatis inde ad nos redibit, dicite.

Plato.) Permultum, ſi Nos ipſos inde verè *Noſſe*, & per hanc notitiam Nosmet ipſos ſapienter Regere Poſſet & dehinc Nobis ipſis, tanquam admirabili Sapientiæ Dei organo rectè uti *Velle*, didicerimus.

Rex.) Fac te de his philoſophantem laudiam, mi Plato.

Plato.) Homo, in hoc viſibili Mundo quaſi viſibile numen factus (quippe cui omnia ſubjecit Creator) tanquam omnium Rex, omnibus frui, omnia regere, omniâque formare & transformare ad lubitum, gaudet. Sed regere alia nunquam poterit rectè, niſi ſeipſum priùs regat rectè, quia recte nihil regit, niſi rectum. Regere a. ſeipſum non poteſt recté, ſi ſe non novit rectè: quia ignotæ rei nullum regimen. Nec a. noſſe poteſt ſe totum, niſi ex quibus partibus ſit compoſitus, & quomodo partes illæ cohæreant, & quâ vi ad edendum tales vel tales effectus concurrant, accuratè intelligat. Intelligere a accuraté non poterit, niſi per accuratam *Sui anatomiam*: qualem jam peregimus, Dei ope, Corporis & Animæ reſpectu.

Erat.) Sapienter hæc Plato, uti omnia. Nam is demum qui Seipſum rectè novit, Seipſo quoque debitè

uti, & Seipsum sapienter regere, potest; Corporis & Animæ respectu.

Apoll.) Hinc antiqui suum illud γνῶθι σεαυτὸν (NOSCE TEIPSUM) Cœlo lapsum credderunt, aureisque literis Templo Delphico inscripserunt. Plures tamen aureum hoc dictum recitant, quàm intelligunt, olim & nunc.

Plin.) Ita per fidem. Multi multa sciunt, Seipsum vix quisquam. Nam tametsi Se nosse putant, dum tamen seipsis inscitè utuntur, & seipsos inscitè regunt, vera Sui notitiâ se destitui ostendunt. Qui seipsum, respectu Corporis & Animæ suæ, quâ divinâ arte constructus sit, novit, potest ipse sibi *Medicus, Rex, Doctor*, & omnia esse: quia omnia in se habet, quæ Cœlum, Terra, Mare, habent; quippe omnium compendium factus.

Plato.) Altiùs ascende, mi Plini! Dei quoque ipsius in se reperit similitudinem, quicunque Seipsum rectè novit: quippe ad imaginem Dei factus. Divinæ Omniscientiæ, divinæ Omnipotentiæ, divinæque Beatitudinis plenitudinem in Seipso reperit, quisquis Seipsum rectè novit: trino isto Æterni infiniti charactere notatus. *Mentem* enim infinitæ capacitatis nobis esse datam, ex eo cognoscimus, quòd infinita addiscere possumus, tametsi quis mille annis, aut millies millenis, vivat: expleri abyssus illa, Mentis & Sensuum, nisi æternis objectis, non potest. *Voluntatis* item nostræ abyssus tanta est, ut licet omnia bona, quæ Mundus habet, infundantur, expleri tamen non possit: extendit semper appetitum in ulteriora, & majora. Nec aliter se habet *Animus* noster, cum suis ad res sibi adamatas prosequendum stimulis. Proponit sibi, aggreditur, prosequitur, struit, conatur & molitur, aliud ex alio: ut vix etiam mors ipsa infringere omnes impetus & conatus ejus possit. Quandoquidem & nunc Testamenta condit, & quid ab obitu suo fieri velit disponit. Videbimus

progreſſu luſtraminis noſtri, quàm infinita Mentis, Voluntatis, Viriumque agitationem producat, & veluti novos Mundos ex ſe parturiat, Induſtria humana.

Erat.] Oſtendet hoc Luſtramen rerum Artificialium, Moralium, Spiritualium, quanta ab hoc terreno deaſtro, Homine, veniant: quæ tanta opera cognoſcere, niſi cognito prius Fabricatore ipſô, haud commodè poſſent.

Rex.] Deſinite amici! & pro præſtita nunc diligenter opera gratias habete. Artificialium luſtramen inſtituemus; quam primùm per negotia licebit.

[*Surget, & ab illis comitatus Theatro excedet, reſonante Muſica.*]

Epilogus.

Et prodeſſe volunt, & delectare, Poëtæ, dixit Horatius. Pulchrè, ſi verè. Nec enim delectant ſemper, & omnes: cùm interdum pungant & mordeant: nec proſunt ſemper, nocent potiùs, cum impuris, ſpurcis, obſcœnis Verſibus animos inficiunt, morésque bonos corrumpunt. At præceptores noſtri cum Ludos Scholaſticos (qualem & modò vidiſtis) nobiſcum inſtituunt, revera & prodeſſe volunt & delectare dico, tum nos Diſcentes, faciliores, ſic nobis reddendo labores Scholaſticos: tum Vos, Parentes, Cognatos, Patronos noſtros, certiores Vos ſic de bono in ſtudiis noſtris progreſſu reddentes. Atque ſic oblectatio noſtra utrinque, non eſt oblectatio nuda, ſed utilitatem ſecum fert bonam, ad uſus vitæ.

Quare nos, quorum hodie ſpectaſtis Luſum, Vobis inclyti Domini Scholarchæ, cæterique Generoſi, Reverendi, & in univerſum honorandi viri, magnas agimus gratas, quòd tantô favore nos, & ſtudia noſtra, proſequi, & eruditas luſiones noſtras honoratâ præſentiâ Veſtrâ ornare, non dedignemini *Valete*, nobisque in poſterum etiam *Favete*! iterumque *Valete*!

JANUÆ

Januæ Linguarum PRAXEOS COMICÆ

PARS III.

Mundum Artificialem Scenâ repræsentans.

Sap. 7, vers. 21.

Omnia docet omnium artifex Sapientia.

PERSONÆ.

1 Prólogus.
2 Ptolomeus.
3 Apollonius.
4 Cleantes,
5 Eratosthenes.
6 Plinius.
7 Olitor.
8 Topiarus.
9 Arborator.
10 Agricola.
11 Messor.
12 Tritor.
13 Rationarius.
14 Pecuarius.
15 Equiso.
16 Bubulcus.
17 Subulcus.
18 Caprarius.
19 Opilio.
20 Aviarius.
21 Apiarius.
22 Ptisanarius.
23 Molitor.
24 Histor.
25 Venator.
26 Auceps.
27 Piscator.
28 Lanio.
29 Cocus.
30 Lixa.
31 Visitor.
32 Zytopœus.
33 Lupularius.
34 Polentarius.
35 Destillator.
36 Lappo.
37 Germanus.
38 Hungarus.
39 Rusticus.
40 Textor.
41 Insolator.
42 Pannifex.
43 Coriarius.
44 Alutarius.
45 Sartor.
46 Connodator.
47 Peleo.
48 Sutor.
49 Pellio.
50 Veteramentarius.
51 Interpolator.
52 Ve-

52 Mendicus.
53 Architectus.
54 Discipulus ejus.
55 Faber lignarius.
56 Faber Murarius.
57 Figulus.
58 Vitrarius.
59 Metallarius.
60 Vietor.
61 Restio.
62 Viminarius.
63 Cribrarius
64 Mensarius.
65 Tornator.
66 Frenarius.
67 Ephippiarius.
68 Marsupiarius.
69 Saponarius.
70 Cerarius.
71 Pectinarius.
72 Scopularius.
73 Viator pedes.
74 Eques.
75 Auriga.
76 Clitellarius.
77 Nauta.
78 Natator.
79 Ingeniarius.
80 Balneator.
81 Babitonsor.
82 Lecticarius.
83 Cupediarius.
84 Unguentarius.
85 Musicus.
86 Pictor.
87 Specularius.
88 Epilogus.

PROLO-

PROLOGUS.

Spectatiſſimi Spectatores,

ITerúmne in Literàrio noſtro ludo, ad ſpectandum novum aliquod ſpectaculum, conveniſtis? Non alium ſpero vobis eſſe finem: neque nobis alia mens, quàm gratificari honeſtis deſideriis Veſtris. Idcò puſillus ego prodeo, ſalutatum vos *Patronos, Fautores, Dominos, & Amicos* noſtros honorandos, conteſtatumque noſtram, quam de præſentia Veſtra concipimus, lætitiam. Orat autem per me, ſuum ad vos legatum, totus Civium Scholæ noſtræ cœtus, ut addeſſe velitis oculis benè apertis, & auribus benè arrectis, vultúque ſereno & animo placido: neque permittatis inſulſos quoſdam, qui ſe admiſcére Sapientum turbæ ſolent, cachinnis aut ſtrepitu religioſas interturbáre Actiones noſtras.

Vultis autem ſcire quas Actiones? Breviter accipite. Rex noſter Prolonæus continuabit luſtrationem Mundi: recogniturus hodie res ab ingenio humano profectas, quas vocant Artificiáles. Advocabuntur itaque homines, Creaturas Dei arte tractantes, Hortuláni, Agricolæ, Molitores, Paſtores, Aucupes, Venatores, &c. tum & Mechanici Opifices omnis generis, ſua ſecum inſtrumenta ferentes, & nominantes; & quid iis agant & quomodo, oſtendentes; Latiniſſimiſque verbis exprimentes. Jucunda erit actio: Adeſte! atque eruditos oculos, aures, animóſque Veſtros eruditis luſionibus noſtris paſcite!

Progredietur Rex cum Conſiliariis ſuis (reſonante interim Muſicâ,) & conſidebit ad Regiam Menſam.

ACTUS

ACTUS PRIMUS IRRUPTUS.

REX Ptolomæus. Apollonius. Cleantes. Eratosthenes, Plinius.

Rex.] Consilium Vestrum sequutus, Quatuor Vitæ totius Mundi Res, prout à Deo Creatore prodierunt, Naturæque vi cursum continuant, in compendium breve redigi curavi: sicut & Mundi epitomen, Rerumque in Mundo visibili Dominum, Hominem: dicite quid agendum restat? & quô ordine?

Apoll.] REX, longùm vive! Sapientiæque latiùs expandendæ susceptum opus fœlicitèr urge! Quæ restant non tam abstrusa sunt, evidentiùs spectari poterunt. Ad naturæ subtilitates ægrè humanum pertingit ingenium: sua Opera crassiora pateat faciliùs. Quippe, quæ Mechanicè resolvi possunt, Nomenclaturamque ab artificibus suis obtinent certam.

Cleant.] Dantur quidem etiam tectæ quædam Artes, quæ tam occultâ vi operantur, ut Miracula vidéri possint imperitis: gnaris tamen occultæ illius virtutis etiam illa sunt manifesta: ut *Naturalis Magiæ* opera.

Rex.) Etiam ista sub sensum redigi volumus Quid autem est Ars, & quid à Natura differt: Dic tu, Eratósthenes.

Erat.) *Natura est filia Dei: Ars verò filia Naturæ,*

Rex.) Ænigmaticè loqueris, apertius effare.

Erat.] *NATURA* est vis cuique Creaturæ indita divinitùs, quâ nascitur, sese sustentat, perque sui similium progenerationem genus suum propagat. *ARS* verò est eadem naturalis alveri cuipiam rei humanitùs indita vis, ad agendum aliud quid quam sibi ipsi relicta ageret. Ita Lapis in se vim habet deorsum sese tendendi, metallium

liummotûs sui effectum producit; sed appensus Bilanci pondera merces; librátus, in extructum arte horologium, dimetitur horas.

Rex.] In multáne Artificiósa corpora, talem Naturæ vim transferre didicerunt homines?

Erat.] In innumera: ut Artificialium Operum novum ferè Mundum videamus. Nec adhuc inventationum finis est, excogitantur in dies plura & mirabiliora, Ingenii humani opera.

Rex.] Quomodo igitur tot & tanta illa, quæ Arte inventa sunt, in unum aliquem redigemus ordinem?

Plin.] Non deerit ratio: si meum non aspernari lubebit consilium.

Rex.] Ecquodnam illud?

Plin.] Jubeat REX accersi omnis generis Artifices; secúmque adferri Artis suæ Instrumenta. Dum enim illi instrumenta sua in conspectu Tuo explicabunt, nominabunt, usúmque illorum ad oculum demonstrabunt, effugere nos oculátos nihil poterit: referríque omnia poterunt in catalogos.

Rex.] Hæc via quid reliquis vobis placet?

Apoll.] Mihi sanè perplacet.

Cleant.] Probatur & mihi.

Erat.] Valde rationabile est quod suadetur.

Rex.] Dimittantur ergò mandata nomine nostro per omnes amplissimi Regni nostri Provincias: ut omnium Artificum Collegia certas è medio sui personas, Artis peritas, huc ad nos mittant: idque cum Materia circa quam occupantur; & Instrumentis, quibus operantur: ipsis denique sic productis Operibus suis. Sed agminatim ne veniant? an alii post alios?

Cleanth.] Veniant primò ex Villis, Agris, Sylvis, qui ruralibus occupantur operibus, exindeque sibi & aliis victum quærunt, efficiendo ut Naturalia procreseant fœlicius: Ut *Hortulani*, *Agricolæ*, *Pastores*, *&c.* Quibus se agglomerent, qui Creaturis circa hominis curam provenientibus

tibus insidiantur, alimoniæ itidem causâ : Ut *Aucupes Piscatores, Venatores.* Et quorum labor ista cibis adaptandi, *Molitores, Laniones, Coqui, Potulentorum* denique *Magistri, Vinitores & Zytopœi.*

Secundo loco adsint Artifices Rei Vestiariæ & Ædificatoriæ, & qui Utensilium omnia genera parant. Ordine tertio compareant Viatores cum suis Instrumentis, quibus utuntur : tam Pedites quam Equites, & Aurigæ, & Nautæ. Illosque insequantur Machinatores, & qui Artes oblectatorias tractant sensuum. Tandem evocabuntur è Scholis ingeniorum Artifices, Artiúmque liberalium Magistri.

Apollon.] Non suadeo, prorsus non suadeo, istos admisceri Mechanicis : contemptum interpretabuntur. Præterea multa apud Literatos erunt, quæ attentissimam requirent lustrationem : digna omninò, quorum causâ novum convocetur Concilium.

Erat.) Idem sentio.

Cleant.) Nec ego dissentio.

Plin) Ita fieri è re est.

Rex.) Gratum ratumque habeo. Ingredere ergò, Plini, Tabularium, Magistrique à libellis nostro, ad Opifices manuarios omnes. Diplomata ocyùs expedite, perque Cursores quoquo dimitti, manda.

Plin.) Curabitur.

[*Simulque surget & ingredietur velum.*]

(*Musica*)

ACTUS II. SCENA I.

Plinius regrediens.) Dictum factum Rex, jam veniunt catervatim. Ingredienturque mox tres Hortulani, habitu conveniente cum Instrumentis suis ; 1 Olitor cum Ligone, Bipalió, Palâ, Rastello, Surculo, 2 Arborator cum Falea, Viviradice, Surculo, Falce putatoria, & Scalpro. 3 Topiarius cum floribus & coronis : itemque

que bacellis aliquot & virgulto ad ſtruendum ſepem, Plancas, Pergulas, &c.

[*Ingrediantur ergò.*]

Rex.) Quinam vos eſtis ?

Top.) Servi tui ſumus, Rex clementiſſime, Hortorum cultores.

Rex.) Age cum illis, *Plini.*

Plin.) Hortorum cultores eſtis ? quid eſt Hortus ?

Top.) Eſt locus plantis alendis deſtinatus, ſeptô circumdatus.

Plin.) Quali ſeptô ?

Top.] Sepimentum eſt vel humilius, ut *Agger*, ex congeſticia humo factus ; & *Maceries*, è congerie lapidum acervata : itemque *Vacerra*, ex una & altera pertica conſtructa. Vel eſt altius, ut Sepes è ſudibus & vitilibus plexa ; & *Plancæ* è ligneis tabulis coagmentatæ : aliquando & murus, è cœmento & calce factus.

Plin.) Suntne aliquæ Hortorum differentiæ ?

Top.) Sunt. Hortus enim qui Olerum cauſâ colitur, vocatur *Olitorium* ; qui Fructuum gratiâ *Pomarium* : qui deliciarum ergò, *Viridarium*.

Plin.) Hinc ſcilicet Vos quoque tres eſtis ?

Top.) Sic Domine.

Plin.) Tu igitur, Olitór, tuas primùm ediſſere occupationes.

Olitor.) Ego ſaturus Olera clapido terram, injectôque fimo lætifico. (*ſic.*) Tum eam fodio hôc Ligone (*tunc ſurſum attollens, hôc modô.*) aut hoc Bipaliô (*pede illum Terræ impingens, glebâsque niſu ſic movens.*) Mox adaggero pulvinos, hâc Palâ, & per pulvini areolas ſpargo ſemina (*ſic*) conſarrióque raſtellis (*ſic*). Poſtea ſi Cœlum negat pluviam, hôc Aquiminali rigo. Deinde ſi herbulæ adnaſcuntur, impertinentes exherbo, manibus eas ſarriens, aut hoc Sarculô. Tandem colligo matura Oluſcula, aut radices effodiendo, aut folia ſubſecando, aut evellendo. Hi ſunt ferè labores mei.

Plin.)

Plin. (Quis jam Pomarii agit curam? & quomodo?

Arbor.) Mihi demandata eſt: cui proinde Arboratoris & Putatoris datur nomen. Artis meæ eſt: aut (1) plantare Plantaria, ſeu Seminaria: hoc eſt Conſerere partem horti ſeminibus Fructuum, enatásque inde arbuſculas tranſplantare (ſecundo vel tertio annô) in locum ubi *Arboreſcere*, fructuúmque ferre debent. Aut (2) defractas de Arboribus certis Taleas (*tales ecce!*) depangere in terram. Aut (3) dénique arbuſculas ſylveſtres transferre in hortos, amputatisque ramuſculis radice mergere terræ: vocantur Viviradices (*ecce unam!*) Cujus ſupremè deſectum truncum ego diffindam, (*ſic,*) fiſſuræque immittam hoſ ſúrculos (*ſic.*) & immiſſos ſeu inoculatos obliniam (*ſic*) ne aër ingrediens exarefaciat, antequam ſe ſurculus agglutinet, & ſic accorporet, Viviradici.

Plin.] Quid poſtea fit?

Arbor.] Arbuſcula aliquando creſcit ad luxuriem uſque; emittens præter legitima germina ſpurias virgas *Stolones*: quos ego hâc falce exputo, & ſi quid areſcere incipit, amputo. Si tota Arbor ſiderata ſit & retorrida. eam ablaqueo: hoc eſt radicem ejus refoſsâ humô tingo.

Plin.) Fructibus arborum quid ſit?

Arbor.] Maturi decidunt, plerique ultrò: alli carpuntur manu Strictoris: aut ſi quo manus non pertingit, decutiuntur pértica; vel Arboris quaſſatione excutiuntur & colliguntur à legulis. Sed durabiliores ſunt ſtrictivi cadivis: ſerotini præcocibus, vegeti vietis, conditivi crudis: quamquam quædam naturâ durácini ſunt, &c.

Plin.) Topiarius de ſuis operis quid narrat?

Top.) Sparta mea Viridarium eſt, quod è ſelectiſſimis Floribus rarioribuſque Plantis, exoticis qræſertim, apparo. Exorno etiam opere Topiario: hoc eſt, ambulacris amœnis, perguſis virentibus, ſtibadiſque (ſcamnis

& lectulis) ex gramine. Aquæductibus item, si salientes desint: & Hydraulis, aquæ murmurefonum edentibus.

Plin.) Totúmne hoc? *Top.*) Propemodum.

Plin.) Redite igitur, gnaviterque agite! ut hôc etiam anno Oleribus, fructibus, Odoribusque pulchrè impleatis hortos Veſtros.

Top.) Deo nobis benedicente.

ACTUS II. SCENA II.

Agricola, ſeu Arator, cum Agitatore puero. Meſſores duo, & Triteres duo, ingrediantur ſuô apparatu, Ruſticâque Regis adoratione, Denique Rationarius cum charta & calamo.

Rex.) Examina hos, Apolloni.

Apoll.) Recte feciſtis obſecundando Vos quoque Regiæ Voluntati. Eſtiſne parati operarum Veſtrarum reddere rationem?

Agricola.) Quidni? ego Agrum colo panis cauſâ.

Apoll.) Quid eſt agrum colere?

Arat.) Præparare Agrum ſementi: tùm obſerere ſemine: tandem demetere fruges.

Apoll.) Arvum quomodo præparas?

Arat.) Si accipio ſolum inaratum, dumetis oppletum, exſtirpo ante omnia Vepres Runcóne hoc. Si aratum, ſed continuâ fertilitate laſſum, ſtércoro eum, ut fiat Ager reſtibilis.

Apoll.) Quid eſt Ager reſtibilis?

Arat.) Qui eſt idoneus conſeri farreô ſpicô biennii tempore. Vervactum autem eſt quod alternis tantum annis perſeritur, eoque ſtercoratione non indiget: ſicuti neque Novále, & Ager requietus, non exſuctus.

Apoll.) Aratio quomodo peragitur?

Arat.

Arat.] Iſte meus puer (*oſtendet Agitatorem*) Boves Aratro præjunctos, agitat ſtimulô, ego verò arátri tergum ſubſequens, læva teneo Stivam, dextrâ verò Rallam hanc, qua amoveo glebas, quas faciunt *Vomer* ſub ſe ſcindens, & *Dentale* ante ſe proſcindens, Terram. Ita fit *Sulcus*: cujus cava hæc *ſtria* ſub pedibus meis, *Porca* eſt; everſam verò ad dextrum ſtrigam vocant *Livam*. Deducto autem per totum ſtadium ſulco, facimus verſuram (*ſic*) toties redeundo ſulcatim, donec jugerum fuerit abſolutum. Aliquantò poſt fundum ſic peraratum offringimus denuò iteramúſque & terciamus ſi opus ſit. Atque ſi gleboſus eſt inæquamus etiam, ſive Cylindrô ſupervolataro (*oſtendatur quomodo fiat*) ſive Occis tractim raptatis. In agro uliginoſo facimus Elices (Porcas aquarias) ad uliginem derivandam: demûmque habemus Arvum agrum.

Apoll.] Et quid tum agitis?

Arat.) Ego ſatorem ago, ſeminans per areas frumentum ſementicum: peractam verò ſeminationem iſte puer inoccat; nec habemus plus laboris, Semen enim ultrò germinat, in herbámque, culmum, & ſpicam creſcit: niſi quod ſe ad miſcent Zizania, à quibus ut ne ſata ſuffocentur, eruncamus ea.

Apoll.] Maturis verò frigibus quid facitis? Dic tu, falcibus armate:

Meſſor.] Quando ſegetes flavaſcunt, plenôque grano turgent, immittimur iis agminatim nos Meſſores, qui dentatis hiſce Falcibus fruges demetimus; aut his acutis Seculis deſecamus; demeſſas aut deſectas manipulatim diſponimus; tûm manipulos in Mergetes colligimus & Tomicibus colligamus, congerimuſque acervatim per quindenas, ſpicilegio egénis relictô, ſtipulâ verò paſcuis. Demùm venit Colónus, mergetéſque Mergâ prehenſos, injicit paluſtro, & convehit in Horreum, aut in Nubilarium; (*tectô quatuor columnis impoſito, attolli & demitti aptô contextum*) vel denique in ſimplices acervos majores.

Apoll.) Vos ibi cum ligneis istis flagellis quid agitis? Annon excutiendis frumentis inhiatis?

Tritor.] Maximè.

Apoll.] Antiqui excuſcabant frumenta ſuperductis Bobus, aut exterebant ſupervectâ Tribula, h. e. ploſtello, ſeu Tragulâ: quid Vos?

Tritor.] Nos hodie perticis iſtis, quibus ponderoſum appenditur verber, faciliùs grana excutimus, (*ſic*) exeuſſáque Ventilabro iſto (*cum ventus flat*) ſubjectamus (*ſic*) ut ſeparentur Paleæ. Ab aceribus autem expurgamus hôc pennatô verriculô: iſtô Incerniculo ſecernimus recrementa: demúmque frumentum purum inferimus Granariis: aut ſi hoſtis metuitur ſubterraneis Cryptis. Stramenta verò, à tritura reliqua, religamus in faſces. Hoc totum eſt opus noſtrum: plus non didicimus.

Apoll.) Tu, poſtreme, cum ſcheda iſta; & calamo, quid tibi vis; quis es?

Rationar.) Sum rationum perſcriptor, additus iſtis à meo hero cuſtos, ut minus furentur.

Apoll.) Simplices hi, bonique viri, etiam furari ſciant? Sed quis eſt Tuus herus?

Rati.) Hereditarius Fundi Poſſeſſor, qui quandoque Prædium ſuum elocat cuipiam alii, tanquam Locator Conductori. Nempe aut Colono ad dies vitæ, pro annua penſione vel ſervitiis: Aut uſum fructum ſaltem ad aliquot annos *Mancipi* (quem uſufructuarium vocant, nomineque novo *Arendarium*): aut Partiario, adividendos proventus, ex eo quod alter dat fundum, alter ſemen & laborem: aut denique Villico, ad villicandum fideliter pro condicta mercede. Hi autem omnes iſtis utuntur Aratoribus, Satoribus, meſſoribus, Tritoribus.

Apoll.) Et his omnibus ſuperaddunt te Coryceum?

Ratio) Ita.

Rex.) Satis hæcrectè. Abite ad labores Veſtros; otiari vos diu non expedit.

ACTUS II. SCENA III.

Pecuarius cum ſuis pecorariis, Equiſone, Bubulco, Subulco, Caprario, Opilione, Aviario, & Apiario, quiſque ſuô habitu indutus, ſuíſque armis inſtructus. Tandem Veterinarius, cum pyxide & herbarum manipulo.

Rex ad philoſophos.) Novum ante nos habemus exercitum. Experire cum illis, *Cleanthes.*

Cleanthes.) Quis tu es turbæ hujus ductor?

Pecuar.) Ego pecorum curâ victum quæro. Lacticiniis puta, & Lacinio, & Carnibus, & Pellibus, & Fœturâ. Hi autem ſunt famulitium meum, in providenda pecorii ſtabulatione & pabulatione mihi adminiſtri.

Cleant.] Loquamur ergo primùm de te, tuóque è re pecuaria proventu; dehinc illorum adminiſtratorias ſectabimus operas. Lacticinia nominaſti primùm, quæ Latiniùs Lactaria diceres; quid hoc rei eſt?

Pecuar.) Vaccæ, Capræ, Oves, dant nobis lac, quô nihil alibilius; & ex quô præterea Butyrum & Caſei (duæ illæ menſarum & culinarum columnæ) parantur. Nam villica mulgens ubera pecudum, excipit ac mulctrâ (ſeu mulctrali) percolatúmque per linteum, infundit in ſinos, & abdit in frigidum. Poſtridie ſdemit innatantem pinguedinem (*florem lactis*) ſuccuſſationéque vaſis facit Butyrum, remanente oxygalâ. E ſecundario verò lacte, coaguli ope condenſato, format Caſeos (*in hac tali Caſearia forma*;) aut manu preſſat *Metas*, defluente ſerô lactis; quod & ipſum eſui eſt.

Cleant.] Quid de Lanicio dixiſti?

Pecuar.] Lucrum eſt ex ovibus: quæ quia bis anno tondentur, Vellusque (*ſeu lanicium*) Lanarii vendítur, non exiguum facit.

Cleant.] Quis autem ex Carnibus tibi proventus est?

Pecuar.] Mactationi destinatæ pecudes segregantur ab aliis, opimantúrque saginâ in haris. Atque ut pinguescant melius, castrantur, fiúntque ex Tauris Boves, ex Verveecibus Arietes, ex Hircis Capri, ex Verribus Majales, &c. sapidiores omninò & vendibiliores, integris & non castratis.

Cleant.] Pelles pecorum etiam ad allquid sunt?

Pecuar.] Maximè. Dant enim Pellicea, Coria, Alutas, varios in usus.

Cleant.] Quid est Fœtura?

Pecuar.] Nova pecorum natio; Fœtant enim adeò pecudes feliciter, si matrices fuerint seminis boni, ut quilibet Grex quolibet anno congeminet seipsum; porcinus etiam decuplo amplior fiat. Quantum hoc!

Cleant.] Hinc est quod antiquorum divitiæ non pecuniæ fuerunt, sed Pecora.

Pecuar.] Etiam hodie, Domine, pecorosus facilè fit pecuniosus; domíque præterea lautè vivere potest.

Cleant.] Fac jam Famulitium tuum narrare nobis munia sua.

Pecuar.] Divisos habeo In Curatores Armenti, & Gregis minoris, & Avium. Dic tu, Equiso primus, quomodo te tractare docui Equos meos.

Equiso.] Non ignoro ego, nobilissimi Equini generis Magistex, artes meas. Stabulum mihi est aut sub dio, Campus: aut sub tecto, Equile. Ille requiritur pascuis lætus, hoc pabulo benè instructum. Ibi alimentum est herba viridis: hic fœnum aridum & avena. Quæ quomodo parentur ne ignorare me putetis, dicam. Fœnum in pratis nascitur: felicius, si pratum fuerit naturâ irriguum; salubrius, si loco siccíore. Si tamen pratum planè fuerit siccaneum, irrigandum est corrivatis eò rivulis. Cum fœniseccii tempus est, desecant Fœniseeæ gramen falcibus: quod

quòd ſic per ſtigas relictum ſiccatur vento & ſole. Dehinc corraditur Raſtris (*ſic*) in Cumulos, acervatúrque bidentibus in Metas (*ſic.*) Vectatur denique in Fœnile: in prato verò renaſcente gramine fit Chordum, fœnum ſecundarium, novellum, delicatum: quòd tantò libentiùs ſicilímus, ut ne quid ejus pereat. In Equili autem paſco Equos (alligatos capiſtrò ad præſepe, & interſeptos longurionibus) avenâ, quam eventilo vanno, (*ſic*) evannatámque obſipo, cum defecto ſtramine, & fœno. Interdum tamen loco avenæ alicaſtrum, vel ſiligo vere ſata, aut farrago (miſcellaneum frumentum) adhibetur. Mane verò dum Equi mei paſcuntur, perpurgo eos ſtrigili: atque ſi quis mordax eſt, conſtringo illi ora poſtomide, ſeu ſiſcellâ, Everto autem quotidie ſtabulum.

Cleant.] Benè loquacem habes Equiſonem, diſertè explicat negotia ſua. Quid jam reliqui?

Pecuar.] Narra tu tua quoque, Bubulce.

Bubulcus.] Mihi ſtabulum eſt Bubile: pabula verò vel recentia in Campo; vel miniſtrata domi, herbacea, paleacea, ſtramentitia, interdum & frumentacea. In paſcua ſoleo armentum meum prodigere per publicos actus (*via eſt inter agros pecori facta*) Ubi ea in locis compaſcuis compaſco, & ne dilabantur compeſco; ſi verò locus unus toti gregi non ſufficit, diſpeſco hinc inde. At domi Bubus meis pabulum exhibeo, (dum in præſtigis aut quibuſcunq; ſeptis ſtabolantur) in præſepi vel cratibus, & deduco aquarum. Plus neſcio.

Pecuar.] Dic tu, Subulce, tua.

Subul.] Ego multo minùs quod dicam habeo. Pecus meum rude eſt, ruditer à me rudi tractatur. Foris paſcitur glandibus arborum, aut radicibus herbarum; domi paleis, furfure, culinarum colluvie. Saturatum tamen ſibi grunnit & ſe volutat in cæno: nec mihi ad illud emundandum ſtrigili opus eſt, aut balneò. Delicatum non eſt: delicatas tamen dat carnes, farcimina, lárda, porcellos.

Pecuar.] Hoc jam narrare non est tuum, Tu, Caprarie, quid tibi circa Gregem tuum laboris est?

Capra.] Muneris mei pars potissima custodia est, & attentio, ne se lædent, vulnerent, perdant. Petulcum enim est pecus meum, concurrumt facile cornibus, & inter se arietant: tum verò spineta perreptantes lacerant cutem: & evegantes à grege præda fiunt lupis. Pabulum sibi quærunt ipsæmet per dumeta & fruticeta: nisi qnòd istis deficientibus, conscendere soleo sylvarum arbores, opputatásque frondes illis dejectare, quas depascunt. Mulgeo denique Lac, & conficio Caseos, laudatissimi saporis.

Pecuar.] Satis jam: Tu, Opilio, charissimæ possessionis meæ curator, tuam explica solertiam?

Opilio.] Meum pecus, Oviculæ, quantô simplicius animalculum est, tantô requirit attentiorem curam. Stabulum illis est Ovile: quod esse bene structum & tectum convenit, ad arcendum hieme ventos & frigora: & pavimento eroderatô ac proclivô, quò lævi negotio repurgari possit, (aliàs uligo & lanam corrumpit, & scabiem ovibus importat:) aut certè stramenta illi, vel virgulta, subjicienda sunt identidem. Æstivis Mensibus eas pastum ego primâ luce: quia longè suaviùs, avidiúsque gramina rorulenta tondent diluculo, quàm siccata meridie: ubi potiùs sub rupes umbrosas, aut sub patularum arborum tegmina, compellendæ sunt. Messe finitâ eas in agrum ago, ubíque pasco duplici commodo: quòd & caducâ spica saturentur, & obtritâ stipulà simoque suo agrum stercorent. Quo fine & pernoctare ibi soleo cum grege incluso Mandris (*caulæ sunt tralaticiæ, mobili sepimentô factæ,*) quas postridie promoveo longiùs, ad stercorandum totum agrum: mea quoque Mapalia carrucâ circumvehens. Ut verò tutas reddam â lupis, alo hosce molossos quos & ipsos munio contra lupos hocce millô. Ut verò habeam obsequentiores Oviculas, oblecto hâc fistulî: quod si cantum non curant, en flagrum in propiores! en pedum in remotiores, quo erutâ

terræ

terræ glebulâ, in eâsque projectâ, terreo, & in viam reduco. Habeo à totam ovariam insignitam charactere heri mei; peculium a, in grege meum (*meas proprias oviculas*) meô propriô.

Pecuar.] Define. Tibi, Avarie, quid officii datur;

Avia.] Cohortis tuæ cura, & eorum quæ ibi pascuntur, Pavones, Gallopavones, (*Indicæ gallinæ*) Cygni, Anseres, Anates, Gallinæ, Columbi: è quibus plumæ velluntur pro explendis lectulis, & culcitris; carnes verò cedunt mensis. His ego paro cubilia sua, Columbaria, Gallinaria, &c. præsertim tempore fœturæ, ut maturè & magnâ copiâ parant: pullósque certâ arte defendo à milvis & aliis avibus rapacibus.

Pecuar.] Rectè hæc ita disposui: Quid tu, Apiarie, narrare habes?

Apiarius] Egone? si fandi copiam facitis, dies non sufficiet. Adeò me sapientis populo (*Apum*) sapienter ordinatæ Reipub. præfeciſti, ut non tàm ego illis ministrem pabula, quàm illæ mihi sapientiam. Plus enim ex illis disco, quàm omnes Philosophi ex libris suis.

Cleant.] Quid tu ais? Philosophorum tu Libris anteponis Apes tuas? Cedo igitur quid ex illis didiciſti, audiamus!

Apiar.) Sic est, Domine, ut dixi, vix illi creaturæ plus solertiæ ingeneravit creatrix sapientia, atque pusillæ huic volucri, Apiculæ. Omnium nobiliſſimarum virtutum clara hîc extant documenta, Prudentiæ, Temperantiæ, Justitiæ, Fortitudinis, &c. nam hominum more solitudinem aversantur, societatem amant: ocium fugiunt, labori semper vacant: cúmque pariter opus faciunt, munera tamen inter se partiuntur. Nam adoleſcentiores ad opera prodeunt, meteriamque conquirunt & convehunt; seniores intus omnia disponunt; dum aliæ flosculos excipiunt; aliæ cutes cellulis sexangularibus struunt, aliæ eas collectâ mellagine explent, & ne effluat, membranulis oblinunt: aliæ denique cibum pro omnibus diebus parant; aliæ certis cellulis incubando, soboli

novæ

novæ producendæ vacant. Castitas enim illis tanta est ut solæ animantium coitum ignorent, congestis tantum, flosculis incubando, vermiculos albos excludunt; quibus pòst adnascuntur pennæ, ut Apiculæ fiant; qui fœtus, intra quadraginta dies, absolutus, mox cum matre laboret, mella quærens & fabricans. Munditiem mire amant, spurcitiem nullam inter se, aut in vicinia, tolerant: excrementa intus operantium unum in locum ingesta, turbidis diebus per otium exportant. Nec liguriunt ut muscæ, in carne, sanguine, adipe, aut unguentis. Si quis delibutus prope accedat, spiculis à se abigunt. Interdiu laborant, nocte quiescunt, utrobique tamen quibusdam ad Alvei portam excubantibus, ut ne quid hostile intret. Nocte propinquante minus minusque in Alveari strepitant, donec una circumvolitas, bombo emisso silentium imperet: quo facto, silentium altissimum consequitur. Mane iterum una (gemino vel trigemino bombo tanquam buccina) reliquas à somno excitat, redeúmque ad labores cunctæ: nempe si dies mitis futurus (*præsentiunt enim*) foras provolando; sin, domi operando. Cúnque tam ordinata multitudo gubernari non possit sine legum disciplina, disciplinæque custode Magistratu; Magistratuum verò diversæ sunt formæ, sapientissima hæc animalcula elegerunt sibi eam Regiminis formam, quàm Sapientissimi viri cæteris anteposuerunt, Monarchiam. Habent enim Regem cui obtemperant, & qui illis cum justitia & æquitate præest. Hic ex selectissimo flore, majori cellulæ incluso nascitur non vermiculus ut Apes ipse, sed mox alis præditus. Forma illi eximia, corpus duplo quam reliquis majus, ingressus celsior, frons maculâ tanquam Diademate candicans. Aculeus aut nullus, aut sine usu: Manifesto documentò Reges clementiam decere, non sæviciam. Palatium huic extruunt in media Alveatis regione amplum: unde tamen egreditur quotidie, operas perlustrans omnium. Si foras procedit (*quemadmodum sit cum nova Colonia ducenda est aliò, Examen novellarum Apum novelli regis ac ducis sub instructum*) comitantur

mitantur eum tota ſua plebs: eum volatu circumdans ac protegens, ne cerni & capi poſſit, cupitque una quæque illi eſſe proxima, & in officio conſpici: ſique laſſum videt, ſuccollat ſuis humeris, eum geſtare geſtiens. Tandem ubi ille conſidet, unà circumeirca ſeſe conglobando. Comprehenſo Duce, omnes ſe captivari putant, eúmque in Alvear tranſlatum, aut quôcunque, ſponte ſequuntur: amiſſo autem dilabuntur, & ubi poſſunt, aliis communicatibus ſeſe aſſociant, quia ſine Rege vivere non poſſunt. Quæ omnia ſi rationabiliter imitari ſcirent homines; O quàm tranquilliora & florentiora eſſent ubique omnia! quantâ pace, quantâ rerum abundantiâ, melleiſque deliciis afflueremus!

Rex ad ſuos converſus.] Iſte Ruſticus talium obſervator revera ſapit ſupra omnes iſtos Philoſophos, qui abſtractis ſuis immerſi ſpeculationibus ſine uſu philoſophantur.

Apoll.] Si talis uſu reciperetur Philoſophandi ratio, ex libro Naturæ, omnino mihi perſuadeo ſapientiores nos futuros.

Cleant.] Sed abſolvat Apiarius. Heus bone Vir! narraſti nobis (*in expectatâ, ſed nobis gratâ digreſſione*) tuas circa Apum Rempublicam obſervationes: explica jam quoque tua illis præſtari ſolita miniſteria.

Apiarius.] Non adeò multa ſunt. Providendum tantummdò eſt Apiculis de commodo Alveario, ad villam, vel hortum, aut ſylvam, ubi florum omnis generis copia ſit: tumultus tamen hominum pecudúmque, & latrinæ, & ſterquilinia, abſint. Et cavendum ne mures alveos perǀódant, mellis cauſâ, &c. Mellationis tempore eximuntur cautè favi, è quibus mel ſincerum effluit: Crates verò ſiquantur in Ceram. Sed ut ſibi favos demeri patiantur, abigendæ ſunt fumo. Hoc totum eſt.

Cleant.] Quid autem iſte ſibi vult cum herbis & pyxide?

Voter.] Domine, quia pecudes etiam ſuos habent morbos

morbos quibus infestantur (Oves an helationem & scabiem; Capræ febrem; Sues grandinem; Boves coriaginem, Equi hippomanem, &c.) Veterinaria medicina non est ignoranda illis, qui rem pecuariam curant: ignoratur a pleriſque. Ego itaque hanc artem tracto, ut ignaris ſubvenire, mihique inde panis fruſtulum parare queam.

Cleant.] Rectè facis: quòd ſerviendo aliis tui quoque habeas rationem. Nemóne veſtrúm ſupereſt? (*Illi: Nemo*) Redite igitur ad greges veſtros, rémque communem induſtriâ juvare pergite.

ACTUS II. SCENA IV.

Ptiſanarius & Molitor, cum Piſtore.

Rex.] Eratoſthenes, ſcitare ab iſtis qui ſunt, & quid ferant.

Erat.] Salvete Viri boni; profeſſionémque ſtudii veſtri edite.

Ptiſan.] Primi ſumus inter Mechanichos, qui rebus naturalibus artificiales, introducunt formas, pro comparandis tantò pluribus vitæ commoditatibus. Noſtram, circa victum frumentaceum machinatio ſtatim ab orbe conditio nota eſt.

Erat.] Ede artem, Inſtrumentorúmque uſum ediſſere.

Ptiſ.] Quiſque pro ſe loquatur: ego ſum Ptiſanarius. Antiquitùs tundebant ſolummodò frumenta, tali piſtillô, in tali mortario: accipientes indè Ptiſanam (*talem: ex!*) Deinde reperta eſt Pila, in qua pilô græcô, pede ſublato & demiſſo; aut pilô ruidô, aquis agitatô, pinſebatur frumentum, ut inde proderet Alica, ſeu pultes: officinaque ipſa dicta fuit Piſtrinum.

Molitor.] At inventorum meorum melior fuit, Frumenta in minutiſſimum pulverem, Farinam dictam, com-

comminuendi: unde varii delicati cibi parantur.

Erat.] Nolite hîc de prærogativa contendere. Posteriores cogitationes utique meliores, sed nec priores tamen laude suâ privenrur. Dic igitur potiùs, quâ arte Farina confiat.

Molitor.] Duo accipiuntur Saxa, ex pumiceorum genere, rotundanturque exactè, & ponitur alterum super alterum, Tum inferius figitur; ut stet immotè, superius autem circumgyratum celerrimè conterit (immissa per medium ejus foramen) grana. Quæ ibi contrita labuntur deorsum sic, ut per Saccum cilicinum excernatur in farinariam cistam pollen; furfur v. ejectetur foras in aliam cistam. Officinæ hujus datum est Molæ nomen: (recentiores moléndinum quoque vocant): quæ si manibus humanis circumagitur, Manuaria dicitur & trusatilis: si jumentis, Asinaria: si aquâ preterfluente, Aquaria; si ventò, Alata. Ad majora verò flumina fiunt Molæ cum binis, trinis, quadrinis, &c. Moletrinis: quæ si omnes molunt, tantò majus emolumentum. Tandem didicerunt sine mola farinam emoliri, sola tritici maceratione & exculcatione: Amylum vocant.

Pistor.] At hæc sine ope mea nondum esui sunt. Ego Pistar farinam denuo cribro, tali cribro: effusáque aquâ & fermento, subigo (sru manibns, seu lignea spatha) in Mactra: & fit fermentata Massa. Undemassulas decerpo; denuóque manibus depso, in rotunditatem formo, palæ impono, & furno (unde priùs ignem prorui rutabulo) ingero. Ita fit Panis, habens duas crustas, superiorem & inferiorem, medullámque intus porosam.

ACTUS II. SCENA V.

Venator cum rusticis, Auceps, Piscator, Lanio; Coquus cum Lixa.

Venat.) Adsumus, magne Rex, tuo jussu, nos qui alimoniam procuramus externam. (*Rex.*)

Rex.) Tu, Plini, compella illos.

Plinius.) Quisque vestrûm pro se loquatur, ordinis causâ, suámque edat artem, edifferat & opera.

Venat.) Ego sum Venator, primarius Aularum Ministter: qui Agrestes & indomitas Feras certis artibus insequor, persequor, assequor, Principumque culinis trado.

Plini.) Quæ illæ sunt Artes?

Venat.) Minores feras, Lepores, Vulpes, Lupos, capio Canum ope; Operatiores enim nictando indagant, odoratúque vestigant, donec inveniant, latebrisque expellant. Tum Vertagi numellis exsoluti, & venatorio tornu incitati, persequuntur, donec assequantur, terræ affligant, dentibus conficiant. Aut cingimus arbusta indagine, & tendimus casses, erectos super varos: implicatasque cassibus Bestias contundimus clavis, vel capimus vivas, Quin & majores feras, Capreos, Cervos, Alces, Apros, Ursos, &c. ita captandi mos est. Sed & pellectas in Scrobes, Foveásque, feras aut transadigimus venabulô, aut vivas captas transferimus in Vivarium.

Plinius.) Quid Auceps dicit?

Auceps.) Ego captandis volucribus meam locans operam, exstruo ad arborem alicubi, inter sylvas, Aream reti aucupatorio superintectam, cui offundo escam, ab arbore autem suspendo Amitem; cum circumdatis calamis viscatis. Mox dispono hinc-inde illices (aviculas caveis inclusas) quæ transvolantes aves cantu suo allicant: & tendo alias quoque decipulas, pédicas, tendiculas, & laqueos cum supposita esca. Atque inde me frondeo abdens latibulo, expecto dum transvolantes aviculæ sese demittant, & mea præda fiant; Si enim devolant in Aream, adobruo eas reti, funiculo à me dejecto; si calamis viscatis insident, implicant sibi alas, volareque non valentes decidunt: si saltitant inter tendiculas, illaqueant transennis pedes aut colla. His mihi artificiis fœliciſſima quandóque obtingit captura.

Plinius.)

Plinius.) Non autem tibi alia eſt aucupatio?

Auc.) Imó plurimæ. Sic enim minores feré tantum aviculas decipimus: Coturnicibus, Perdicibus, Attagenibus, Tetraonibus, Anatibus feris, aliiſque decipiendis aliæ nobis ſunt Artes. Quibuſdam & aves prædatrices immittimus, Accipitres, Falcones, Niſos; qui nobis prædam aguni.

Ado.) Si quas aves vivas ſervamus, includimus caveæ: ibique paſtionem præbemus in canaliculo, potionem in potiſtri.

[NB. *Hæc omnia exhibenda ſunt reipſâ, quæcunque poſſunt.*]

Plin.) Quid tu ſequens?

Piſc.) Ego Piſcator ſum, qui aquatili pecori, Piſcibus & Cancris, inſidior varié. Nam interdum piſcor Hamo iſto: cui inditam eſcam quisquis piſcium admorſerit, meus eſt. Interdum Flumini mergo Naſſam hanc: in quam ingreſſo non datur regreſſus. Aut mergo Fundam, cum cujus filamentis ludunt piſces, donec extrahantur. Aut traho in anguſto fluviolo Sagénam; in latiori verò, aut in lacu. Tragulam; & hâc majus (*atque Sagenam habens*) Verriculum; quæ infernè ab appenſis plumbeis iſtis maſſulis merſantur, ſuperné verò ab his ſubereis allevantur. Maculæ dicuntur foramina retium ſtrictiora aut latiora, pro granditate piſcium Soleo & noctu Lintre circumvehi, facéque ardente a quæ allucere: cui ſplendori majores piſces adnatanda ſupernatant, iſtâque ſuſcina à me confodiuntur. Quoties piſcatura bona obvenit, ſoleo partem piſcium divendere partem includere in Vivarium (ſeu ſecluſorium, unde rurſum cum opus eſt depromam Excipulo): partem condio muriâ pro ſalſaments.

Lanio.) Meam quoque, Lanion's, videre avetis artem? Ego mactaturus altilem pecudem, deduco in Lanienam (Hungari quibusdam in locis in plateis mactant): ibique eam proſterno clavâ, rum jugulo Clunaculo, & excorio

excorio ſeu deglúbo, hoc excoriatorio cultro: poſtea diſſecto fruſtatim hac ſecuri. Sues tamen priùs perfundo aquâ candente, aut amburo flammis: mox facio Pernas, Petaſones, Succidias. Concisisque viſceribus minutim, effarcio ſuilla inteſtina, & fiunt Farcimina, tùm craſſiora, Apexabo & Faliſcus; tum graciliora, Botulus & Lucánica: poſtea Carnes venum expono in Macello. Plus nihil novi.

Coquus.) At ego novi. Ubi vos deſinitis, ego incipio.

Plin.) Quis tu es?

Coq.) Ex omnibus quæ hominibus cibatui ſunt eſcas parandi artifex.

Plin.) An ergò Coquus?

Coquus.) Sic me vocant.

Plin.) Oſtende igitur artificia tua!

Coquus.) Oſtendam ad oculum, & exprimam purâ culinariâ Latinitate. Ecce! Aves deplúmo (*ſic*) poſtea exénteró (*ſic*): Piſcem deſquámo, poſtea ex dorſuo, interdum & exoſſo (*oſſa eximo.*) Induratos verò contundo tuditibus, ut molleſcant; ſalitos macero aquâ, ut dulceſcant. Elixanda elixo ollis. operculo tectis: aſſanda aſſo verubus, ſuper hæc crateuteria verſatilibus; ſed ſuppoſitâ ſartagine, ut ne pinqueq od eliqueſcit pereat. Aliqua etiam torreo ſuper Graticulam hanc, aut frigo in lebete (ſeu frixorio): ſed ſi nimium, fiunt cremia. E conſectis particulatim carnibus facio Minútal Paſtillos Turundas. Si quid efferveſcendo bullit, confúto trulla, ne equlliat: ſi ſpumat, deſpumo hâc rudicula. Hac autem ſulſcinula extraho fervida: hâc fiſcellâ colo juſculenta. Si quid condiendum eſt aromatibus, aut raphanô, vel caſeo, &c. comminuo iſta priùs hoc piſtillô. in hoc Mortario: aut conquaſſo rudiculâ in hoc Catino; aut denique tero ſuper hanc Rudulam. Habetis pleraque artificia mea, artificioſâ brevitate expoſita.

Plin.) Quid iſte ſqualidus à latere tibi?

Coq.) Diſcipulus eſt meus: per contemptum Lixam vocant;

vocant, & ab accendendo igne Ciniflonem. Age puer, fac ut quid ſcias videant!

Lixa.) Ego accendendo igni habeo (*ecce*) Igniarium, cum repoſito ibi fomite: in quem cùm chalybe excuſſa è ſilice ſcintilla incidit, adhibeo hanc ſulfuratam & accendo ignem: (*Accendat.*) & ſubdo lignis, tùm ſufflo buccis aut flabellô, Prunas collectans batillo. Tum ſi quando nobis focaria deeſt, verro ſcopis culinam, everróque quisquilias. Eluo item coquinaria vaſa: quæ quum colluuntur, fit colluvies; aſſervanda porcis, aut eluenda per fuſorium foras. Habetis meas quoque artes.

Plin.) Macte virtutibus eſto! ſed ite jam ad convivium, quod vobis paraſtis.

ACTUS II. SCENA VI.

Vinitor cum perſonis mutis, Paſtinatore, & Pytinario. Zytopœus cum Lupulario & Polentario. Deſtillator.

Vinit.) Rex optime: Nôrunt Philoſophi tui naturalem potum eſſe aquam, dehinc lac, ſerúmque lactis: ſed & nô unt non bona carmina ſcribi aquæ potoribus, Nos igitur, en, adſumus docti parare potiones ſublimiores, Vinum, Cereviſiam, Mulſum, aliáque Temeta, & Cremata vina! placétne quibus parentur artibus cognoſcere?

Rex.) Blandos iſtos homines alloquere, Apolloni.

Apoll.) Dicite, boni viri, annon hominum meliòr eſſet conditio, ſi abſque Vobis eſſet? Sinebriaſtis mundum, & impleviſtis intemperantiâ.

Vinit.) Abuſus rei bonæ non tollit uſum.

Apoll.) Sanè. Sed quid ſi abuſus major ſit uſu? Exponite tamen Artes veſtras.

Vin.] Ego planto Vineam: obſerens collem apricum viticulis

viticulis novellis, aut propăgans Vites veteranas traducibus. Scio & cacumina Vitium mergere terræ (*ſic*) quod cacúmen poſtquam radicavit, diſcindo arcum, fiúntque vites ex una duæ. Quia verò vitis adeò genitalis eſt ut ſibi permiſſa luxurietur, nimiaque ubertate ſterilefcat, deputo illam quotannis ad radicem uſque: è reſece tamen pullulant novi Palmites. Qui cûm parò per ſe ſurrecti ſint (licet capreolis quicquid poſſunt apprehendant) arrigo eos & alligo ſtatuminibus: nempe aut Arbori, aut ridicæ, ſeu pedamini, aut tranſverſo canteriolo ſive jugo. Unde Vitis arbuſtiva, aut pedata, aut canteriata (ſive jugata, ut in horris Principum) dicitur. Paſtino item Vineam bidente, & repaſtino: mediaque æſtate luxuriantes comas reſecans, pámpino: tandem uvas maturas colligens vindemio, racematione pauperibus relictâ.

Apoll.] At nondum habemus Vinum?

Venit.] Audite. Botros abſciſſos ſcapis (à quibus pendent) comportamus Pytinis in Torcularium, conjicimúſque in Forum vinarium; tùm calcamus pedibus aut contundimus ligneo pilô, & effundimis in Lacum, unde Muſtum defluit per qualos in orcas: reliquus uvor ex ăcinis exurgetur Torculari. Sed Vinum lixivum ſuavius eſt tortivo; muſteum dulcius eliquato: meracum fortius dilutô. (Poſtea abdimus vina in cellas, Doliis ſuper cantherios elevatis: cúmque bibenda ſunt, relinimus dolium & promimus vinum, ſiphunculô aut epiſtomiô. Aliquando, ſi corrumpi incipit vitiô vaſis, elutriamus; hoc eſt, in aliud vas transfundimus.) Vultis etiam Vini differentias noſſe? Hornum eſt feculentum; annótinum defecatum. Défrutum vocant Sapam, exoletum Vappam; factum ex aqua & vinaceis, Loram; mixtum ex aqua & aceto Poſcam. Præſtantiſſimum vinum eſt Apianum (ex apiana vite) odoriferum. A locis verò denominata vina optima ſunt: in Græcia Cretenſe (Malvaticum): in Italia Falernicum: in Hiſpania Alicantricum & Canarium; in Hungaria Tokainum. Sed Abſin-

sinthites, Helenites, aliáque medicata vina, factitia sunt: Hippocras, omnium aromaticorum delicatissimum.

Apoll.] Et tuum palatulum videtur ad pitissandum bonum vinum satis delicatum. Quid vos relliqui?

Zytop.] Domine, scis non ubique terrarum nasci vinum: Parant ergò sibi humorem ex frumento, ad similitudinem vini; vocántque alii Zythum, alii Vinum cereale, & Cerevisiam, quasi Cereris vim in aqua.

Apoll.] Quomodo ergò illa Cereris vis paratur?

Lup.] Ego primùm inservio coctura Zythi, parans illi conditúram, Lupum salictarium (vulgus Lupulum vocat) quô integros obsero hortos & campos, Vineti adinstar, hoc modô, Pástino terram liratim, inseróque illi turiones lupuli, per cubiti (vel semicubiti) distantiam: ad singulos cauliculos depangens palos prælongos, quibus sese circu nplicando sursum serpant. Serpunt ergò, locóque fructûs ferunt flores fasciatim crescentes: quos ego, postquam permaturuérunt, abstringo, ássicco, bonôque lucro divendo.

Polent.] Ego verò Polentarius Hordei, aut Tritici grana magnis álveis macero, donec intumescant: eáque rursum desicco in pavimento, versóque & reverso sæpius, usque dum dissiliendo germina producere cæpterit. Tum habeo Fumarium farrarium oblongum, cui superstérno grana mea, & siccando eo[illegible]mô converto in bynem dulciculam: quæ permòlita molendino polentario fit Polenta, Cerevisiæ materia proxima.

Zytop.] Tùm ego permiscens Polentæ Lupulum, excoquo magnis Ahenis Cerevisiam, uno factu decem, viginti, triginta cupas: quæ itidem deportata in Cellam defecatur. Quod si eam acescere aut mucescere contigit, infunditur acetariis ampullis, & fit acetum, æquè ut ex vino.

Destill.] Ego autem fortissima vina, naturale quodvis vinum superantia, prolicio è fecibus Vini aut Cerevisiæ: vel ex fermentato farre aut sylvestribus pomis,

piris, & quovis fructu. Illa enim fermentô priùs præparata infundo in hunc Lebetem (Veſicam diſtillatoriam vocant) cui ſuperimpono Alembicum & obturo, ne uſquam expiret. Tum hunc ejus naſum, aut canalem, mitto per dolium aquâ frigidâ plenum, quæ illum infrigidando caleſcere facit infuſam Materiam, vaporareque cogit. Vapor autem aſcendens in alembicum, ſentienſque ibi, & in canali frigus hoc, condenſatur in aquam ardentem, hôc in vas exſtillantem. Aqua hæ vocatur Vinum erematum, & ſublimatum: medicinæ quidem primariô ſerviens (ad ventriculum incalefaciendum) alieubi tamen loco potûs eſt, ſi adeò forte non ſit.

Apoll.) Qualecunque ſit tuum crematum vinum, furibundum tamen eſt, & tales facit potores ſuos, nec vitam fovet ut Vinum, ſed depaſcit, exſiccat, exurit. Tu ergò arte tuâ plus vitam humanam perdis quàm juvas. Auferte vos hinc, gulæ miniſtri.

ACTUS III. SCENA I.

[*Tres prodibunt ſuô quiſque habitu (1) Lappo. (2) Germanus (3) Hungarus.*

Lap.] [illegible] tegendam nuditatem, & adverſus aëris injurias, opus nobis eſt amictu. Quô antiquitas acquieſcebat, & nos adhuc ſimplices gentes acquieſcimus, ſimplici. Nobis enim ſatis eſt velare caput a ſole Cucullo; corpus ab algore Braccâ; pedes a cœnoſa & ſcruposa viâ Sculponeis (*oſtendat pedem dextrum ſic indutum*) vel Carbátinis. (*quas habeat, & oſtendat in altero pede.*)

German.] Noſtro ævo, & in gentibus cultis, omnia aliûſmodi, ad luxuriem uſque nitidè & habitu multiformi, ſegmentato etiam, acupicto, plumato. Nos Germani (cum vicinis Gallis, Italis, &c.) caput contegimus pileo, ornato ſpirâ & offendice, aut umbellæ cauſâ pétaſo;

pétaſo, aut domi deſidentes galéro; vel frigoris causâ pileo pelliceo. Indumenta corporis nobis ſunt, intimè induſium lineum, totum corpus tegens (ſeu interula) ſuper hanc aliquando brevior ſubucula (ſeu Camiſia) lanea: cui ſuperinduimus Thoracem, cingulótenus pectori aptatum, infernéque laciniis ornatum. Femoribus verò induimus ſubligacula, ſeu Braccas laxas; Cruribus tibialia (antiquí cáligas vocabant) ſubſtringenda faſciis tibialibus. Pedibus calceandis habemus Calceos, Ocreas, Crepidas. Calcei partes ſunt; Solea, Obſtragulum, Calcaneum, Anſæ duæ, Corrigia una: cujus nodus al quando tegitur rosâ. Ocreæ præterea habent Cruralia. Crepidæ contrà deeſt calcaneum & anſæ; ſoleæ verò inſuitur molle ſuber.

[*N B. Calcei partes oſtentabit in pede ſuo: Ocream & Crepidam acceptas in manum.*]

Tandem ad amiciendum nos, honeſtatis ergô habemus *Pallium* apertum, ſine manicis: & ornatûs causâ ex ſíndone candidiſſima ſuper humeros Collaria, ad manuum carpos Manualia. Fœminæ noſtræ colunt capillos variè pexos, plexos in plegmata, concinnatos & redimitos tæniis corollisque, aut obvolvunt caput Vittis & Calanticis ac Ricis, faciemque interdum prætegunt Peplis. Pro palliis verò habent Pallas, & his breviora Amicula.

Hung.] Nos, cum reliquis Orientalibus populis, eo varietatis & vanitatis progreſſi non ſumus. Caput tegimus ſimplici laneo pileolo. (Trneæ lineâ, aut xylinâ circumvolvunt Tiara.) Induſiis utimur brevioribus, femoralibus autem longioribus, crura ſimul & pedem arctè munientibus. Thoracis loco Tunicâ, crurum-tenus demiſſa; & vice pallii Togâ talari manicatâ. Calceamenta plebis ſunt Perones ſemicrurales, de corio nigro: Nobilibus autem Cothurni, è pretioſioribus

sanguineô, vel aureo colore tinctis pellibus (ut hîc videtis) firmatis sub calcaneo ferreis soleis. Superflua ista colli & manuum oneramenta (illi ornamenta vocant) non curamus. Quâ ratione omnia nos habere simpliciora, eôque expeditiora, & tamen nitida, quis non videt?

(His dictis abibunt.)

ACTUS III. SCENA II.

Apoll.) Quia omnis Vestitus est Lineus vel Laneus; Gossipinus vel Sericus; Pelliceus dénique, vel Coriaceus; neque ullus parari potest sine filis netis; placétne ut Artifices ingrediantur qui materias illas elaborant? Et hos deinde insequantur qui ex elaboratis jam materiis Vestes parant.

Rex.) Esto.

[*Ingredientur ergò Rusticus cum Lini fascibus duobus, crudo & facto, netóque: Textor cum suis instrumentis, & Insolatore. Pannifex Coriarius, & Alutarius.*]

Rusticus.] Linum & Canabim ego ruri sero: sed maturâ illâ uxor mea, cum servabus, evellunt, calicibus destringunt, resíduis scapis in Lacuna macerant, rursumque (sole, aut hypocausto) torrent. Malleô stupario (Frangibulo) conterunt (decidentibus corticibus) terreôque carmine reliquum carminant (*sic*) dentibus carminis adhærente stupâ, decidentibusque floccis. Mox netrices formantes ex facto sic jam linô pensa, superilligantésque Colo, trahunt sinistrâ filatim, dextrâ verò torquant Fusum aut Girgillum, unde fila ducuntur in Alabrum: hinc in Harpédonem, è quâ glomerantur glomi, ut fiat idonea texturæ Tela; quam ego, ecce, trado Textori.

Textor. Mihi à texendo nomen est: non autem dicti

Tela

me. sed & esse, Textorem ostendam. Primùm ex hac Tela faciam Stamen, quod circumvolvam Jugo: insidénsque officinæ meæ textoriæ, deculcabo alternatim insilia. Quô factô litia se distendunt, secumque stamen diducunt, ut trajectare queam radium, cuiſpannus inest: & sic intexo Stamini Tramam, densóque linteum adactô pectine; decidente hinc inde titivillitiô.

Insolat.) Ita detexta Tela traditur mihi, quam ego aprico expones: & supinde aquâ conspergens, imò in aheno recoquens, soléque siccans, ita candefacio ut nivea evadat; parata ad omnes elegantiores usus. Hinc me Insolatorem vocant.

Pannif.) Ego lanam carmino, similíque artificiô stamen factum super textoriam Machinam in Pannos verto, eósque in fullonicam mitto. Præsertim levidenses: ubi illi à Fullone in Pilam injecti, & aquâ identidem perfusi, stipantur ingenti pilô: aut mitto ad Tinctorem, qui eos cortínis injectos variô colore tingat. Unde exempti, ne se deformiter contrahant, extenduntur super pannitendio, donec exsiccescant. Tum eunt in Tonstrinam, expansique super mensam tondentur forfice tonsoria; tandemque à Tonsore complicantur in Volumina.

Apoll.] Vos reliqui duo quinam estis?

Coriar.] Cerdones nos per ludibrium vocant, quasi Sordones: quod ne fiat deprecamur, utilissimas enim præstamus operas. Animalium exuvias lixivio macerantes & Scalprô rasoriô depilantes. Ego Coriarius præparo duriora coria Sutori.

Alut.] Ego verò Alutarius molliores & crispatas alutas Sartori.

Apoll.] Honestas res agitis: cavilla quid ad vos?

ſanguine & vel aureo colore tinctis pellibus (ut hîc videtis) firmatis ſub calcaneo ferreis ſoleis. Superflua iſta colli & manuum oneramenta (illi ornamenta vocant) non curamus. Quâ ratione omnia nos habere ſimpliciora, eôque expeditiora, & tamen nitida, quis non videt?

(His dictis abibunt.)

ACTUS III. SCENA II.

Apoll.) Quia omnis Veſtitus eſt Lineus vel Laneus; Goſſipinus vel Séricus; Pelliceus dénique, vel Coriaceus; neque ullus parari poteſt ſine filis netis; placétne ut Artifices ingrediantur qui materias illas elaborant? Et hos deinde inſequantur qui ex elaboratis jam materiis Veſtes parant.

Rex.) Eſto.

[*Ingredientur ergò Ruſticus cum Lini faſcibus duobus, crudo & facto, utróque: Textor cum ſuis inſtrumentis, & Inſolatore. Pannifex Coriarius, & Alutarius.*]

Ruſticus.] Linum & Canabim ego ruri ſero: ſed maturâ illâ uxor mea, cum ſervabus, evellunt, calicibus deſtringunt, reſiduis ſcapis in Lacuna macerant, rurſumque (ſole, aut hypocauſto) torrent. Malleô ſtupario (Frangibulo) conterunt (decidentibus corticibus) terreôque carmine reliquum carminant (*ſic*) dentibus carminis adhærente ſtupâ, decidentibuſque floccis. Mox netrices formantes ex facto ſic jam linô penſa, ſuperilligantéſque Colo, trahunt ſiniſtrâ filatim, dextrâ verò torquant Fuſum aut Girgillum, unde fila ducuntur in Alabrum: hinc in Harpédonem, è quâ glomerantur glomi, ut fiat idonea texturæ Tela; quam ego, ecce, trado Textori.

Textor. Mihi à textendo nomen eſt: non autem dicti

Tela

me. ſed & eſſe, Textorem oſtendam. Primùm ex hac Tela faciam Stamen, quod circumvolvam Jugo: inſidénſque officinæ meæ textoriæ, deculcabo alternatim inſilia. Quô factô litia ſe diſtendunt, ſecumque ſtamen diducunt, ut trajectare queam radium, cuiſpannus ineſt: & ſic intexo Stamini Tramam, denſóque linteum adactô pectine; decidente hinc inde titivillitiô.

Inſolat.) Ita detexta Tela traditur mihi, quam ego aprico expones: & ſup'nde aquâ conſpergens, imò in aheno recoquens, ſoléque ſiccans, ita candefacio ut nivea evadat; parata ad omnes elegantiores uſus. Hinc me Inſolatorem vocant.

Panuif.) Ego lanam carmino, ſimilíque artificiô ſtamen factum ſuper textoriam Machinam in Pannos verto, eóſque in fullonicam mitto. Præſertim levidenſes: ubi illi à Fullone in Pilam injecti, & aquâ identidem perfuſi, ſtipantur ingenti pilô: aut mitto ad Tinctorem, qui eos cortínis injectos variô colore tingat. Unde exempti, ne ſe deformiter contrahant, extenduntur ſuper pannitendio, donec exſiccescant. Tum eunt in Tonſtrinam, expanſique ſuper menſam tondentur forfice tonſoria; tandemque à Tonſore complicantur in Volumina.

Apoll.] Vos reliqui duo quinam eſtis?

Coriar.] Cerdones nos per ludibrium vocant, quaſi Sordones: quod ne fiat deprecamur, utiliſſimas enim præſtamus operas. Animalium exuvias lixivio macerantes & Scalprô raſoriô depilantes. Ego Coriarius præparo duriora coria Sutori.

Alut.] Ego verò Alutarius molliores & criſpatas alutas Sartori.

Apoll.] Honeſtas res agitis: cavilla quid ad vos?

ACTUS III. SCENA III.

Sartor. Connodator. Pileo. Sutor. Veteramentarius, Pellio. Interpolator. Mendicus.

Sartor.] Sartrix, æmula mea, ſuit ex linteo Interulas, Capitia, Collaria, Muccinia, aliáque linteamina: quæ rurſum Lotrix, quoties ſordidantur, élavat. Mihi Sartori Panni omne genus afferuntur, unde paro Veſtes. Acceptâ igitur ad ſtaturam cujuſque menſurâ, diſcindo hâc meâ forfice pannos, rurſúmque, ope Acûs & digitalis, conſuo ſciſſuras Filô duplatô, & ceratô. Ac ne Suturæ notabiliter exſtent, complano eas hôc ferramentô preſſoriô. Ne verò in Veſtis margine filamenta diffluant, circumſuo illis Limbum; aut præſuo Lemniſcos; paſſímque obſuo (præſertim in fimbria) Inſtitas. Partibus autem Veſtimenti, quæ pro diverſo uſu, jam conjungi, jam disjungi debent, diverſos addo nexus: nempe aut Ligulas binas, ut adſtringi ſibi ínvicem queant nodo laxô, rurſúmque diffibulari poſſint. Aut denique nodulos & ocellos ex ſerico, ut ſibi inſecti, rurſúmque ſolvi veleant.

Connodat.] Ego didici contorſione trium ferreorum bacillorum è filis nexare Chirothecas, Tibialia, Subuculas, & quicquid placet, pereleganti opere. (*En ſpecimina!*)

Pileo.] Ego majus quid novi: è lana baculis artificiosè coacta facere Impilia, permadere nequeuntia: & exinde Pileos, Udones & alia.

Sutor.] Materia mea eſt corium (*oſtendat.*) Hoc ego adaptans Muſtriculæ, ſeu calopodiô *ligneo pedi*) diſcindo, rurſúmque conſuo, ope Subulæ hujus, aciæque picatæ (N B. *oſtendet hæc ſingula*) quam ſetâ cuſpidatam videtis.

Veter-

Veteramentarius, à tergo illi ſtans.) Ego verò uſu detrita calceamenta reſarcio.

Pellio.] Meæ artis eſt è villoſis pellibus parare Pellicea, Rhenónes, Pileoſque pelliceos.

Interpol.] Meæ verò tritas & defloccatas veſtes diſſuere, invertere, & reſuere: eoque modo interpolatas, & pexas veluti novas reddere.

[*His dictis illi ſenſim excedant.*)

Mend.) Egò verò miſernm mendicabulum, dum nec pannum habeo unde emam novum, nec iſtis manupretium ſolvere poſſum, neceſſe habeo ex collectis hinc-inde reciſamentis conſarcinare mihi hinc centonem, centies & millies reſarciendum: dum quotidie novis fiſſuris nova pannucia apponenda ſunt. Videtiſne quàm pulchre variegatus ſum?

ACTUS III. SCENA. IV.

Architectus cum Diſcipulo. Deinde prodibunt vocati Fabri duo, Lignarius & Murarius.

Architectus.) Ain? invaſit te Architectonicæ cupido
Diſcipulus.) Admodum.
Archit.) Scin' autem quid ſit Architectonica?
Diſcipul.) Benè ædificandi ſcientia.
Architectus.) Unde in deſiderium ejus veniſti?
Diſcip.) Legi nuper Mortales primitùs in ſpecubus tantùm habitaſſe, & Frondeis Tabernaculis. Poſtea cæpiſſe ſtruere Tuguria ceſpititia, & Gurguſtia craticia, lutò circumlita: demúmque didiciſſe ad ſtabilitatem ædificare & magnificentiam, Domos. Palatia, Urbes. Tentaviſſe etiam in abdito ſubſtruere Cryptoporticus: & in aërem ſurſum Turres, cum prælatis faſtigiis: ſtupendæque molis Pyramides, Obeliſcos, & perplexa ædificia

ficia Labyrinthos, unde quis ſemel ingreſſus non reperiat exitum: Ambulatoria item Pegmata. Addebatur, Architectonicam conſtare numerorum, menſurarum, ponderúmque myſteriis; eſſéque veluti Colophonem totius Matheſeos, Quis in talem ſcientiam non exardeſceret?

Archit.] Laudo: ſed tu Matheſeos adhuc ignarus, ad penetralia ejus penetrare non potes. Gratificabor tamen tibi, populariter quodammodo te ſuper ædificandi arte informando.

Diſcip.) Gratum feceris.

Archit.] Concurrunt in ædificando, Architectus, Operarii, Inſtrumenta. Architectus eſt director ædificii, qui ſtructionem dirigit ſecundùm exemplar præconceptum mente, aut delineatum in charta, vel fabricatum è materia, quod Ideam vocant, & Modulum, ſeu Modellum; quale hîc vides. Operarii ſunt Fabri, lignarii & murarii: quos etiam neceſſe eſt opera ſua exactè intelligere, ut ne in ruinam ædificent. Scis quid mihi incidat? Advocemus eos huc, eóſque de exſtructione conſulamus: addiſcet facilé munia eorum, cum inſtrumentis ſuis, & eorum uſu.

Diſcip.) Opto: Fiat.

Archit.) Fabri, Fabri, ubi eſtis? huc vos agite.

Fab. Lign.) Quis nos vocat? adſumus.

Archit.) Propoſitum nobis eſt ædificare Domum amplam, decoram, ſtabilem, vultiſne nobis adeſſe conſiliô, ode, manu?

Fab.) Conſilium vel gratis dari poteſt; opus ipſum requirit ſumptus.

Archit.) Conſilium ineamus, quid opus erit ut Domus extruatur ampla?

Fab.) Spatium amplum, Materia ſufficiens, Operariique multi.

Archit.) Quid autem ut domus fiat?

Fab.] Diſpoſitio pulchra, in longum, latum, & profundum: per omnia externa & interna.

Archit.)

Arebit.] Ecce hîc Proplasmata futuræ Domûs meæ construxi, observa nunc sibi omnia respondent symmetricè.

[*Faber lignarius acceptum in manus contemplabitur, versabitque tacitè; tum dicet..*]

Placent omnia. Frontispicium est satis decorum; Vestibulum satis amplum; Janua hæc antica [*omnia monstrans digitô*] satis capax: Limen non adeò altum, ne qui per ostium ingreditur impingat pedem; superliminare verò tantò elevatis, ut ne caput illidat. Postes utrinque satis firmi: dexter ad sustinendum appensas cardinibus Fores; Sinister ad retinendum claustra, re sera effringi possit; sive fuerit Laconica intus abdita; sive pensilis extra. Obex hic affixus Fori, apperiendus pessulo hoc, rectè ita ponetur. Et ludo quòd Transennam addideris: ut si quis extraneus ingredi volens, oppessulatámque januam reperiens, pulset, Janitor priùs prospicere, & hostis an amicus sit videre, antequam aperiat, possit. Per ostium hîc venietur in cavædium. Rectè: ita in ampliis Ædificiis convenit. Exinde in Porticum, seu circumcolumnium, deambulationi destinatum: & hoc pulchrè. Demùm in Atrium: bellè! Inde verò in cætera conclavia: itémque foras, per posticum: utiliter. Et quia Domum non tantum distegam, sed tristegem (*annumerato Tecto*) esse vis: probo quod ex infima contignatione ad mediam ascensionem feceris per Scalas rectas; ad supremum per Cochleam. Tectum, columini medio sic superpositum, erit dectinatum, seu displuviatum. Tigilla rectè sunt imposita Cantheriis; Cantheriorum verò divaricata crura rectè sic incumbunt Transtris: Transtra rursum Trabium proceribus. Proceres verò rectè sic longius progeruntur, ubi facere debent suggrundia ampla propter hoc subjectum Podium, seu Pergulam; & angularem istam projecturam, Menianum. Sed tigilis tandem quid superimponcs? Domum tuam qua Materia con-

conteges ? ſtramineo culmine ? Abſit, Nec Scandulæ adeò durabiles, ut adverſus incendium tutæ ſint. Imbrices forent optimæ. Hanc autem tecti partem apertam manere vis ? ut habeas ſubdialem Aulam (Altanum italis dictam ?) perbenè : ſed pavimentum deligenter fieri curabis, ne pluviis reſolvatur ; ſive fuerit fiſtucatum, ſive regulatum, ſive teſſelatum. Sicut & alibi in ſubtegulaneis locis, ubi pavimento inambulamus : Laquear verò nobis impendet tabulatum vel cameratum. Nihil in his deſidero.

Archit.] Die vero jam, Quid requiritur ut Domus ſit firma ?

Fab. Lignar.] Si profundè erit fundata, benè materiata vel murata, intus columnis affabrè ſtatuminata, ne laquear ruat, extra autem pilis fulta, ne parietes vacillent, perſtabit diu incolumis. Si tamen labeſcere incipiet, ſuffulciatur denuò collapſa, vel deſtructa, reſtauretur.

Archit.] Video te artis non ignarum. Differe jam de materiatura. Quando è lignis ædificandum eſt, quid ibi obſervandum ?

Fab.] Ligna ædificiis apta cædantur hibernô, decreſcentèque Lunâ, ut ne fiant teredinoſa. Ibi Lignator eligat Arbores procéras, tum has ſternat, ramos decacuminet, è trunco tigna deformet : quæ per unam & alteram æſtatem ſiccata, pulchram dabunt ædificio materiam.

Archit.] Quid verò jam tui erit operis ?

Fab.] Nos Fabri lignarii elevamus Lignum ſuper Cantherios, affigimúſque anſis ferreis, ut ſe non moveat : tùm illud lineamus hâc amuſſi : ſecundúmque coloratam hanc lineam deaſciamus Aſcià, aſſulis decidentibus ; interdum diſſecamus runcinâ ſi *Serrâ ſcilicet majore*) ſcobe recidente. Demum exaſciatis rectè omnibus, compaginamus Parietes, configentes tigna clavis trabalibus, explentés que intertignia muſcô. Tum parietarius delutat Caſam lutô, palcatô vel aceſato (*ſtramineſo* ;)

noso;) quandoque tamen ſine materiatura effingit lutamenta, è formaceis parietibus.

Arch.] In cœmentitia ædificatione aliter proceditur: expone rem ordine tu, Faber murarie.

Faber Murarius.] Apud nos primò Lapidarius conquirit Lapides, tùm per campos colligens, aut rutro eruens; tùm vectibus effringens è Lapicidinis. Quos Lapicîda conquadrat ad normam cœlo & tudite (*ſic*) ut ad ſtructuram benè quadrent, Sicubi non eſt Saxorum copia, coquuntur Lateres: qui ſunt lapides coctiles ex intrito (hoc eſt luto arenæ mixto.) His paratis, Faber cœmenticius poſito ſolidé fundamentô, ſuperſtruit Muros, ad libellam ſemper (hoc eſt, ad perpendiculum) quàm altè opus: donec quodvis conclave concameret fornice ſeu teſtudine. Tum verò Tector ſtructuras trulliſſat, tectorô, gypſatôque dealbat: pavimenta ipſa ruderat, pavit, aut teſſellis conſternit.

Archit.] Eſtne aliquid amplius?

Faber.] Non recordor; operari ego, non de operibus concionari, didici.

Archit.) Ago gratias, amici, pro benevola conſiliorum communicatione: de executione videbimus aliâs.

ACTUS III. SCENA V.

Figulus: Vitrarius: cum aliquot perſonis mutis.

Cleant.) Habuimus artes ædificatorias: veniendum eſt ad Opificia, quæ domus implent Utenſilibus; quibus humana vita carere non poteſt: & parantur è materia minerali, vegetabili, aut animali. Placétne REX, primos vocari primò? Figulum nempe, Vitrarium, Metallarium.

Rex.)

Rex.) Placet.
Cleant.) Vocentur ergô.

[*Hîc prodibit.* 1. *Figulus cum rota, & fruſtis argillæ, Olla, & Teſtis aliquot.* 2. *Vitrarius cum tubo cui alligabitur veſica inflatilis: Feneſtra & Laterna.* 3. *Metallarius cum virgula & laterna.*

Cleant.] Oſtendite vos quid agere didiceritis.
Figulus conſidebit ad Rotam & dicet.] Ego circumagens hanc Figularem Rotam, fingo ex argilla benè præparata, Ollas, aliáque fictilia. Quæ poſtea excoquo furno, incruſtoque Lithárgyro. Teſtas tamen ſolidare neſcio.

[*Tentet componere, illæ verò dilabantur ſemper: donec pertæſus abjiciat, & ſurgat.*]

Vitriar.] Ego ex arena, cinere, ſale, intentiſſimo igne liquatis, formo perflatu ferrei Tubi Vitreamina, cujuſcunque placet formæ. E quibus Feneſtrarius facit Feneſtras; coordinando vitra ſpecularia intra jugamenta, & applumbando ſtannêo ferrumine, ne excidant. Laternarius verò laternas format; reliquens pro lucerna inferenda & eximenda, oſtiolum.

Metallurg.] Ego ſum Metallurgus, metallorum eruendorum magiſter. Cujus officii eſt latentes mineras ſcrutari, ope hujus (*ecce*) Virgulæ divinæ! Quam ego terram perambulans ita manibus geſto (*oſtendat:*) illa verò ubicunque Metallum ſentit, eô ſe inclinat, imò potenter torquet. Atque cùm eam manu dimitto terram ferit, & ſubeſſe Theſaurum oſtendit. Ego itáque convocatis Foſſoribus, fodere jubeo, & fodiunt. (*Ecce unum habetis metallicum foſſorem ridiculè intectum bardocucullo & Perizomate per nates!*) Hi repertâ Venâ metallicâ, ingrediuntur cum acceſa quiſque lucerna in fodinæ antrum, impingunt cuneos, decutiúntque fruſta terræ metallicæ, & extrahunt foras. Hîc Diſcretor ſecernit impuritates ſaxeas: Lotor elavat ſecreta: alii deferunt in Uſtrinas,

&

& collique faciunt (*sic*) ut Metallum à scoriis liberatum profluat. Quod venditur Fabris: qui quid faciant, lequantur pro se ipsimet.

Faber Ferrarius.] Nos inflando ignem follibus emollimus Metalla: mollitáque eximimus forcipe & cudimus super Incúde malleis. *Ego Faber Ferrarius* fabrico ferramenta varia.

Faber Claustrarius.] Ego faber claustrarius facio claustra; seu claves & seras.

Faber Serrarius.] Ego Serras.

Faber Falcarius.] Ego Falces & seculas.

Faber Cultrarius.] Ego Cultros cum manubriis.

Faber Aciculatius.] Ego Acus & aciculas.

Malleator.] Ego Thoraces ferreos, & Loricas ex annulis ferreis contextas.

Faber Gladiarius.] Ego Gladios cudo: sed quos Polio polit, instruitque capulis, & superintegit vaginis.

Fatet Ærarius.] Meum est æramenta cudere, tiligineoque marculô lævigare.

Flator æris.] Ego fundo ex oricha'co Campanas (*pulsatiles ferreo pistillô*) Tormentáq; bellica, Mortaria, & quidvis.

Lamentarius.] Ego ferrum, aut cuprum, diduco in tenues laminas; ex illísque fabrico laternas, lampades, & alia.

Aurifaber.] Ego verò pretiosissima tracto metalla, Aurum & Argentum, ex illis faciens annulos, torques, scyphos, & alia.

Monetarius.] Ego publicâ Authoritate Nummos cudo, in officina Monetaria. Sed sunt impostores etiam quidam.

Alchimista.] Dixistis omnes; sed non omnia. Nemóne inter vos est Alchimista? Ferrum vel cuprum in aurum transmutandi artifex? Si quis es, & taces, sapis: aliâs enim æternum mancipium. Principis alicujus es. Ego nescio an discere audeam. Dicam: quæro Tincturam, sed, *st!*

ACTUS

ACTUS III. SCENA VI.

Cleanth.) Ingrediantur jam Opifices, qui ex vegetabilibus, Linô, Cannabi, Virgultis, Lignis, neceſſarium parant ſupellectilem.

[*Ingrediantur ergò ſex perſonæ, & loquentur ordine ſic.*]

1. *Reſtio, ſtupâ cinctus & funes geſtans manibus.*) Ego Funes & funiculos è cannabi & ſtupa, Reſtes autem ex Arborum libris, torqueo.

2. *Viminarius, Virgulta & corbem ferens.*) Meum eſt ſirpare Corbes è viminibus: quandóque decorticatis & exalburnatis. *Ecce!*

3. *Cribrarius Cribrum, capſásque ferens, rotundam & oblongam.*) Ego facio Cribra ex aſſulis flexilibus, attenuatis, rotundatíſque. Item capſas, rotundas vel ovales. *En!*

4. *Doliarius, ſuis cum armis; paratóque labró & doliolo.*) Me Vietorem vocant, & Doliarium, qui doliaria conficio vaſa. *videte hîc Dolium!* Partes, ex quibus compoſitum eſt, ſunt 1. ſecamenta in longum: deinde in latum funda duo, antícum & poſticum. Circuli denique iſti viminei, ſecamenta conſtringentes. Obſervate & Foramina duo: ſuperius in ſecamento, pro infuſione liquoris; & inferius in fundo, pro emiſſione. Illud occluditur operculô, ſeu obturamentô, hoc Siphone (*tali*) aut epiſtomio (*tali.*)

5. *Arcular. cum inſtrumentis ſuis.*) Ego tabulata conſtruens opera, aſſerem divido Serra, & edolo Runcinâ, & deplano Planulâ; plures tabulas aduno impage (*aut ſubſtúde*) *ecce!* & conglutino glutine: atque ut niteant quæ nitere debent, coloro, coloremque ſuperlino vernice.

6. Tor-

Tornator.] Ego ſubtilitate omnes vos vinco: hôc torno meo ad omne beneplacitum meum corrotundans ligna, cornua, ébora, & quicquid placet (*Ecce*) Mihíne palma negetur?

ACTUS III. SCENA VII.

Cleant.) *Tandem veniant, qui ex animalium quorumcunque exuviis utenſilia quæcumque darent.*

[*Ingredientúrque ſeptem ſuis cum operibus, quæ oſtentantes ita dilaudabunt.*]

1. *Frenarius.*) Ego Frenarius è corio Frenos, variàque loramenta, paro Aurigis.

2. *Ephippiarius.*) Ego ex iiſdem Equitibus paro Ephippia, Sclopetarias thecas, & ſimilia.

3. *Marſupiarius.*) Ego ecce Marſupia, Crumenas, Vidulos, Bulgas paro. Præmunio item capitellis ligulas.

4. *Saponarius.*] Mea ars eſt è ſebo coquere Saponem, ſebaréque candelas.

5. *Cerarius.*] Mea, verò, fundere faculas cereas, aut trahere funiculorum inſtar, & circumvolvere Lychnucho.

6. *Pectinarius.*] Mea, conficere Pectines, corneos, éburneos, ligneos, raris & denſis dentibus diſtinctos, pro pectendis capillis: pro comendis autem comis pectines ſetaceos.

7. *Scopularius.*] Ego ſcopularios concinno pro veſtibus purgandis, aut parietibus albandis, & alios in uſus, Setacea: ſetas aptè agglutinans ſcapo ligneô.

(*Muſica.*)

ACTUS IV. SCENA I.

Rex.] Quid jam nobis agendum?

Eratoſt.] Ex data Cleantis conſilio Viatores ſequuntur examinandi, nec juſtum eſt iſtos præterire. Non enim hærere uno loco poſſumus ſemper, tranſire quoquo opus eſt. Quod ſi prope ſit, animíque grati à, Deambulatio eſt; ſi per campos aliquid conquirendo, Peragratio: ſi propter peritiam Regionum, Peregrinatio: ſi ad habitandum alibi, Migratio; ubique vocem ſi quid nobiſcum aſſumimus manu, dicimus Transferre; ſi humeris, Portare: ſi vehiculis, Vectare; ſi comitatu, Ductare. Quo non libet (aut non licet) devenire nobis ipſiſmet, mittimus alium: ſi ut nunciet aliquid, Nuncium; ſi ut deferat nunciatricem epiſtolam, Tabellarium; ſi ut expediat negotium, Curatorem. Tranſmeamus autem terrâ vel aquâ: pervolitare nëra nondum didicimus (nam narratio de volatura Dædali fabella eſt:) per Terram vadimus aut geſtamur, aut vehimur; per Aquam vadamus, aut natamus, aut navigamus. Placétne ergò ut advocetur primùm Viator pedes, ipſéque nobis apparatum ſuum ad viam, & actiones in via, enarret.

Rex.] Itane placet?

Philoſophi.] Placet.

Rex.] Advocetur, examinandus à te, Eratoſthenes.

[*Ingreſſus Viator pedes, cùm honorem exhibuerit, conſiſtat.*]

Erat.] Inquirenti Sereniſſimo Regi noſtro, in aliquem peritum Viatorem, tu, amice, commendatus es de meliore nota: ſuſtinêſne hoc elogium?

Viat.] Ego verò ab ineunte ætate motu me fuiſſe gaviſum, itineribúsque multis, longiſſimis etiam, exercitatum, non diffiteor.

Erat.] Ediſſertabis igitur coram Rege, ad cautè iter pedeſtre capiendum quibus opus ſit.

Viator.]

Viator.] Pedibus ituro expedit esse ocreato, aut pernato, ne collutuletur; & lacernato (*penulâ induto*) ne compluatur. Et quia non potest gestare sua omnia in sinu, vel gremio, vel funda (*assutis intra vestem loculis:*) circumcingit sibi Sacciperium; aut imponit humeris Sárcinam; & sumit in manum Baculum, quo se suffulciat, aut saltem Scipionem decori causâ. Ingressus viam proficiscatur rectâ & sine ambagibus, quò tendit: ne deflectat ad diverticula, nisi necesse sit: nec deserat viam regiam semitæ causâ, nisi sit callis tritus, & itineris dux comésve fidus, ac peritus: aliâs facilè per tramites, vestigiáque seductoria, in devia, salebras, aspreta, veniet. Bivium & Trivium, semper est fallax; compita non æquè seducunt. Ergò ut ne fiat errabundus, sciscitetur obvios quâ eundum sit? & quorsum flectendum? utrum dextrorsus, an lævorsus? Deviet offendicula ne sint remoræ, nec perambulet altiores clivos: (qui sunt euntibus cacumen versus acclives, retrorsus declives.) Retrocedat potius, ubi nequit meare porrò: fossásque circumeat, si non potest transilire, ne quidem adminiculò conti: sic ibit inoffensè. Peregrinaturo ad exteros, opus est viaticò, propter impensas, aut certè Literis Cambii, ab aliquo Collybista: quandóque & interprete, si non calleat idioma gentis, & itinerario bonò; maximè autem prudentiâ, ut attendat quocum sit ubiubi fuerit, à discessu usque in reditum. Prædones siquidem spoliant, Piratæ abducunt, Latrones trucidant. Sed & in diversoriis (ubi pernoctandum est) sæpè hospes ab hospite intutus, ob improbitatem Cauponum quorundam.

ACTUS IV. SCENA. II.

Erat.] Habuimus pedestrem Viatorem: quoniam autem ad parcendum pedibus, & viribus, uti didicimus jumentis & vehiculis, accessamus Equitem, deinde Aurigam.

Rex.] Accersantur.

[*Veniat ad Eques ocreatus, calcaribus armatus.*]

Erat.) Te equitandi peritum jubet *Rex*, quid artem equitandi pertineat, explicare.

Eques. Equitaturus ante omnia curet ſoleas affigi equo: tùm illi inſternat Ephippium, & ſuccingat cingulâ. Dehinc Ephippio anteriùs præliget Bulgam, vel retrò alliget Vidulum, vel appendat Biſaccium, circumdétque capiti frenum. (*Si addantur Antilena, Poſtilena, Dorſuale, cæteraque phaleræ, ornamentò erunt.*) Quando jam conſcendendus erit Equus, inſulciet pedem ſiniſtrum ſtapedi, totò autem corpore ſeſe evibrans, inſiliet equum; inſidenſque jam exſtimulabit calcaribus ad procurſum. Habenis verò reget pro libitu, aut retinebit & reprimet pro neceſſitate. Sed Gradarius Equitem fert molliter; Tolutarius tolutim & ſubſultim: Succuſſator quaſſat moleſtè: Cæſpitator proterret caſu; regendus itaque prudenter. Cætera uſus dabit.

[*Ita honore exhibito, Theatrò abibit.*]

ACTUS II. SCENA I.

[*Auriga ingredietur, & Clitellarius.*]

Erat.) Túne Auriga es?

Auriga.) Credo, me eſſe.

Erat.) Explicanda ergò tibi ſunt, primò Vehiculorum genera: Poteſne?

Aur.) Quidni? *Vehiculum* quod tantùm repratur (*per nivalem viam*) *Trahea* dicitur; quod voluratur ſuper rotas, *Curriculum:* ſive fuerit unirotum, *Pabo*; ſive birotum, *Carrus*; ſive quadrirotæ, *Currus*; Cujus iterum varia genera. Ampliora enim onera vectantur *Plauſtro*; rudiora *Surracò*; homines ipſi *Rhedâ*: quæ levior eſt *Eſſedum*; dimidiata *Ciſium*; coactatione operta, *Arcera*; penſilis *Carpentum*; delicatò inſuper opertorio, *Pilentum*.

Partes

Partes Currûs primariæ ſunt *Temo*, prominens antrorſum (2) Compages ipſa *Jugamentorum*. (3) *Axes* circa quos gyrantur *Rotæ*: Rotæ vero baſis eſt *modiolus*, unde procedunt duodecim *radii*: hos ambit *Orbile* (ſeu abſides lignææ) quas firmant ſex *canthi* ferrei.

Erat.] Hæc intelligimus ſed cedò explica nobis aurigarionis rationem.

Auriga.] Cùm proficiſcendum eſt, ungo Axes axungiâ, ut currus leviùs currat. Tùm impono Temoni (*ad primores rotas*) Jugum, cui funibus adjungo equos, parippum cum ſellario: Retinaculáque de helcio dependentia annecto extremitati Temonis. Si verò non ſufficeret biga, ſed trigâ opus eſt, præjungo equos anteceſſores lorô agendos. (Magnates tamen utuntur Sejugibus, Reges octojugibus, eôque etiam pluribus Rhediariis. Inter aurigandum reſpecto, ne exorbitem: atque ſi hæreſcere contingat in luto, ne diù hæream ſubjungo equos plures: ſicuti & in aſcenſu montis. Contra, in deſcenſu, ne velociter ruam, Currúmque evertam, abjungo anteceſſores: Rotas verò ſufflamino ſufflamine (*tali*) conſtringendo ſic Rotam unam & alteram, ne ſe circumagere queat, donec in planum fuerit deſcenſum. Hoc ferè ſunt quæ de arte mea dicere habeo.

Erat.] Quod verò ſi Montes ſint prærupti, & loca invia, quomodo agitis?

Auriga.] Neſcius ſum: non eo uſque ſe extendit profeſſio mea.

Clitell.] Ego non ſum neſcius, ſæpè ibi fui, inſuperabiléſque montes cum oneribus ſuperavi, modò unicò jumento tranſitus ſit: imponimus enim illis Clitellas, clitellisque ſuperimponimus ſarcinas gauſapibus (adverſus pluvias) coopertas. Mulos, Aſinos, tardóſque Caballos, ad equitandum ineptos huc adhibemus.

ACTUS IV. SCENA IV.

Erat.) Flumina, Lacus, Maria, obstant identidem viantibus, superanda omninò iis, qui ultrà velint. Tentatúmque illud est variè: primùm quidem transeundo, si aqua propter brevitatem vadari potest, aut superstructus fuerit pons, vel ponticulus, lapideus vel sublicius: Sin, tranando. Si hoc etiam non detur, enavigando. Advocemus itaque Natatores, & Nautas, qui nobis harum rerum rationes explicent.

[*Ingredientur ergò illi duo.*]

Eratosth.] Dic tu, Natator, quis te Anatis instar per aquas fluitare, aut te ut Mergum Mergere, rursumque emergere, docuit?

Nat.] Innatare aquis discimus super scirpeam ratem, arboreumve corticem: quæ nos super aquas ferunt, mergíque prohibent. Deinde consuescimus sine cortice nare, jactatu manuum pedúmque; & quod majus, sunt qui aquam calcare discant, flumináque sine Vestium madefactione (quippe quas manibus supra caput gestant) tranant, pectoribus tenus mersi. Sunt denique qui piscium more sub aquis natare, & se ad fundum usque Maris demittere, ibique ad horæ spatium morari sciunt, Ultimatores dicti.

Rex.) Mira hæc, si vera.

Erat.) Tu, Nauta, de re nautica verba facies.

Nauta.] Non dubito primas Naves fuisse Rates: quippe Ratis rudimentum Navis est, facta ex Tignis obiter compactis, rursúmque solutilibus. Dehinc progressi fuerunt ad Lintres; naviculas scilicet ex unius arboris trunco cavatas. Tandem fabrefiunt Naves ad firmitudinem compactiles.

Erat.) Quæ sunt Navium differentiæ?

Nauta.]

Nauta.] Rudissima navium Ponto est, quô per flumina Currus transferuntur. Deinde sunt Naves onerariæ fluviatiles, adversô flumine trahendæ remulcô (*sive tractariô*) habentes proram & puppim duosque Clavum tenentes, ad proram Prorétam, & ad puppim Gubernatorem. Tandem sunt Naves magnæ ad Maria enavigandum, seu remis, seu ventis, factæ. Quæ Remis aguntur, sunt Vel Biremes, vel Triremes, vel Quadriremes, &c. pro magnitudine Navis; & multitudine Remigum, qui per Transtra dispositi, Remisque ad Scalmos positis, Navem propellunt. Navis autem ventis agenda, mirabiliorem habet apparatum. Vela nempe aliquot amplissima expandenda, tanquam alas ad volandum: & Antennas, quibus in latitudinem dispanduntur: & Malos, per quos in altum tolluntur: & versorias (funes Nauticos) quibus huc illuc trahuntur & retrahuntur: & in summo malo Tritonem, Ventorum indicem: & plagarum Mundi monstratricem, Acum Marinam (Compassum nauticum vocant) & Anchoras, & alia. Velificant ergô ventô secundô plenis velis; adversô autem ventô obliquant vela & cursum, sinuatione quadam alternatim, nullo autem ventô velificatio non procedit, quum tranquillum est. Ac obortâ repente procellâ, ne abripiantur à fluctibus aut impellantur ad scopulos, alliásque Navis demergatur, quantâ celeritate possunt contrahunt vela, imò recîdunt, summô discrimine: & sic tutiùs jactantur. Aliis Naufragii metus est, quo multi dereunt; præsertim delati ad cautes & syrtes. Reliqua experiri qui volet, mare naviget; narrari omnia non possunt.

[*His exhibitô honore, abibit.*]

ACTUS IV. SCENA V.

Rex.] Jam peregrinatores audivimus : quid ſupereſt ?

Plin.) Cùm tranſportare habeamus neceſſe non tantùm noſmetipſos, ſed & alias moles multarum rerum quæ excedant vires corporis noſtri ; & verò conſtet quæſita fuiſſe juvamina à Machinis : quid ſi illæ etiam luſtrentur ?

Rex.] Quis talia tractat ?

Plin.] Mechanici quidem ferè omnes variis utuntur Machinis, ſed rationem earum non intelligunt ; accerſendus eſſet aliquis Machinatorum quos nunc Ingeniarios vocant.

Rex.) Vocetur ergò : tu, Plini, age cum homine.

[*Ingreſſus ergò Ingeniarius, cum altero muto, Regem his verbis ſalutabit.*]

Ingen.] Gratulor publicis ſtudiis, quæ tu, Magne REX, non intermittis ad majorem deducere ordinem, lucem, facilitatem. Gratulor & mihi, cui de ingenioſis Machinationibus coràm te verba facienda ſunt. Utinam verò res tantas à fundamento explicare liceret ! Nunc nomenclaturam tantùm edere jubeor. Faciam tamen, Machinationes id genus oſtendam & nominabo.

I. Quantum Bajuli duo ferre poſſunt *Phalanga*, tantum poteſt unus protrudendo ante ſe onus impoſitum *Poboni*, ſuſpenſâ á collo ærumnâ : longè autem majora provolvi poſſunt *Phalangis*, ſeu cylindris, duræ moli ſubpactis.

II. Suſtollendæ rei gravi ſerviunt primùm *Vectis*, quem oneri ſuppingendo, protenſæque parti incumbendo, onus

onus tollimus. (*sic*) Deinde *Sucula*; quam itidem suppingimus, manubriumque ejus rotando, res tollimus (*sic*). Tertiò est *Trochlea*, per cujus orbiculos traducti funes ductarii multiplicant vim tractricem. Hinc (quartò) *Ergáta*, quam circumeundo Vectiarii versant. *Geranium* denique cum adjuncto rotabili *tympano*, cui inambulando res magnæ molis protollii mus, qualium in Emporiis maritimis frequens usus est.

III. Validæ compessioni serviunt Prefforia, omnis generis: quorum ratio hæc est. Prela duo rem interpositam pressare violentissimè adiguntur à Torculári versabili, & circa Cochleam spiratim stratam vi retorto: (*sic.*)

IV. Contra, qui findere vult aliquid, dissilire illud cogit, *adigens* Tudite *Cuneum*.

V. Fistúcæ adhibentur ad pangendum súblicas: sive ansata fuerit Fistúca tollenda & demittenda humanis manibus: sive extollenda trochleia, demittendaque ex alto, ut fortiùs feriat.

VI. Artificiosi Aquæductus aquam de de monte in montem transire, aut è flumine sursum ascendere, in quamcumque altitudinem cógunt. Ubi singularem admirationem meretur *Archimedea Cochlea*, aquam *descendendo* ascendere faciens.

VII. *Horologia* sunt dimetiendis horis reperta. Primò *Solarium* (*Sciothericon*) ubi *Gnómonis* umbra horarias lineas transmeando: deinde *aquaria* (*Clepsydra*) ubi aqua de vase in vas transtillando; mox *Arenarium* [*Clepsamminm*] ubi arena itidem furtim transfluendo, moram præterlabentis temporis ostendunt.

VIII. Admirandum verò inventum *Automati*! in quo Rotulæ motant seipsas suis lábamentis, circulationeque illæ repræsentant horarum, dierum, mensium, replicationem.

IX. Perscrutantur etiam, quomodo Machina verè automata possit consabrefieri, procedens ultroneo suo tractu indesinenter, nec habens opus intendi, prorsus

prorsus ad Cœli, suo motu per secula se moventis, imitationem: Nuncupant *Mobile perpetuum*: quod an possibile sic inventu, hactenus non constat. In quo ultimo humani Ingenii nisu ego subsisto, Teque, Rex, valere jubeo.

ACTUS IV. SCENA IV.

Ptol.) Jamne igitur finis?

Cleant.) Non prius discedendum ab Artificibus, quàm lustrati etiam fuerint, qui suis inventis non tam necessitatibus quàm lautitiei, sensumque oblectamentis serviunt.

Ptol.) Quinam illi?

Cleant.) *Balneatores, Barbitonsores, Lecticarii, Cupedinarii, Unguentarii, Musici, Pictores, Speculari*, eorumque gregales.

Rex.) Et tanta horum est turba? primarii tantùm horum ingrediantur.

Balneator ingressus.) Mundare se identidem limpidâ est *Munditiei*; fucare succo *lenocinii*. Nostra Balnea eò sunt, ut homines deluant squalores desidentes in *Labro*, aut ingressi *Vaporarium* conscendant *Sudatorium* & eliciant sudorem, defricentque strigmenta *cilicio* & extergant *linteis*. Transeundoque è *Caldario* in *Frigidarium*, aut vicissim, indulgeant delectationibus. Quandoque etiam ego *Balneator* scarifico, applicatis (auxilio flammæ) *cucurbitulis*: sæpè etiam adorno Barbas, Comasque.

Barbitonsor.) Sed hîc messis falcem in alienam messem. Meum hoc est, displicatum capillitium partim attondere Forfice, partim abradere Novaculâ, partim evellere *Volsellis*; & relinquere aut *Capronam* dependulam à fronte (*Polonis & Hungaris*) aut *comam*, in circuitu (*Germanis*) *Cincinnos* etiam crispare *Calamistro*. Calvis autem

autem adaptare aſcititium capillamentum, *Caliendrum*, ſeu *Galericulum*.

Lecticarius.) Res Tactiles ut nos afficiant leniter inter cubandum, inventi ſunt *Lecticuli*, & *Storeæ*, planeâque *pulvinaria*, & *Cervicalia*, quibus ſupercubamus molliter. Tum *Stragulæ* ac *Tegetes*, quibus nos ſupertegimus: & *Conopea*, *quibus* circumſepimus lectulos, ut ne *culex* quidem aut *muſca* moleſta eſſe poſſit. Pro commodiori verò leſſitatione, ſ unt *Scamna* & *Sellæ* cum fulcris, ac ſeabellis. Et Biſellia, fulcrô ambifariam verſatili. Tum *culcitræ* fartæ tomentô: olimque ad menſam *diſcubitorii Lecti*, & ſubalares pulvilli. Pro geſtatione denique *Lecticæ*, & aliæ *geſtatoriæ ſellæ*, quibus aut morbidi, aut voluptuarii circumgeſtantur.

Cupediarius.) *Guſtatus blandimenta* dant *cupediæ* ut ſunt variorum generum: *Placentæ*, *liba*, *piperataque liba* (quæ *Dulciarius* parat); *Lagana*, *Moreta*, *Obeliæ*, *Teganitæ*, *Scriblitæ*, *Cruſtulæ*, *Panis Sabarites*.

[*Addat*: Deberent omnia iſta oſtendi, ſed nondum ſunt nobis cocta.]

Unguentarius.) Ego voluptuoſis parito odoramenta, *Smegmata*, *Suffumigia*; quibus illi delibuti fragrant.

Muſicus.) *Aurium Delinimentum* ſuaviſſimum eſt modulatio Vocis: ſeu *vivæ*, ſeu cum inſtrumentis *Muſicis*. Quæ vel *pulſantur*, vel *plectuntur*, vel *inflantur*. *Pulſantur*, *Tympanum*, *Campana*, *Cymbalum*, *Tintinnabulum*, *Crepitacula* quæcunque: itémque *Crembalum*, quod interſertum dentibus adhalatu gutturis, allisúque digiti, tintinnat; *Plectuntur* Organa, quæ fidibus intenduntur ac remittuntur (intenſæque acutum ſonant, laxæ graviter): ídque vel digitis,

digitis, seu manûs utriusque, ut Nablium (*Sambuca*) seu alterius, alterâ moderante chordas (ut *Cithara* & *Testudo*) vel plectrô, æque aut setaceo, ut *Fides*; aut rotabili, ut *Lyra*; aut prosiliente pinnula, ut *Instrumentum*. *Inflantur* verò quædam ore, ut *Fistula* à fistulatore; *Tibia* à Tibicine; *Tuba* à Tubicine; *Lituus* à Liticine; *Buccina* à Buccinatore; *Gingra* à Gingratore; *Tibia utricularis*, ab Utricolario: quædam follibus, ut *Organon pneusticum*, ab organario pulsatum.

[*Non omnia adsunt, non omnia ostendi possunt.*]

Pictor.] Oblectamenta oculorum potissima præstantur visibilium rerum repræsentatione, quasi ad vivum, per *Picturam*, *Fictu*ram. *Sculpturam Cælaturam*, *Fusuram*. Dum enim Pictor in Plano cujusvis rei effigiem delineat graphio, perpingit penicillô, illuminat pigmentis, gratissimum est oculorem pabulum. Quem imitatur *Fictor* & *Fusor*, infundentes modulis ceram, vel gypsum, vel metallum, eoque modo perelegantis defingentes fusiles rerum imagunculas. Sed *Sculptor* Statuas liberâ manu exsculpit. *Cælator* verò insculpit vasis jam paratis, itemque Sigillis, quascunque vult species. Alios Artifices circa rerum repræsentationes subtilissimè occupatos tacebo nunc.

Specularius.] Meum tandem est, explicare pulcherrimas oblectationes, quas Visus noster ex Vitris certâ arte paratis percipit, ex quorum genere potissima sunt ista sex:

I. *Speculum*: quô homo intuetur seipsum (*en!*)

II. *Conspicillum*; quô prospectat res quasvis ante se actas. (*en.*)

III. *Telescopium*; quo prospectamus longè dissita, tanquam

tanquàm proximà: cujus beneficio per integrum milliare Homo agnôsci poteſt.

IV. *Microſcopium*; quo rem puſillam intuemur ut magnam: Arenæ granum ut Montem, Pulicem ut Bovem.

V. *Priſma*; Quô rerum colores mille formiter transformamus, ſplendore verbis inexplicabili. (*en.*)

VI. *Speculum urens*; per quod tranſmiſſus radius Solis accendit non tantùm pulverem nitratum, ſed & Stramen, Veſtem, & quidvis integras etiam hoſtiles claſſes.

De *Speculo* ſigillatim monebo. Optimum eſſe, quod rem objectam reddit eâdem qualitate & quantitate. Id quod fit, quando *ſpeculum* benè perpolitum eſt, & prorſus planum, neque concavum, neque convexum. Nam convexum oſtendit rem minorem quàm eſt: concavum inverſam; ut Hominem capite deorſum ſtantem. Num quid præterea? Docebo vos *Speculi* uſum *Ethicum*, quomodo Socrates docuit. Si te vides (inquit) formoſum facie, cave ne te deformes moribus: ſi deformem, vide ut deformitatem corporis penſes formoſitate animi. Pulchrè hoc!

[*Abit, Muſicâque ſonante Rex ipſe quoque cum Philoſophis Scenâ excedit.*]

Epilogus.

Ampliſſimi Patroni & Fautores, Diu Vos ludis ſuis detinuerint ludiones noſtri. Annon abuſi patientiâ veſtra?

vestrâ? Ego non abutar, verbo quid velim dicam? *Valete*, *Valete*, inquam, millies, & nostri nolite deme-miniſſe. Brevi, vos in hoc Amphitheatrum noſtrum invitabimus denuò, ſi progreſſibus noſtris benedixerit Altiſſimus. Quod optate, iterúmque *VALETE*.

[*Muſica.*]

JANUÆ

Januæ Linguarum PRAXEOS COMICÆ

PARS IV.

IN QUA

SCHOLA trivialis, quomodo in Ludum transformari possit, ad vivum repræsentatur.

Prov. 8. vers. 31.

Sapientia ludit in Orbe terrarum: deliciæque illius sunt cum filiis hominum.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Ptolomæus.
3 Plato.
4 Eratosthenes.
5 Apollonius.
6 Plinius.
7 Notarius.
8 Chartopœus.
9 Typographus.
10 Bibliopegus.
11 Bibliopola.
12 Bibliothecarius.
13 Scriptor Librorum.
14 Censor.
15 Scholarcha.
16 Didacticus.
17 Archicus, Literator.
18 Discipulus Alphabetarius.
19 Secundus.
20 Tertius.
21 Procopius.
22 Discipuli septem, omnes lectores tantùm. Inter eos duo ingeniosiores Musici, loqui etiam & cantare debebunt.
29 Telesius cum discipulis aliquot: quorum duo tantùm Eloquentur, legendo: eliqui mutæ personæ.
32 Vestibularis, Præceptor cum 18. alicujus ingenii discipulis.
50 Janualis Præceptor cum 12. discipulis.
68 Atrialis Præceptor cum 6 Discipulis ingeniosioribus.
78 Epilogus.

PER-

PROLOGUS.

Magnifici & Generoſi, Venerabiles & præclari Viri, totáque eximia Spectatorum corôna.

IN Schola, de Schola, & pro Schola, verba fieri convenientiſſimum. Nos igitur, quia in Schola tàm ſolenniter congregati ſumus, de Schola loquamur, & pro Schola agamus, quicquid poſſumus. Quid autem illud eſt quod poſſumus? Primùm, Vota fundere, ut Scholis benè ſit, huic noſtræ & aliis. Deinde anniti, ut benè ſit: quod obtinetur, ſi Docentes & diſcentes officium faciant, diligenter docendo, diligentérque docendo. Sed & Domini Scholarchæ diligenter. Scholas viſitando, úrque omnia recte fiant diſponendo, monendo, negando. Quorum omnium functiones & munia, dum Vobis particulatim hodie è medio Diſcipulorum Scholæ Veſtræ quidam (modo illo quem Vobis; tanquam amœnum, probari ſatis jam certi ſumus) ob oculos ponent. Vos, Patroni & amici, animo benevolô, ſenſibúſque excitatis, adeſte!

[*Honore exhibitô, Scenâ recedet.*]

ACTUS, HABENS SCENAM UNAM.

Ptolemæus, Plato, Eratoſthenes, Apollonius, Plinius.

Ptolem.] Meminiſtis, Amici, cùm nuper luſtraremus Opifices, ſuaſores Vos fuiſſe mihi, ut ne Liberalium artium

tium Magistri admiscerentur Mechanicis, sed peculiari servarentur Examini. Parui consilio, negotiúmque dilatum est. Nunc autem non diúthùs differendum ratus, convocavi Vos, ut res peragatur hodie. Dicite igitur, unde sit faciendum initium.

Plat.] Saluti sit rei Literariæ, Tuæque æternæ laudi, Rex, quòd sapienter cœpta laudabili prosequaris constantiâ. Adsumus vocati, voluntati Tuæ ad omnia parati. Quantum ad agendorum ordinem, *Scopus nobis ante omnia rectè figendus erit, ad quem Scholarum administratio collimare debet.*

Rex.] Quis ille scopus erit?

Plat.] Cultúra ingeniorum vera. Natura enim humana sine politúra bruteſcit, ut in Notionibus incultis & barbaris patet; ubi Homines nihil à brutis, nisi quòd loquantur, non mugiant, differunt. Necessariò itaque Homines expoliendi sunt: primò, *Mente, ad sapientiam.* Deinde, *Animò, ad Honestas actiones.* Tandem, *Linguâ, ad Facundiam.*

Erat.] Sapienter hæc, & ad rei veritatem, dicuntur. Cum enim tria sunt, quibus homo brutis præcellit primariò, *Ratio, Oratio,* & libera, prudens, honesta, rerum variarum *Operatio*: trinam hanc prærogativam suam Homines & nosse docendi sunt, & custodire, augeréque semper in majus, divini cujusdam thesauri ad-instar. Et quidem verè, non fucatè: ut Homo fiat, non sciolus, sed sciens: non loquutulejus, sed eloquens; non simulátus virtutum cultor, sed serius.

Apol.] O quàm desiderabile est, sic excultum esse Hominem! Habere nimirum Mentem illuminatam, Rebus depictam! & posse rursum in aliorum Mentibus easdem depingere Sermone scito! haberéque tandem Actiones & passiones suas in potestate sua! Angélica quædam perfectio hæc est, considerata in plenitudine sua.

Plin.] Incorruptè judicas, Apolloni. Quantum Homo distat à bruto, tantum homo doctus ab indocto. Cæterùm,

terùm, quia *Culturæ humanæ instrumenta sunt, primò Libri; debinc Scholæ; tandem Conversatio erudita, & susceptæ hujus causâ Peregrinationes*: placetne Sereniſſimo Regi, & Sapientum Collegio, ut primum illud luſtrandum ſuſcipiatur primò? hoc eſt, ut ante omnia, Quomodo ſe res Libraria habeat, cognoſcamus?

Ptol.] Placet conſilium: ſed quis examinandas erit?

Plin.] Exiſtimem primò eſſe vocandum *Notarium*, ſeu *Scripturarium*: qui Literarum & Scripturæ rationes reddat. Deinde, *Librarios*; qui nempe Libros ſcribunt, cudunt, compingunt, vendunt, aſſervant.

Ptol.] Fac ita eſſe. Vocentur.

[*Exibit, eos convocaturus, Plinius: reſonante interim Muſicâ.*]

ACTUS II. SCENA I.

Notarius, cum ſuis inſtrumentis.

Rex.] Examina hunc, Apollóni.

Apol.] Notarii nomine huc aliquis vocari juſſus fuit: túne es?

Notar.] Qui internas animi cogitationes Notis externis exprimit.

Apoll.] Quotuplices ſunt Notæ?

Notar.] Triplices. *Primo Hieroglyphicæ*, apud Ægyptios olim uſitatæ: ubi rerum ſenſus per aliquam picturam deſignabatur. Exempli gratiâ; Cùm ſignificare vellent Dei providentiam, pingebant *Oculum apertum*: cùm alicujus in officio negligentiam, *Oculum clauſum*; cùm Prudentiam, *Serpentem*, & ſic infinitè. *Secundò* ſunt *Characteres Reales*, hodieque apud Chinenſes in uſu: quos diverſarum etiam Linguarum Nationes, eâdem

modò ſcribunt, quiſque autem ſuâ linguâ legit. Cujuſmodi characteres nos in Europa Cifras habemus: dùm 1657 idem ſignificat omnibus; ſed aliter iſtud ſuâ linguâ pronunciat Latinus, aliter Polonus, aliter Germanus, aliter Hungarus, &c. Si æquè alia ut numeros exprimere ſic poſſemus *(ſicut Chinenſes poſſunt)* haberet ea res id commodi, quòd manu poſſemus colloqui, & exercere commercia quibus lingua *(ob idiomatum diverſitatem)* inutilis eſt. *Tertii* generis *Notæ* ſunt *Literæ* noſtrates, minimum linguæ ſonum ſignificantes, A, B, C, &c. ex quibus compoſitis prodeunt Voces, Sententiæ, Libri.

Apoll.] Benè tu diſtinguis, & clarè oſtendis: ſed quænam ternárum iſtarum Notarum perfectiſſimæ videntur?

Notar.] Literæ: quia iis accuratiſſimè omnia exprimere, adeóq; ignotas Linguas diſcere poſſumus.

Apoll.] Euge, pulchrè! Sed fuítne Literas ſcribendi modus ſemper talis qualis apud nos eſt?

Not.] Minimè. Antiqui enim ignorabant Chartam noſtram, & Atramentum, & Calamos, & alia.

Apoll.] Quomodo igitur ſcribebant?

Not.] Primùm Literas incîdebant *ſaxis* malleô, *(ſicuti nos adhuc facimus Cippis ſepulcrariis, ad durabilitatem.)* Deinde inſculpébant *ligneis Codicibus (præſertim faginis)* ſectis & dolatis in tabulas, cœlte. Poſt exarabant ſtylô ferreô in *Tiliaceis libris*: aut *Palmeis*, vel *Malvaceis foliis, & Linteis ceratis vel gypſatis*: qualiter adhuc apud nos geſtamus *gypſatos Codicillos, ecce!*

[*Notandum perpetuò: omnia, hæc demonſtranda eſſe rebus ipſis exhibitis.*]

Exinde inſcribebant *Pergaména* (hoc eſt, Membranæ ex ovinis tergoribus in civitate Pérgamo factæ) *calamô Nilotico* (arúndine puta ſubtili, in Nilo creſcente.) Subſequenter demùm reperta eſt *Papyrus*, è *Papyro* planta bicubitali, habente cortícis loco tunicas latiſſimas

latissimas prætenues: quas discriminatus acu, & imbutas aquâ glutinosâ, complanatásque prelô, ac desiccatas Sole, digerebant in scapum, viginti plagulas habentem. Nos nunc Chartâ utimur, & Atramento, & pennis Anserinis.

Apoll.] De Charta nihil opus est: statim accersetur *Chartopœus*. *Atramentum* scriptorium quomodo confiat dicito.

Not.] Sumimus *Gallarum* quernarum quantum placet; *Vitrioli* sextam ejus partem; addimúsque decimamquintam partem *Gummi*, & aliquantulum *Aluminis* ad prohibendum penetrationem, & mucorem.

Apoll.] *Penna* quoque temperatur, ut scriptioni serviat?

Not.] Non dicam tantùm, sed ostendam. Eligitur Penna (*Anserina* vel *Pavovina* est optima) caule firmô, & pertranslucido, qualis hæc est: *en!* Cujus scabritiem etado primùm scalpelli tergô (*sic!*) acie autem detrunco caudam, & rescindo utrinque caput, ut bifurcatum fiat (*sic!*) Tum diffindo, *ecce!* facióque pro defluxu atramenti crenam: circumcidóque istam incisuram, & præcído æqualiter. Demùm intingo, & scribo, (*scribat*) pòst recondo in Calamarium, (*recondat.*)

Apoll.] De scribendo nihil amplius habes?

Notat.] *Hebræi*, cum aliis Orientalibus, scribunt à dextra siniſtrorsum (*sic.*) *Græci*, & nos cæteri Europæi, à siniſtra dextramversus (*sic.*) *Indi* quidam à summo ad imum (*sic*) æquè legibiliter. Præterea, Antiqui habebant *Tachygraphiam*, artem velociter scribendi, per *SIGLAS*, quibus manu excipere sufficiebant sermonem, non ad calamum dictantis, sed libere loquentis. Quam artem nuperimè excitârunt *Angli*, vocantque *Stenographiam*. Habemus tamen artem istis etiam celeriorem, & elegantiorem, *Typographiam*: quâ unus uno die plus exscribit prelo quàm possent sexcenti Scribæ calamô.

Apoll.] Nota res est, & agemus mox cum Typographo

Graphio ipso. Tuam interim Rex laudat industriam, Regiúmque promittit favórem.

ACTUS II. SCENA I.

Librarii : nempe *Chartopœus*, *Typógraphus*, *Bibliopégus*, *seu Compactor*, *Bibliopóla*, *Bibliothecarius* (cum instrumentis suis)

Rex.] Age cum illis, Eratosthenes.

Erat.] Omnes Vos rem Librariam tractatis ?

Chart.] Ego libris paro materiam, Papyrum.

Typ.] Ego iisdem imprimo formam interiorem, Scripturam.

Comp.] Ego addo formam exteriorem, Compactúram.

Bibliop.] Ego Libros publicè vendo.

Bilioth.) Ego coëmo, & tanquam sapientiæ thesauros congesto & conservo.

Erat.] Dignam omnes præstatis operam, Explicet quisque opera sua special ii.

Chart.) Ego emitto pueros meos vicatim ad coëmendum Linteamenta vetusta, & detríta: ex quibus concerptis, in pulmentum contúsis, aquâ glutinosâ dilútis, inque folia diductis (*sic*) conficio *Chartam* : quam etiam antiquo more *Papyrum* vocant. Dùm eam colligo in *Volumina minora*, seu plagulárum vigintiquinque ; quorum decem dant *Volúmen maximum* (*Ballam.*). Ita eam vendo : nec mihi plus circa ista laboris est.

Erat.] Quid tu, *Typographe* ?

Typ.] Mihi sunt ænei Literarum typi, permagnô numerô conflati, & per hæc Loculamenta digesti. Quos meus Typotheta sigillatim expromens componit in Verba, verba in Versus (*ad mensuram hujus Linearis normæ,*) Versus in columnas & paginas (*habet enim folium paginas duas*

duas semper, sed pagina una aliquando duas, tres, quatuor, columnas) Paginarum verò cùm tot habet, quot ad phyluram explendam requiruntur, coarctat omnes marginibus ferreis, ne dilabantur. Tum Impressor totam hanc typorum compágem (*nos Formam vocamus*) indit prelo, & perlinit atramentô pressoriô (*ex fuligine & oleo lini parato*) apprimit superimpositis Formæ chartis : & sic integras schedas describit momentô, intra verò diem plus mille ; omnia correctissimè, si modò primum exemplar exactè fuerit correctum, à Correctore gnavo & solerte. Expletô verò Exemplarium numero (*quot unâ editione absolvi volumus, centena vel millena*) eximimus prelo typos; abluimus, rursumque disjectamus per cellulas suas (*seu fornices*) ut in alium Textum, coagmentari prompte queant denuò. Schedas vero à prelo siccatas colligimus, ut exemplaria constituantur plena ad venundandum,

Erat. Bibliopége, enarra tuam quoque circa Libros industriam.

Comp.) Meum est Libros compingere, ut promptè manu versari queant. Audio meæ artis Homines olim *Glutinatores* fuisse dictos: ex eo, quod chartas chartis agglutinábant, extrémis marginibus tantummodò, longam in seriem, ut in Volumen convolvi possent, *sic* ! Nunc vocamur Græcè *Bibliopegi*, Latinè *Compactores* : quia schedas complicamus, dorso glutinámus, demarginámus (*hâc planulâ.*) Tum circummunimus tegumentis *ligneis* aut *papyraceis*, *superiectis membranâ aut coriô*, vel *sericô & auro* : latecáque fibulamus claustris, aut connéctimus ligulis. Grandioribus etiam libris affigimus umbilicátas *Bullas*, per angulos & in medio. (*Ecce* !)

Erat.) Diversæ magnitudinis Libri habéntne propriam Nomenclaturam ?

Comp.) Habent omninò. Maximus iste vocatur *Liber in folio* (& major etiam istô, *in Regali folio*) Mi-

nóres hi, *in quarto, in octavo, in duodecimo, in ſedecimo, in decimo-octavo, in vigeſimo-quarto* (*oſtendet ſingulos*:) in quibus ſcilicet philura plicatur in folia duo, quatuor, octo, duodecim, 16 18, 24, &c. Nam, liber oblongior in latum, vocátur *Linguatus* (*ſic*;) in altum, *Columnátus*. (*iſte*:) Atque ſi quis Liber ſit grandior quàm ut unâ compáge ar ctári poſſit, dividitur in *Tomos*, ut *Cicero*.

Erat.) Cedò tuas operas, tu *Bibliopóla*!

Bibliop.] Ego libros pretiò diſtraho, vendendo eos ſeu compactos, ſeu in albo, aut crudo (*ut vocant, hoc eſt, incompactos*.) Et quidem tùm domi in Bibliopolio meo, tùm per nundinas oppidátim: ut hæc ſapientiæ in fundibula ſibi comparandi nuſquam cuiquam deeſſe poſſit occaſio.

Erat.] Tibi, *Bibliothecarie*, quid cum Libris negoti eſt?

Bibl.] Ego Libros ſelectiores undecúnque cómparo, compingi curo, Bibliothécæ infero, per erecta Repoſitoria ordine diſpóno. Conſtituóque Librorum Catalogos, ut quocunque fuerit opus, reperiri poſſit: meliores etiam ſuper Plúteos expono, ut ab intrantibus illicò legi poſſint.

Erat.] Rectè hæc omnia. Sed omne, Vos, Libraria familia, monendi eſtis, nomine Regis noſtri, non bonam de vobis ſurgere famam. Nempe Vos immunitatibus Literariæ Reipublicæ, cui ſervítis, frui velle, vitâ tamen & moribus à polluta Mechanicorum plebe differre nolle: indulgendo ſcilicet ſubinde turpi otio, & helluationi, ſimilibuſque fæditatibus. Itane eſt? Tacetis? Emendate mores! aut vos ad ſordidas Cerdonum tribus relegabimus.

ACTUS

ACTUS II. SCENA III.

Editores Librorum, Censor & Scriptor.

Ptol.] Compellare hos placérne tibi, ó Plato.

Plat.] Tuum est, ó Rex, mandare, nostrum obsequi. Vos, reddite quoque actionum Vestrarum rationem, idémne agitis opus, an diversum?

Script.] Uterque Libros edimus: ille antiquos, ego neotericos, recèns scriptos.

Ptol.] Quos antiquos?

Censor. Quoscunque, qui sapienter aliquid scripserunt, scripta verò illa hactenus per Bibliothecas latuerunt, ut nostro ævo innotescant protrahimus eos, beneficioque typorum promovemus in lucem.

Plat.] Habetísne vera & incorrupta antíquorum Exemplaria?

Cens.] Non semper, Domine. Nam *Autographa* (quæ *Originalia* vocant) non pervenerunt ad nostram ætatem. *Apographa* verò (hoc est, *Exemplaria transcripta*) adeò sæpè variant etiam tituli, ut de germanitate scripti, annon sit suppositítium; & de genuina lectione, ubi Exemplaria dissonant, difficillimum quandoque sit judicium. *Critici* tamen boni est conjecturis certis omnia deprehendere, lectoribusque verum Authoris sensum detegere: seu interjectis Textui *Glossis* (*sic*); seu Annotationibus separatis, ad margines aut ad Capitis, vel etiam Libri, finem.

Plat.) Multum hoc Vobis proculdubio facessit negotii.

Cens.) Difficilis labor, fatendum, sed utilis: quia sic Ingenia priorum seculorum tributaria reddimus Ingeniis nostris, ut inventis illorum fruamur nos.

Scriptor novus.) At quia non omnia scire potuerunt illi, plura reservata sunt posteriorum diligentiæ;

Ego

Ego cum meis similibus, boni publici amore hoc agimus, ut ne inferiores vilamur priorib⁹ illis: & quicquid evestigari potest melius, evulgamus, ut lux augeat lucem.

Plat.] Laude dignâ hâc parte: modò quod sic datur lux sit, non tenebræ. Dicite autem, Quomodo concinnatis Libros? quâ serie contenta ordinatis?

Script.] Frontispicio libri ponitur Titulus, Libri summam indicans: sequitur libri *Dedicatio*, ad aliquem Patronum. Dehinc *Præfatio* ad Lectorem, argumentum plenius edisserens, Libríque usum scitum edocens. Tum addi solent *Elogia* in Authoris & libri laudem ab Amicis scripta. Demùm sequitur ipsa libri *medulla*, *Tractatus* nimpe, in Capita & segmenta divisus. Tandem *Clausula*, cum *Indice contentorum*, aut etiam *Erratorum*.

Plat.) Vani se hîc aliquod admiscet omninò: sed dissimulemus nunc. Hoc solùm moneo. Si libros Vestros vultis esse vendibiles, Lectu ibúsque utiles, operam date ut sint de rebus bonis scripti, & benè elaborati. Atque si quos recúdi contingit, videte ut quælibet Editio nova sit aut melioribus observatis auctior, aut certè saltem correctior, donec nihil mendorum supersit. Noxiosi verò Libri ne unquam prodeant cavete!

Script.) Dábitur opera.

Censor.) Erimus memores.

Digressis illis, Rex ad suos.) Lustravimus eos, qui Eruditioni parant viam. Fortasse jam vocandi erunt qui Eruditionem è Libris transferunt in Homines.

Plat.] Necessitas flagitat. Quippe Libros tantùm habere doctos non liberat à barbarie. Homines ipsos esse doctos oportet. Suadeo igitur è Scholis huc adduci Docentes & Discentes, quídque ibi agant & quomodo, cognosci. Ante omnia tamen advocari suadeo *Scholarchan & Didacticum*; ex isto ut cognoscamus qualis Scholarum status sit; ex hoc autem, qualis esse possit, si res mutari queant in melius.

Rex.]

Rex.] Sapienter hoc ſuadetur. Vocetur quiſque ſeorſim, *Scholarcha* priùs. Cum quo tu *Plini*, age: cum Didactico verò tu, Plato.

[*Exibit Plinius, túmque introducet.*]

ACTUS III. SCENA IV.

Scholarcha [*Ingreſſus, Regi & Collegio reverenter honorem exhibebit. Quem Plinius, Regis nutu, ſic alloquetur.*]

Plin.] Salve, Vir honoratiſſime! præſentia tua nobis grata eſt. Placuit Regi, & Sapientum Conſilio, advocatum habere *Te*, ut de Scholarum ſtatu ex te cognoſcamus. Tu igitur nos ſuper hâc re bonâ fide in forma.

Scholar.] De Scholarum in pejus prolapſu invaluerunt multis jam ab annis querelæ, varias per Gentes. Has egò nunc facio meas, nihilque in Scholis rectè geri & teſtor, & deteſtor, & deploro.

Plin.] Quid? ita? Nihílne opis tulerunt, qui ante ſeſquiſeculum, intor reſuſcitandum barbarie oppreſſas literas, de Ludis quoque Literariis rectè aperiendis ſua communicarunt conſilia? Eraſmus, Melanthon, Sturmius, alii.

Scholar.] Cæperant flerere Scholæ, marceſcunt denuò: ſumos habemus pro luce.

Plin.] Non Vos tot Didactici, quot à ſemi-ſeculo prodierunt, *Caſtilius, Lubinus, Ratichius, Cæcilius, Seeidelius*, & complures alii, qui Artem docendi conſtituere tentârunt certam, juverunt?

Scholar.] Aut nihil, aut per-parum. Hæremus in confuſionum luto.

Plin.] Dolendum! Non autem deprehendere poteſtis ubi propriè pes hæreat? & quæ ſit cauſa quod remedia

remedia non pellant morbos, figant potiùs, & augeant?

Schol.) Non omninò latent causæ: sed quibus enovendis impares sumus.

Plin.) Edissere liberè, quid subesse arbitraris?

Scholar.) Desunt, qui Scholis serò vacare velint, aut possint, aut sciant: perfunctoriè fiunt omnia. Quid consilii tulerint boni isti viri, *Didactici*, ignoramus ferè, recognoscere ista supini, aut si qui non omninò ignorant, laborem tamen fugiunt. Verbô, Indormiêrunt Scholæ malis suis, etiam vellicari & excitari renuunt.

Plin.) Dic, Vir optime, si optime, si votô Tuô res agendæ essent, qualem Tu optes Scholam?

Scholar.) Egóne? Ah, si exaudire mea vellet suspiria Deus, scirem quid optarem.

Plin.) Effunde liberè vota!

Scholar.) Scholam vellem, quæ verissima esset *Humanitatis Officina*: exercens Juventutem non ad Literaturam solùm, sed magis etiam ad Mores honestos, maximè verò ad Deum sanctè colendum; & ad omnia quæ humanam perficiunt Naturam, Ut quisquis hîc politur, evadat non frustum hominis, sed Homo: totam Vitam sapienter ordiri, totamque prosperè transigere, gnavus: edoctus nimirum circa omnia rectè Sapere, omnia rectè Agere, de omnibus rectè Loqui. Atque ad hæc, omnia Juventutem docendi ut nobis iter sit certum, breve & efficax: quo hæc Vitæ præludia ludibundis quasi peragantur, & Schola verè sit quod audit *Literarius Ludus*; non verò molestum Ingeniorum pistrinum, ex quo lubentius fugiant, quam in eo perseverent.

Plato.) Noster es, dilecte vir, qui tam bona hæc sapienter Scholis optare nosti: tametsi in providendis mediis deficere videaris. Clementissime REX, dignum judico hunc Virum desideriorum, quem Sapientum Tuorum assidere facias choro! ut dum de Mediis ad desideratum illi Scopum veniendi consultamus, ille adsit, audiat,

diat, exſultet, repertiſque poſt viis bonis confidentiùs inſiſtat.

Rex.) Lubenti aſſentior animô. Aſſide, Virorum optime! Et qui tam fervida deſideria tua jungis noſtris, junge quoque conſilia.

Schol.) Eum me honorem non cenſeo mereri, Magne REX, Tuis ut anumerer conſiliariis.

Rex.) Acquieſce judicio noſtro, & aſſide. [*Faciet igitur, honore exhibito.*] Quid jam agendum?

Plinius.) Vocandus eſt *Didacticus*.

Rex.) Quid vocis aut rei eſt *Didactus*?

Plato.) Διδάσκω Græcis *Doceo* eſt; Διδακτὸς *Doctus*; Διδακτικὸς *Doctivus*: hoc eſt, docendi artifex.

Rex.) Introëat ergò.

ACTUS II. SCENA V.

[*Didacticus.*]

Didact.) Regiæ Majeſtatis nomine ſiſtere me juſſus, adſum.

Plato.] Salve, Vir egregie! Narratum eſt Regiæ Majeſtati, te profiteri *Didacticam*; itáne eſt?

Didacti.] Si profeſſionis nomen meretur pius alios in Profeſſione ſua juvandi conatus, fáteor me inter eos eſſe, qui difficiles Juventutem formandi labores expeditius procedere poſſe optant, obſervationéſque bonas quæ huc faciant, colligunt. Quomodo videlicet minori moleſtiâ, ſtrepitu, nauſeâ; majori verò facilitate, ſuaxitate, fructu, verſari liceat in Scholis, humanitatis officinis. Ubi neceſſe habent exercéri Juniores (*qui quidem optent ordiri vitam ſapienter, & tranſigere proſperè*) non tantùm in *Literatúra*, ſed in omnibus quæ humanam perficiunt naturam: nempe ut prædiſcant rectè *SAPERE*, rectè omnia *AGERE*, rectè *LOQUI*; linguâ unâ vel pluribus,

Plato.]

Plato.] Benè ista, sed gustum vellemus Didacticæ artis. Paucis explica quid illa sit.

Didact.] *Didactica* est ars bene docendi. *Docere* verò est, quod quis scit, ut alter quoque discat & sciat, efficere, *Benè autem docere est*, ut quis *Citò*, *Jucundè*, *Solidèque* discat efficere.

Plato.] Cur tria illa, *citò*, *jucundò*, *solidè*, addis ?

Did.] Quia malè docet, qui *tardè*, qui *molestè*, qui *mutilè*, ad scientiam promovet. Omninò ars igitur quærenda est, quâ doceamus *citò*, quia multa discenda sunt in usum Vitæ: ut ergò nulla in rediu hæreamus, sed progredientes ex aliis ad alia. *Jucundè*, ut Discens toto studii cujusque cursu, non magis se defatigârum sentiat illis quæ acta sunt, quàm accensum ad ea quæ peragenda restant. *Solidè*, ut quicquid discitur ediscatur totum, & redè, ad promptum usque usum.

Plato.] Aurea ars, si haberi posset.

Didact.] Potest haberi, adeóque jam habetur, beneficiô DEI.

Plato.] Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident.

Didact.] Nonne, *Docere Ducere est* ?

Plato.] Propemodum : Itur enim ab aliquo noto ad aliquid ignotum : sed quid tum ?

Didact.] Detur jam qui sciat præire, & vestigia ponendi modum præmonstrare, teneátque insuper imbecillem manu ; annon transire poterit quicunque quôcunque ?

Plato.] Applica.

Didact.] Doceantur omnia per *Exempla*, *Præcepta*, *usum* ; & discentur omnia *certè*, *citò*, *jucundè*. Premonstret, inquam, Decens cujusque rei noscendæ aut faciendæ, Exemplar verum, & clarum : détque discenti ad contemplandum illud spatium justum. Tum illustret præceptô seu regula, quid & ad quid sit, & quomodo fiat, perspicuè, ut non intelligi non possit. Demùm jubeat imitari, tentantique imitamen adstet, ut si aberrare videat,

videat, mox corrigat, donec errare dediſcat. Sed Condiſcipuli quotquot fuerint, ſimul attendant. ut quicquid dicitur uni, audiant omnes; & ſi in quotcunque emanditur unus, in eo hallucinari dediſcant omnes. Sed & hoc: un o tempore non agatur niſi unum, ne diſtrahantur ſenſus: nec ejudem Claſſis diſcipuli agant diverſa, omnes idem. Tum denique eatur ſemper gradatim, quomodo res ſeipſas conſequuntur, & à ſe invicem pendent. Tanquam per ſcalas benè ſtructas ad quamvis Rerum faſtigia deduci poterit omne humanum Ingenium.

Plato.] Faciliùs hæc forſan dicuntur, quàm præſtantur.

Didact.] Præſtabuntur reipſâ. Sit modò, qui docet *doctus; & doctivus*, cui adſit doctrinam aliis communicandi gnavias & promptitudo: qui autem diſcit, ſit *docilis & diſciplinoſus*, quotidie aliquid novi reſcire ac addiſcere avidus; uterque habebit delicias: Scholàque fiet quod audit; *Ludus* dum operæ pera genitur ludibundis utrinque. Et quod magis, hæc blandæ Manuductionis identitas eam habebit commoditatem, ut Præceptor, ſtans in Pulpito, ſatisfacere queat quantævis erudiendorum catervæ. Hi autem excitabunt ſeipſos certatim, acuéntque æmulatione mutuâ, dum omnia fient palam omnibus. Sic enim ingenioſi proficient potenter, tardiores verò ſuperabunt tandem quoque difficultates ipsâ exercitiorum aſſiduitate: quod oſtendent *Examina.*

Plin.] Oſtendent, crede: Veritatem enim promiſſorum experiri nobis certum eſt. Sed heus, nullane jam Diſciplina opus erit?

Didact.] Diſciplina jungenda eſt Inſtitutioni ſemper, ut ne per indulgentiam ob ępat iucuria, vel deſidia, aut diſſoluta licentia. Ergò qui negligenter agit, increpetur. qui monitiones contemnit, ferulâ caſtigetur: in quo autem malitioſa deprehenditur obſtinatio, ejiciatur

à

à morigerorum consortio, tanquam scabiosa pecus à grege. Ludimagister tamen plagosus esse caveat: permittat potius diligentibus honestas recreationes, spatiationes, collusiones; adeòque ipsemet colludat, exercitiâ providens pulchra.

Plato.) Scholarum distributio qualis tibi probatur?

Didact.] Rectè dividuntur in *Triviales*, *Gymnasia*, *Academias*. *Trivialis schola* pro Elementariis ac tironibus est: quorum sensus exercendi sunt circa Res sensuales. *Gymnasia* (*Classicas vocant scholas*) pro iis sunt qui Linguas discunt, & liberales Artes; exercitandique sunt circa Rationes rerum noscitandas. *Academiæ* denique pro iis, qui absolutam Eruditionem quærunt, purum scilicet Rerum intellectum: ubi hoc operam dant Professores Facultatem quatuor, ut humanæ Vitæ Magistri, Philosophi, Medici, Juris-consulti, Theologi, indè prodeant, communi bono.

Plato.) Methodi meliores jamne data sunt publicis in Scholis specímina?

Didact.] Non dum pro voto. Pauci attendunt consilia bona, consuetis sibi placent. Incipiunt tamen alicubi prospicere, ordinatiúsque agere.

Plato.] Gratulandum. Quæso edatur hîc, coram Serenissimo Rege, specimen! Descende proximam in Scholam, Docentesque & discentes methodô Tuâ instrue! ut paulo pòst Examine habito, quid boni subsit, patere possit melius.

Didact.] Experiar, cum DEO.

(*Musica.*)

ACTUS II. SCENA I.

Didacticus.

Redeo, Serenissime Rex, rebus non malè, uti spero, dispositis à Schola prima ad ultimam.

Rex.]

Rex.] Gratulabimur, si ex voto. Dic autem, quomodo res dispensasti.

Did.] Ultimum Scholis finem & metam posui, *Reddere puerum quemlibet, quem formandum accipiunt, Virum administrandæ Vitæ Oeconómicæ, Politicæ, Ecclesiasticæ, idóneum.* Sed, quia ex Infante non illicò fit Vir: (*quippe pueritiæ, adolescentiæ, juventutisque transire prius necesse habent annos*) sic per scholas ternas pensa distribui, ut puerum gradatim elevent ad virile usque Sapientiæ robur.

Rex.] Edissere quomodo?

Didact.] *Cuique Scholæ præfixi metam*, quousque suos deducere habeat. *Tum dedi cuique Instrumentum certum*, cujus beneficiò suos ad metam hanc suam deducere possit certò. Tandem *ostendi modum Instrumentis istis utendi facilem & jucundum: tum Præceptoribus, tum discipulis, tum horum inter se in concertationis forma.* Quibus modis obtinere spero, ut quicquid ulla in Classe discendum est, hoc se priùs videant didicisse, quam sentiunt discere, discipuli.

Rex.] Magna minaris: vide ut fidem præstes.

Didact.] Res fidem faciet. Vocentur & examinentur à primis ad ultimos. Discipuli dico cum Præceptoribus suis, ut quid, & quomodo utrique agant, coram spectetis. Sed quærite, si placet, ex quolibet Præceptore primum, *Quousque suos ratione Literaturæ, Morum, Linguæ, deducere habeat.* Secundò, *Quid Instrumentorum ad hæc certò peragendum in promptu sit.* Tertiò *Quomodo iisdem Instrumentis utatur*, ad Discentes in alacritate continendum, & suaviter magnos progressus faciendum. Quod ab omnibus exigi velim practicè, ut suos cum Discipulis processus coram vobis exhibeant. Tum enim demum tota de re judicare poteritis integrè.

Rex ad suos conversus.) Quid videtur?

Plato.) Placet.

Eratosthenes.) Rationabilissimum est ita fieri.

Apollonius) Commodum erit.

Plinius.] Quo autem ordine vocabuntur?

Didact.] Quamlibet Scholam (*Trivialem, Gymnasticam, Academicam*) in tres Classes divisi. Prima ubique Classis erit *Incipientium*: Secunda *Proficientium*: Tertia *Perficientium*. Initium ergò fiat à prima & infima *Alphabetariorum* Classe.

Rex.] Fiat, adsint.

ACTUS III. SCENA II.

Literator togatus, Scipionem manu gestans, cum tribus Discipulis, quorum quisque Tabellam ligneam (cum recens excogitato Alphabeto vivo) & Cretam, secum feret.

Rex.] Eratosthenes, fac cum istis periculum.

Erat. Pusilli hujus gregis túne doctor es?

Liter.] Mihi concrediti sunt formandi.

Erat.] Ad quid eos formas?

Lit.] Ad Pietatem, ad Mores bonos, & ad Literas noscendum, pingendum, rectè pronunciandum.

Erat.] In Pietate quomodo eos exerces?

Lit.] Doceo illos, voce & exemplô, ante Scholam & pòst Scholam; ante cibum & pòst cibum, cubitum eundo & cubitu surgendo, invocare Deum; idq; genubus flexis, manibus plexis, oculis sursum erectis, gestúque ad omnem devotionem compositò. Sæpè eos moneo, omnia bona venire à bono Deo, Creatore nostro: ideò illum semper esse laudandum, dum nobis benè est: & ne nobis malè sit deprecandum, præveniendámque iram Dei metu Dei, seriôque pietatis studiô. Ut autem Dei voluntátem ne ignorent, repeto cum illis quotidie *Decálogum*; tùm solatii locô *Fidei Symbolum*, & similia. Deduco etiam ad sacros Cœtus, ibíque compositè, tanquam in conspectu Dei & Angelorum, ut se gerant, doceo. Nam tametsi

metsi Conſciones ſacræ ſupra illorum captum ſunt, adſuescunt tamen diligere Tabernacula Dei, & agnoſcere ſe Cives Eccleſiæ, domeſticósque Dei.

Erat.] Piè hoc. Mores quomodo illis implantas?

Liter.] Iterum praxi. Adſuefaciendo eos exemplô & monitis ad Temperantiam in victu: ad Munditiem in veſtitu; ad Venerationem erga ſuperiores, & ad Obedientiam æquè in mandatis atque veritis, ſemper promptam. Tum ad Veracitatem, ne unquam mentiendo fallant: & ad Juſtitiam, ne unquam alienum quid contrectando, vel occultando, auferat: & ad Labores atque Occupationes perpetuas, ſive ſerias ſive ludicras: eô ſemper fine, ut ad omnia excitatos, & otii impatientes, reddam. Patientes contra injuriarum ut efficiam (*quæ virtus Chriſtianiſmi fundamentum eſt*) variè pertento, utque tandem alienô pro ùs quàm ſuô regi malint arbitriô, obſequentiæ perpetuæ exercitiis obtineo.

Erat.] Pulchra exercitia! Altè videris imbibiſſe illud Senecæ: *Mores primùm, mox Sapientiam diſce, quæ ſine moribus malè diſcitur.* Sed cedò, quid Sapientiæ illos doces?

Lit.] Si nondum Sapientiam ipſam, Sapientiæ tamen viam coram illis explano, Literas eos (*quæ omnis Eruditionis colligenda univerſale inſtrumentum, & ad Sapientiæ theſauros claves ſunt*) brevi & amœnâ viâ perdocendo.

Erat.] Intra quod temporis ſpatium?

Lit.] Menſis unius.

Erat.] Hem, tàm citò! quâ id arte?

Lit.] Unicum mihi eſt inſtrumentum, *Tabella hæc*! In qua pictum illis exhibeo *Alphabeta vivum*; Animalia ſcilicet, quæ Literarum ſingularum ſonos edunt. Tiro igitur Animal quodvis intuens, ſonûmque illius imitans, per ſemetipſum pronunciat Literam: quomodóque idem ſonus pingatur, ex adjecta Figura diſcit, pingitque ipſe eandem Figúram conſuescit.

Erat.] Quomodo? oſtende id praxi.

Lit.] Lubens. Ecce Tirunculos heri mihi traditos, literarum adhuc ignaros! Hos in conspectu Vestro Literas docébo. Filióli, veníte, ludemus cum hac pictura!

Discipulus.] Benè, Domine Præceptor.

Præceptor, primam ostendens picturam) Quid hoc est?

Discip.] Avis.

Præc.] Rectè: sed cujusmodi avis?

Discip.] Nescio,

Præc.] Tu Alter? *Ille*] Nescio.

Præc.] Dicam vobis: Cornix est. Scis autem, Tu, quomodo Cornix clamat?

Discip.] Nescio.

Præc.] Sic dicit, A, A, A. Imitare.

Discip.] A, A, A.

Præc.] Tu alter. *Alter*) A, A, A.

Præc.] Rectè. Scis autem tu, quomodo Sonus iste pingi possit?

Discip.] Nescio.

Præc.] Nemo Vestrûm?

Discip.] Non.

Præc.] Docebo Vos. Ecce hîc jam pictus est (a) quotiescunque quis Vestrûm talem figuram videbit in ullo Libro, semper dicet (*sicut Cornix dicit*) a, a, a. [*NB. Ostendet in Vocibus ejusdem Tabulæ occurrentem hanc literam (a,) aut jubebit ipsosmet quærère, donec illam invenire, hoc est, agnoscere, per se sciant.*]

Præc.] Vultísne scire pingere quoque?

Discip.] Volumus.

Præc.] Facillimè discetis. Tu N. primò, sed vos reliqui spectate. En graphium hoc ligneum! prehende illud tribus digitis manûs dextræ, (*sic*:) & trahe, super literam hanc (*sic*) [*Imitabitur igitur, aliquoties. Tandem Præceptor.*] En Cretam; scribe hanc eandem Literam in hoc nigro Tabellæ spatio, juxta priorem illam. (*Tentabit, respectans, semperque repetens*, A, sic scribitura: *donec sciat: si non exactò, quóquó tamen modó. Sic &*

aliter

aliter & tertiùs: *tùm Præceptor.*:) Jam ecce didiciſtis unam Literam: Tu, quomodo pronuncias quod ſcripſiſti?

Diſcip.] A.

Præc.] Rectè, laudo.

Erat.] Jam ergò eos unam docuiſti literam?

Præc.] Docui.

Erat.] Quomodo procedis cum cæteris?

Præc. Eôdem modò: Methodus mihi unica, ſui ſemper ſimilis, eſt.

Erat.] Sed antequam omnes literas didicerint, obliviſcentur priorum.

Præc.] Non poſſunt: ſequentem enim Literam non ſumimus ſolum, ſed cum præcedente, *ſic*: *a-b*, *ba*: *a-c*, *c-a*: *e-d*, *d-e*, &c. Et poſtquam totum Alphabeta ſciunt, promiſcuè omnia omnibus jungendo, ſempérque ſimul & pronunciando & ſcribendo, ut jam & Nomina ſcribere, Literarúmque uſum providere incipiant. *o-g-o*: *t-u*: *i-s*: *p-a-u-l-u-s*; *p-e-t-r-u-s*, &c.

Erat.] Quæ autem hi tui exercitia concertatoria habent?

Præc.] Quærunt mutuò de figuris: *Hoc quid eſt?* Reſpondet alter, *Agnus*, *Anſer*, *upupa*, *urſus*, &c. Quomodo clamat Agnus? *Bee.* Et quomodo hoc ſcribis? Sic, B. Cujuſmodi concertatio ſit per totam Tábulam ſaltim: Dehinc memoriter etiam.

Erat.] Et ſi quid neſcit, quid luſu perdit?

Præc.] Ridetur: aut accipit ab illo cui quæſtionem ſolvere neſcit, leve talitrum. Aut do cuilibet nuces aliquot: quas dum negligens perdit, jacturam dolet, & poſtea cavet.

Erat.] Poſtquam verò totum Alphabeta didicerunt, quid illis facis?

Præc.] Mitto in Claſſem lectoriam.

Rex ad ſuos.] Quid, hæc Methodus placet?

Plato.] Bona eſt, quia ſimplex & ſuavis, in forma ludi: non terret ingenia, ſed allicit.

Apoll.] Ab, jámne veritas conſtabit illius Senecáni?

Longum & difficile est iter per Præcepta, breve & efficax per exempla?

Plin.] Si sic altioribus in Scholis procédi poterit, erunt Didactico agendæ gratiæ, ob compendia hæc. Ita enim Literarum ludi verè poterunt esse Ludi.

Did.] Experiri licebit: Vocentur sequentes Classes.

Erat.) Auditísne filioli, Vestros placere ludos? Ite, site ludite, macti ingenio.

[*Pueri ad Pædagogi nutum, flexô coram Rege poplite, exibunt, neque sequetur.*]

ACTUS III. SCENA III.

Procopius, (hoc est, Proficiens, à προκοπὴ, Profectus) cum Discipulis septem.

Rex.] Explora hos, Apolloni.

Apoll.] Amice, quas Tu doctrinas hisce Tuis tradis?

Procop.] Legere & scribere discunt ex me accusatè; numerare & canere initialiter; Mores & Pietatem pleniùs.

Apoll.] Quid Libelli manu gestatis, Tu & Tui?

Procop.] Est *Tricinium legendi & scribendi, numerandique & canendi, Morum denique & Pietatis.*

Apoll.] Ostende. [*Tradet ergò illi unum Exemplar; quod ille experiens dicet.*] Ad quid ista *Puncta, Lineæ, Cruces, Circuli, Semicirculi*, tàm diversi?

Procop.) Discunt hæc primùm pingere, ut Fundamenta habeant *Calligraphiæ:* Literarum enim ductus ex his componuntur, ut sequens ostendit Tabula.

Apoll.) Ergo illos jam ab initio pulcrè scribere vis?

Procop.) Præstat omnia agere pulchrè quàm turpiter: & habet quævis res initia sua.

Apoll.) Examina ipsemet hos tuos.

Procop. ad proximum.) Tu, lege Tabulam tertiam Syllabicam.

1. *Discip.*) Arb, erb, irb, orb, urb: Bra, bre, bri, bro, bru: Bar, ber, bir, bor, bur, &c.

Procop.) Aliter, Lege Vocabula monosyllaba.

2. *Disc.*) As, mas: Ars, parrs: Bos, dos: Mons, fons, &c.

Procop.) Sequens, disyllaba.

3.) *Disc.*) *Aper*, *Caper*: *Lignum*, *Tignum*: *Unda*, *Munda*, &c.

Procop.) *Trisyllaba* lege, Tu.

4. *Discip.*) Allium, Pallium: Humerus, Numerus: Lilium, Millium, &c.

Procop.) Satis. Tu sequens, quadrisyllaba lege.

5. *Discip.*) Beatitas, Fœlicitas, &c.

Procop.) Abrumpe: Video te etiam scire quid Vocabula quatuor, & plurium syllabarum sint. Tu sequens, lege præcepta Morália.

6. *Disc.*) Disce Mores: Virtutem ama: Vitium fuge. Deum time: Angelos reverere: Ora sæpè: Jura nunquam: Honora Parentes: Obsequere Præceptori: Gere te modestè: Majori cede: Minori parce.

Apoll.) Parce tu quoque: videmus te promptè satis legere. Etiámne memoriter hæc tenetis?

Procop.) Omnia quæ Libellus iste habet omnes illi discunt, primò legere, dehinc transcribere, tum intelligere, & memoriæ mandare; tandem imitari, & reipsâ observare.

Apoll.) Laudabiliter. Pietatis exercitia quænam habetis?

Procop.) Lege titulos saltem, tu sequens.

Disc. 1.) Oratio Dominica. Confessio Fidei. 3. Decem præcepta Dei. 4. Institutio Baptismi. 5. Institutio Clavium Regni Dei. 6. Institutio Sacræ Cœnæ. 7. Precatio matutina. 8. Benedictio mensæ. 9. Gratiarum actio post mensam. 10. Precatio Vespertina. 11. Promissiones Dei piis factæ. 12. Maledictiones impiis denuntiatæ.

Apoll.) Pulchrè: quid sequitur?

Proc.) Exercita Arithmetica & Muſica.

Apol.) Etiam Muſicam diſcunt? Ad quid?

Procop.) Reſponde, tu, idem.

Diſ. 7.) Muſica eſt ars canendi. Quam ideo diſco, ut Pſalmos, Hymnos, & Cantica ſpiritualia quæcunque per memetipſum rectè addiſcens, ſuaviter cantare, & cantando Deum laudare, animámque meam oblectare, in Sanctorum cœtu & alibi, queam.

Proc.) Quæ ſunt fundamenta Muſicæ?

Diſc.) *Claves*, *Voces*, *Votæ*, & ex his omnibus compoſita *Scala Muſica.*

Proc.) Quot ſunt *Claves?*

Diſcip.) Septem, A, B, C, D, E, F, G.

Proc.) Quot autem Voces?

Diſ.) Totidem: Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La, Si.

Procop.) Nota quid eſt?

Diſc.) Signum, oſtendens quamdiu Vox uno in loco detineri debeat.

Proc.) Quot ſunt Notæ?

Diſc.) Etiam ſeprem: Maxima: Longa: Brevis: Semibrevis: Mínima: Semimínimæ & fuſa:

Defuerunt Typographo notæ Muſicæ, & mox Claves: quod prudentis Præceptoris erit oſtendere Diſcipulis: item.

Præc.) Quid eſt *ſcala Muſica*? tu alter.

Diſc.) Aſcenſio & deſcenſio Vocis per lineas & ſpatia, ſurſum & deorſum.

Procop.) Quid habet iſta ſcala? Cane.



Ut re mi fa ſol la, la ſol fa mi re ut

Ut

Ut. ſ. u. m. ut f. ut f. ut. l. l. ſ. f. l. m. l. r. l. ut



Ut m. re fa mi f. fa la la mi. ſol re fa ut.

Proc.) Hoc ſcire ad quid prodeſt?

Diſc.) Omnes melodias exactè cantare poteſt qui hoc exactè cantat.

Procop.) Itáne? Canta mihi ergò ſiç Notis (*non Textu*) Pſalmum aliquem. Exempli gratiâ, trigeſimum octavum. [*Exhibebitque illi Pſalterium cum melodiis pictis.*]

Diſcip.) Canam.



fa m. r. mi fa ſ. la ſol, la ſ. fa mi, ſol ſ. la f. ſ. m.



la l. ſol fa re mi fa mi, fa mi re ut, fa la ſ. f. r. m. r.

Præc.) Tu alter cane hunc, ſeptuageſimum quartum.



S. m. fa. ſ. ſ. m. f. r. r. ut. Ut mi mi. f. ſ. f. m. r. mi



Apoll.] Etiámne reliqui tui hoc sciunt?

Proc.] Apud me quod unus scit, sciunt omnes: quia quod unus discit discunt omnes, tametsi alius alio celerius arripiat. Postquam verò omnia hujus libelli perdidicerunt, promoventur ad Classem sequentem, *Speculatorum.*

Rex.] Laudamus Tuam & tuorum diligentiam. Redite ad exercitia Vestra: isti verò speculatores introëant, cum quibus tu, Plini, ages.

ACTUS III. SCENA IV.

Telesius, cum Discipulorum choro, decem circiter.

Plin.] Etiam tu nobis, Vir bone, propositum tuum explica primùm, quid intendat circa hos tuos diligentia tua?

Teles.] Exercito illos ad celeriter Vernacula legendum & scribendum, speculandúmque & intelligendum primarias Res Mundi, & quibus verbis exprimantur omnia.

Plin.] Tantúmne tibi proponis? quo fine?

Teles.] Quia ex hac mea Classe alii jam ibunt ad Scholas Latinas, alii ad Opificia, vel Agriculturam, aut aliò, ut nemo sine optimo viatico exeat.

Plin.] Deus tibi sit propitius, qui tam bona tuis quæris

ris & optas. Sed cedò, quid ad Latinas literas proderit, hæc apud te ſic didiciſſe?

Teleſ.) Permultum, ſi quàm excitatiſſimos & exercitatiſſimos hinc efferant, iſtuc afferant *ſenſus, Oculos, Aures, Linguam, Manum.* Horum enim organorum velocitas, magnæ Eruditionis colligendæ inſtrumentum erit certiſſimum. Quo plura & meliùs apud me didicerint, eo plura & ſolidius ibi ſuperſtruere poterunt poſitis hîc fundamentis.

Plin.) Veriſimilia loqueris.

Didact.) Non veriſimilia; veriſſima.

Plin.) Eſto. Sed quorſum erit Opificibus, & Agricolis, talia didiciſſe?

Teleſ.) Ut iſti quoque ſimiliores fiant Hominibus, quàm brutis: & attentiùs audiant, meliúſque intelligant, Conciones ſacras, quoties audiunt: & oculatiores obambulent inter Opera Dei; rationabiliúſque tractent negotia ſua. Et per conſequens, ut in plebe quoque ipſa paulatim aboleſcat *ruditas, ferócia, barbaries, profanitas.*

Plin.) Sapienter hæc operantur! Habéſne, quæſo te, ad iſtis tam deſideratos fines tuos accommodata media?

Teleſ.) Habeo. Ecce, liber hic unus, imô Libellus, materiarum abundè ſubminiſtrans omnibus Exercitiis noſtris.

Plin.) Quid Libri eſt?

Teleſ.) *Encyclopædia Senſualium hoc eſt, Omnium fundamentaliuum in Mundo rerum, & in Vitæ actionum, Nomenclatura vera, ad oculorem demonſtrationem deducta.* Quidquid enim pingi & oculis præſentari poteſt, hîc exſtat, & nominatur, pérque ſuas partes deſcribitur.

Plin.) Oſtende aliquid horum.

Teleſ.) Lege, tu primus, Figuram primam.

Puer.) DEUS.

Plin.) Quid? Deum etiam pingitis?

Teleſ.) Pingimus, in forma Lucis, in quantum Lux

pingi

pingi poteſt. Libeat verò priùs audire quam judicare. Lege puer. (*Puer velociter leget: N. B.*)

Deus fuit ab æterno, & manet in æternum,
Lux inacceſſa, *Potentia immenſa,*
Bonitas inexhauſta, *Quæ intra ſe concepit*
Et extra ſe produxit, *Res univerſas,*
quas vocamus Mundum.

Teleſ.) Sequens, lege ſequentia.

MUNDUS.

Deus creavit Mundum: Cœlum habet ſtellas:
Nubes pendent in aëre: Aves volant ſub nubibus:
Piſces natant in aqua. Terra habet montes & ſylvas,
Et campos, & Animalia, Homineſque.
Ita ſunt quatuor Elementa, maxima Mundi corpora, plena habitatoribus ſuis.

Plin.) Itáne recenſetis omnes res Mundi?

Teleſ.) Ita: & inſpectamus ſimul Picturas, ut Res ipſas Verbis ſignificatas noſſe diſcamus pariter.

Plin.) Belle. Sed hæc ad ſcientiam faciunt: quid jam pro Morum & Pietatis Exercitiis Vobis eſt?

Teleſ.) Tota moralis doctrina ſimiliter expreſſa eſt ſuis locis: ſicut & ea quæ ad Religionem.

Plin.) Scitulus Liber, agnoſco. Sed quô eum pertractatis modô?

Teleſ.) Planum faciam. Quolibet die abſolvimus Picturam unam cum explicatione ſua, & praxi, hoc ordine. Horâ primâ prælego illis titulum, intuêri jubeo picturam, & explico ſingulas ejus partes, verbis quæ ſubjecta deſcriptio ſubminiſtrat, vel etiam aliis, quæ ad meliorem rei intellectionem faciunt. Tum verò an intelligant rectè, examino. Sequens hora tranſmittitur Lectione, quâ Diſcipuli oculos & linguam ad celeritatem adſuefaciunt, omnes ex ordine, ad horæ uſque finem. Horâ tertiâ deſcribunt eundem Textum in libellos ſuos, quàm celerrimè poſſunt. Ubi ſe ad Manûs velocitatem diverſa prodit aptitudo: Dum alii vix ſemel (*in longioribus penſis*) alii bis, ter, aut etiam pluries, ſcriptio-

ſcriptionem abſolvunt. Quartâ horâ totum hoc quod viderunt, explicari audierunt, toties relegerunt & deſcripſerunt, recitant memoriter. Quod Memoriæ exercitium ut procedat firmius, differo in poſtridianum mane. Unde fit, ut quotidiana ſtudia incipiant (*poſt peractas ad Deum preces*) à pridiano penſo ſolidè roborando; demùmque horâ ſequente tranſitus ſit ad opera nova.

Plin.] Placet diſpoſitio. Sed quid inter ſe concertationis habent Diſcipuli?

Teleſ.] Privatim quidem Picturas ſibi invicem oſtentant, ſpeculantur, explicant: publicè autem horâ tertiâ æmuli ſeſe ad certamen de velocitate manûs, quartâ de felicitate memoriæ, provocant. Vincenti præmium eſt *Prærogativa* loci.

[*Plinius reſpectabit Regem: Rex autem.*] Acquieſcimus ingenioſâ inſtructria Tuâ. Perge quo cæpiſti pede: Bonæ mentis palæſtra ſic erit Schola tua.

[*Abibunt.*] *Didacticus verò*] Exibo, ſi placet, ut Latinæ Scholæ Claſſes, ad examen producendas, diſponam meliùs.

Rex.] Eja, abi. Omne feres punctum, ſi ſic ubique miſcueris utile dulci. Sed ne cunctare diu!

Did.] Confeſtim redibo. (*Muſica.*)

ACTUS IV. SCENA I.

Didact.] Miſcere juſſi ſumus utile dulci. Miſcuimus, Sereniſſime Rex. Perſtet modò propoſitum honeſtas delectationes non invidere Juventuti, facient illi vobis delicias amœnis, & perquam fructuoſis luſionibus ſuis.

Rex.] Etiam de Latinis ſtudiis id nos ſperare jubes?

Didact.] Spondeo. Univerſalis nobis eſt Methodus, ad omnia Studia quadrans: jam pereſcet exemplis.

Rex.] Pereſcat! adſunto. Tu verò conſide nobiſcum, & tuos illos examina, aut, ut loqui amas, collude illis, nobis inſpectantibus.

Did. honore exhibito.] Stando idem peragi poterit.

Rex.] Conſide ad Scholarcham! Commune nobis exinde jam de Scholarum ſalute conſilium erit.

[*Conſidebit igitur.*] ACTUS

ACTUS II. SCENA V.

Præceptor Veſtibularis, cum 18. *Diſcipulis.*

Did.] Latinæ Scholæ metam poſuimus Latinitatem: eámque puram, elegantem, totam; cognitionem Rerum quaſi omnium ſecum trahentem. Verum quia hoc tam diffuſum, támque reale ſtudium grande quid eſt, diverſo, variéque iteratos actus Mentis, Linguæ, Manûs, requirens: diſpeſcuimus id in gradus & Scholas, ſeu Claſſes, tres. Tu proinde primæ Scholæ Magiſter, quouſque Tuos deducere habeas? & per quam certas vias? quibús ve elegantibus compendiis? ediſſere.

Præc.) Mihi mandatum eſt Eruditionis, Latinæque linguæ, ponere fundamenta. Id autem eouſque promovendo meos. I. Ut omnia Latina promptiſſimè legere, accuratiſſimè pronunciare, & quam pulchrè ac velociter fieri poteſt ſcribere, valeant. II. Ut Latinæ linguæ Radices rectè intellectas, rectéque Rebus applicatas, ediſcant. III. Declinare & Conjugare omnia Analoga, ſicut & Syntaxeos fundamenta prima, ſciant.

Did.) Rectè. Quid inſtrumentorum habes, eô Tuos deducendi.

Præc.) Libellum trinum. I. Primus, en, *Tirocinii Latini*: unde lectionem & ſcriptionem primam formant, Moraléſque breves illas gnomas, & Pietatis exercitia, quæ ii Vernaculo Tirocínio habentur, ad verbum tranſlata.

Alter eſt *Encyclopædia Senſualium*, libellus jam quoque in Schola vernacula penitùs illis notus: hîc autem ideò percurrendus: ut eis hac ratione facilias Latina lingua familiareſcat, ubi verbum verbo reſpondet per omnia. III. Tertius Libellus *Veſtibulum*

Latinæ

Latinæ Linguæ dictus, Res & Verba eô artificiô dispoſita habens, ut cum in Philoſophiam, tum in ſequentem Grammaticam, in obſervabilem patefaciat additum : cum adjuncto Dictionario & Grammaticæ rudimentis.

Didact.] Quem tenetis in pertractandis hiſce Libellis modum?

Præc.] Ego illis omnia præmonſtra & dilucido, demúmque rectè percepta (*ut ne imitatio ſit bruta*) eadem eodem modô agere jubeo, aberrántéſque corrigo, donec re omni ſatis perceptâ, uſuque nonnihil firmatâ, ipſi ſeſe invicem provocent, & de loci prærogativa concertando exerceant.

Didac.] Exemplis hoc oſtendatur.

Præc. ad Diſcipulos converſus.] Tu ultime, provoca aliquem ex ſuperioribus his, exagita illum quæſtionibus, an ad omnia rectè reſpondere poterit ex illis quæ jam didiciſtis.

Diſcip. ultimus. Primum provoco. Tu, quæ eſt prima & ſumma Rerum diviſio? (*illô tacente.*) Neſcis? Dicam tibi. Res dividuntur in *OMNIA, ALIQUID, NIHIL.* Cede locum.

Alter ille, primus.] Iſta quæſtio non ſic exſtat in Veſtibulo.

Prior.] Sed ſic etiam explicabat Dominus Præceptor.

Præc.] Verum eſt, vicit ille : mutáte locum. Tu penultime, provoca aliquem.

Penult.] Tu, ſecunde, Quot ſunt res, quæ dici poſſunt Omnia?

Secundus.] DEUS, MUNDUS, HOMO.

Penul.] Cur Deus dicitur Omnia?

Sec.] Quia fecit omnia.

Penul.) Cur Mundus dicitur Omnia?

Sec.) Qui continet omnia.

Pen.) Cur Homo?

(*Æmulô tacente, & aurem ſcabente, ipſe penultimus*) Quia

Quia contemplatur omnia: & est quasi parvus Mundus & parvus Deus: Ita dixit Dominus Præceptor.

Præc. Ad secundum.] Quomodo hoc oblitus es? aut non attendisti? fer negligentiæ ignominiam: Cede locô. (*Mutabunt ergò*)

Didact.) Video Vos rectè procedere: pergite sic. in Grammatica; habetîne aliquem jucundum concertationis modum?

Præc.) Habemus, *chartas lusorias* Grammaticales.

Didact.) Date specimen.

Præceptor depromet Chartarum fascem, tradetque Discipulorum primo, dicens:) *En Chartas Syntacticas!* Tu eas distribue, & quotam numero Regulam quisque sorte accipiet, secundùm eam vocabulum afferat, & cæteris annectat, ut prodeat plena, quantumvis longa, Sententia.

[Primarius acceptas manu chartas miscebit, distribuetque, numerô. 18. Quamvis enim Regulæ Syntaxeos Vestibulariis tantum sunt XV: Una tamen additur charta. Numerô I. quam qui accipiet, faciet Sermonis initium, positô aliquo Nominativô (aut Vocativô) v. g. exempli gratiâ, *SCHOLA.* Cui sequens per Regulam I. apponet aliud Nomen eôdem Casu: ut, *Schola officina.* Tertius per Reg. II. addet aliud Nomen in Genitivo: ut, *Officina humanitatis.* [NB. Qui habebit chartam Numero XVII, erit Notarius, consignabitque ab omnibus prolata verba] Quartus per Reg. III. ornabit Nomina Adnominibus, eôdem numerô, genere & casu: ut, *Bona Schola, pulchra officina, humanitatis veræ.* Quintus per Reg. IV. addet Adnomini (*si res patitur.*) Dativum, ad ostendendum cui res talis sit: ut, *Bona nobis.* Sextus iisdem Adnominibus addet ablativum, ostendentem Unde, aut, quâ parte, res talis sit: ut, *Schola bona constitutione, pulchra exercitiis.* Septimus, vi Regulæ VI annectet Nominativo suum Verbum finitum, simili

numero

numero & perſona : ut *Schola eſt, expolit* (ingenia) *reddit* (doctos) &c. Octavus ex Re. VII. dicet : *Eſt nobis, expolit pueris* (mentem) *reddit parentibus*, aut *Reipublicæ*, &c. Nonus vi Regulæ VIII dicet : *Expolit* linguam, mentem : *Reddit doctos*, moratos, ſolertes, pios. Decimus addet, ductu Regulæ IX Ablativos Inſtrumenti : *Perpolit* (ingenia) *exemplis, præceptis, exercitiiſque perpetuis.* Undecimus mutabit, ſuaſu Regulæ X. Verbum finitum infinito, addéque aliud finitum dicens, pro Expolit, *Expolire poteſt*, aut *ſcit, vult, quærit, ſolet, &c.* Duodecimus addet Verbis Adverbia, vi R. XI. *Expolit pulchrè, citò*, &c. Decimus tertius mutabit Verbum aliquod Participio (innuente id: Regulâ XII.) ut, *Expoliens ingenia.* Decimus quartus addet Adnominibus & Adverbiis Adverbia (ductu Regulæ XIII) ſi poterit : ut, *Schola valdè bona : officina admodùm pulchra, ſatis pulchrè.* Decimus quintus tentabit Præpoſitiones Nominibus addendo (ſuò caſu unamquamque, vi Regulæ XIV) ſyntaxin variare : ut *de Schola :* Bona *PRO nobis PER conſtitutionem ; ULTRA ſenſus* : &c.

Decimus ſextus, ſi plura videbit Nomina vel Adnomina, Verba vel Adverbia, connectet illa Conjunctionibus, ſimiles Caſus, Tempora, Modos, copulantibus : ut, *Expolit ſenſus & mentem; & linguam, cùm* exemplis, *tùm* præceptis, *tùm* exercitiis, &c. Decimus ſeptimus jam peregit officium, annotando hæc omnia. Decimi octavi eſt ex his ſic combinatè collectis componere Sententiam integram, plenam, benè ordinatam, aut, ſi Voces congeſtæ ſunt plures, *duas* vel *tres*. Exempli gratiâ : *Schola bona per conſtitutionem bonam eſt pulchra humanitatis, veræ officina; optanda juventuti, Parentibus, & Reipublicæ quia quærit excolere ſenſus, & linguam, & mentes ; reddens doctos ; benè moratos, ſolertes, pios*, &c.

(Hæc hôc locô historicè recitantur : sed Pueri in conspectu Theatri ludent, iteráque lusum, si videbitur, jubebuntur, datô alô quocunque (ex Vestibuli Cap. 1) themate. Tandem, finito lusu.)

Didact. Non malè lusistis, sed quis in hoc tali Ludo vincit, aut perdit ?

Præcp.) Perdit qui nihil ad Regulam suam adferre potuit : aut valdè ineptè attulit ; Vincit autem qui hærenti succurrit. Ultima tamen victoria penes illum est qui constructoris ultimi vitium attendere, & quàm optimè emendare potuit.

Didact.) Sed quodnam vincentis est præmium, quæ perdentis pœna ?

Præcp.) Iste laudatur, hic ridetur : tantô magis, quantô major animadvertitur diligentia vel negligentia.

Did.) Habetisne alias similes Grammaticales chartas.

Præcp.) Habemus, pro repetendis lusu Declinationibus & Conjugationibus : si audire placet.

Rex,) Audiendi nobis sunt alii etiam. (*Et conversus ad Consilarios, dicit*) Hoc exercitii genus probandúmne videtur ?

Plato.) Hæ nugæ in seria ducunt.

Erat.) Talia dudum optanda erant, per quæ puerilibus ingeniis labores edulcarentur.

Scholarcha.) Sed annon periculum subest, ne sic ad chartarum pictarum lusum alliciantur ?

Apoll.) Imô in chartarum pictarum ludibrium, & contemptum hæc inventio tendit : cum perfacilè ibi nihil nisi temporis perditionem, sine omni usu esse, hîc autem utilissimum exercitium cum eadem, aut majore oblectatione haberi (*utrobique enim sorte & ingenio res agitur*) intelligent.

Plin.) Idem sentio.

Rex.) Pergite igitur filioli, ita cum literis ludere, Nostro sub favore, & publico bonorum applausu, Vestro

Ego autem ad majora & meliora in dies crescente impetu. Abite nunc, & redite ad cœnæ tempus; apparari Vobis curabimus Conviviolum.

[*Illi omnes incurvabunt se Regi, & exibunt.*]

ACTUS IV. SCENA III.

Præceptor Janualis, cum duodecem discipulis.

Did.) In tuam promoventur Curiam Vestibularis Classis Discipuli: quos tu, amice, à positis solidè Rerum & Linguæ fundamentis quousque deducere habes?

Præc.) Totam Rerum & Linguæ structuram, quantùm ad majora, illis ostendere, explicare, usumque singulorum docere, meum est.

Did.) Amplum nactus es exercendæ diligentiæ campum. Ad illum autem finem quæ tibi sunt media?

Præc.) Triunus ecce hic Liber? *Janua Linguarum* inscriptus expedit omnia! Quia pars ejus prima, *Latinæ L. sylvam* continet, *Lexicon*: ubi quælibet Linguæ radix ramos suos emittens, & in Arborem integram se explicans, spectatur. Secunda pars sylvam illam defecare, rasciare, in tigna & trabes edolare, construere denique in parietes & tabulata, h. e. Voces jam omnes flectere, & ex illis integrum sermonem nectere docet *Grammatica*. Tertia denique rerum harum usum ostendit, Rerum omnium historiolam texens, stylo simplici & nativo, ad proprias Rerum quarumvis expressiones: *Nomenclatura Rerum* dicitur.

Didact.) Non ignota hæc sunt nobis. Sed, sine esse volumus, qua tu arte hos Libellos pertractes, & qua-

bus compendiis labores discipulis faciles & jucundos reddas.

Præc.) Ipsa series horum pertransfundorum nobis pulchrum stratagéma est, nequid adeò difficile videre possit. Lexicon enim nihil adfert novum, sed prænota jam (Latinæ L. radices) ampliùs tantùm diducit: habéntque singulæ à radice derivatæ Voces suam mox secum explicationem, tum adjectâ alicubi definitiunculâ, tum subjectâ ubique Voce vernaculâ. Nec, dum in Lexico versatur, attendimus aliud quàm Vocum significationes: & dum in Grammatica, Vocum & Phrasium, Sententiarúmq; structuras: & dum in Rerum Nomenclatura Rebus attendimus solis, quippe Vocum jam significationes prænotas habemus ex Lexico, flexiones autem & noxiones è Grammatica: hîc nihil restat nisi in Rerum contemplatione deliciari, adeóque Reali eruditione Mentes pascere.

Did.) Rectè hæc, ratione ordinis. Die jam, in singulis quomodo procedis?

Præc.) Lexicon percurrimus legendo, relegendo, interpretando, alius post alium (*Me semper præunte*,) tum & novæ compositionis argumentum inde formando.

Didact.) Fac videamus exemplum.

(*Præceptor* arreptô *Lexicô* (illiúsque exemplô mox *Discipuli* omnes) præleget quamcunque *Radicem* cum *Derivatis* & *Compositis* suis, exempli gratiâ: *Acerbus*. (*Latine primum duntaxat.*) Finitâ illius Lectione, Inchoabit illi proximus, & sic continuè.

Nullum *Præceptor* Latina sumens membratim, exponet Vernaculè, & imitari se jubebit: imitabuntur ergò. Tum dicet: *Jámne aliquis hæc toties iterata memoriæ impressit?* Tum aliquis tentabit, sed hæsitabit: alter longiùs progressus recitabit totum, & laudabitur. Tum priorum alter: *Domine, jam ego quoque scio.* (*Præceptor.*) *Recita, videbitur: & recitabit.* (N B. At non oportet sumi Lexicon nimis secundum (qualis est *Ago, Dico, Facio,*

cio, &c.) ſed breviorem, ob temporis compendium. Exempli gratiâ; *SCHOLA, STUDIUM, CHARTA, ÆMULUS*, &c.

Tum *Præc.*) Excipite argumentum ſtyli. (Dictabitque vernaculis:) *Pira iſta ſunt acerba, quia immatura acerbant mihi linguam: abſtine ab illis ob acerbitatem. Magis verò cave ne quem exacerbes acerbè dictis aut factis.*

(Tùm dicet:) *Transferte hoc in Latinum.* Et qui primus habebit compoſitionem paratam, legat primus.

Diſc. Domine, ego jam habeo.

Præc.) Lege: Et Vos reliqui attendite; ac ſi quis notaverit vitium, moneto.

[Interveniat ergò vitium alicujus Hungariſmi, aut malè formato Nominis genere vel caſu: Verbi autem tempore aut modo: quem errorem aliqui diſcipulorum interloquendo oſtendant, & emendent.]

Didact.) Nullâne Vobis hîc concertatio eſt?

Præc.) Eſt, Domine. Abſolutô quôvis Lexici Capite, permittuntur ſeſe provocare bini, uter promptiùs memoriâ reddere poteſt.

Didact.) Habeamus documentum.

Præc.) Tu, & Tu (*duos eligens*) concertate de aliqua Radice ex litera S. cui opponatur alia in æqualem excreſcens arborem. Sed ut geſtu etiam exprimatis quicquid poteſt.

(Diſcipulis Lexicon verſantibus, & deliberando cunctantibus, ipſe Præceptor themata duo tradet, æqualis magnitudinis, SCHOLA, & STUDIUM: recitabitque alter hoc, alter illud, promptè. Tum aliis duobus dabit, *Struere* & *Stringere*. Inferior recitet STRUERE, promptè, etiam cum geſtu decoro: alter verò hæreat ſub finem ſui thematis in ¶ *Præſtigiator*, &c. quem alter emendet, & ſic loco dejiciat.)

Didact.) Satis, ſatis. Jámne ſic procedendo abſolviſtis Lexicon?

Præceptor.) Jam.

Didact.) Quantò temporis ſpatio?

Præc.) Quinquemeſtri.

Didacticus.) Quo uſu?

Præc.) Dicat è ſcipulorum aliquis. Tu!

Diſc. Ego antehac ſi quem Latinum librum inſpexi, vix decimam quamque vocem intellexi, ſenſum autem vix uſquam alloqui potui. Nunc autem, poſt Lexicon ſic pertranſitum, quicquid aſpicio ferè omnia intelligo.

Præc. Adeò tibi jam placet? O frater, meliùs placebis, tibi & aliis, ſi Grammaticam quoque Janualem, hîc proximè adjunctam, perdidiceris: quæ te non tantùm intelligere aliena, ſed & componere ſine vitio proprio, docebit. Multò verò magis cùm in ſequentis Januæ Textu Res perluſtraveris. Opráſne illud ſerió?

Diſcip. idem.] Utinam citò!

Did.) Grammatica Janualis veſtra quid continet?

Præc.) Complementa Grammaticæ Veſtibularis: totum jam ſermonis artificium, quo ad ſtructuram propriam, Vocum, Phraſium, Sententiarum, Periodorumque, non intelligere tantùm, ſed & imitari docens, faciliùs ac certiùs, atque id ductu vulgarium Grammaticarum queat.

Did.) Poteſtíſne id nobis exemplò aliquò brevi ob oculos ponere?

Præc.) Qua in materiâ? Placétne aliquid ex doctrina de *Voce* (ſecundùm Vulgares Grammaticas dicerem *ex Etymologia:*) an de *Phraſi* (ſive juxta vulgarem Grammaticam *ex Syntaxi*) aut de *Sententia?* vel *Periodo?* (quas vulgares non attingunt.

Didact.) De Sententia dicite: ſed practicè.

Præc. ad ſuos converſus.) Adeſte diſcipuli, & quid Capite XII. Grammaticæ Janualis didiceritis oſtendite. Tu primus, *Quid eſt Sententia?*

Primus) Vocum & Phraſium nexus, aliquid de aliquo interrogans, aut affirmans, vel negans.

Præc.) Da exemplum.

Diſc.

Disc.) Quis adest? est sententia interrogans, Ego adsum: est sententia affirmans. Frater non adest, sententia negans.

Præc.) Quodnam est Sententiæ fundamentum?

Disc.) Nominativus cum verbo finito.

Præc.) Rectè. *Sequens. Quotuplex est Sententia?*

Discip.) Triplex: Simplex, Composita, Contracta.

Præc.) *Quid est simplex?*

Disc.) Ubi unum de uno interrogatur, aut respondetur. Ut: Qui fuit *Daniel*? *Daniel* fuit Propheta.

Præc.) *Quid est Sententia Composita?*

Disc.) Ubi plura de pluribus dicuntur apertè. Ut: *Daniel* fuit *Propheta*, *Petrus* verò fuit *Apostolus*.

Præc.) *Quid est sententia Contracta?*

Disc.) Ubi plura de pluribus dicuntur occultè. Ut: *Dicunt futuram esse pacem.* Hæc enim sententia in duas se resolvit: *Homines dicunt*, quòd *Pax fiet.*

Præc.) An & trina Sententia in unam contrahi potest?

Discipulus.] Nescio.

Præc.] Tu, *quarte*, scisne?

Discip. quartus.) Habemus in Grammatica exemplum, *Velis nolis fiet*: id est, *sive tu velis* (ecce una sententia!) *sive tu nolis* (ecce secunda!) *hoc fiet*: (ecce tertia!) suum quæque Nominativum habens, suumque verbum finitum.)

Præc.] Tu, *quinte*, Quodnam est centrum in Sententia, ad quod se omnes cæteræ Voces referunt?

Disc.] Verbum personale finitum.

Præc.) Ostende hoc in hac simplici Sententia. *Adam attraxit nobis miserabiliter mortem transgressione suâ.* Pinge in hac Tabula.

Discipulus pinget, sit.

nobis miserabiliter



Ecce hîc omnia ſe referunt ad Verbum *Attraxit* (ſicut in circulo omnes radii ad centrum) per aliquam Regulam. Nempe *Adam attraxit*, per Reg. VI. *Attraxit mortem*, per VIII. *Attraxit nobis*, per VII. *Attraxit miſerè*, per XI. *Attraxit tranſgreſſione*, per IX. *Tranſgreſſione ſuâ*, per III.

Præc.) Potéſne amplificare hanc ſententiam per adſtructionem aliarum vocum, per alias Regulas?

Diſcipulus.) Poſſum, ſi placet.

Præceptor.) Propera.

Diſc.) Per Regulam I. addo Nomini Nomen eodem caſu: *Adam Pater*: per II. aliud Nomen in Genitivo, *Pater Hominum*: per III. addo Ad nomina ubicunque potero, & per alias Regulas quicquid neceſſe erit, ſic: *Adam* creatus ex limo terræ, primus *Pater* omnium *Hominum* (nocentiſſimorum jam ſibiipſis peccandi libidine) *attraxit* omnibus *nobis* certam *Mortem*, temerariâ *tranſgreſſione* ſuâ, credens Satanæ tam facilè, quærenti perdere omnes nos per illum, & in illo.

Præc.) Omniúmne Regularum hîc exempla ſunt?

Diſc.) Sunt.

Præc.) Quot Voces congeſſiſti in hanc Sententiam?

Diſcipulus.) *numerabit primùm, demumque reſpondebit.*) Triginti ſex.

Præc.) Eſt ergò Sententia compoſita?

Diſc.) Non eſt compoſita, ſimplex eſt.

Præc.) Quare?

Diſc.) Quia non habet niſi unicum Nominativum, *Adam*, & unicum Verbum perſonale infinitum, *Attraxit*.

Præc.) Quid ergò tot reliquæ voces faciunt?

Diſc.) Explent ſenſum.

Præc.) *Tu ſequens*, Potéſne ex hac ſimplici ſententia facere compoſitam?

Diſc.) Poſſum, faciendo plures Nominativos & Verba finita: aut alterutrum ſaltem.

Præc.) Da Sententiam *Copulativum*.

Diſc.) Et *Adam* & *Eva* tranſgrediendo attraxerunt nobis mortem.

Præc.

Prec.) Da *rejectivam.*

Disc.] Nec *Adam* nec *Eva* excusari possunt.

Præc.] Da *Ordinativam*!

Disc.] *Eva* primùm transgressa est, deinde *Adam.*

Præc.] Da *Comparativam.*

Disc.] *Eva* gravius peccavit quàm *Adam.*

Præc.] Da *Disjunctivam.*

Disc.] Sive *Adam* peccavit magis, sive *Eva*, nos tamen morimur.

Præc.] Da *Concessivam.*

Disc.] Quanquam nos ibi non fuimus, morimur tamen.

Didact.] Abrumpite, tempus labitur. Agnoscimus diligentiam, pleniorémque Grammaticæ vestræ quàm vulgarium usum. Dicite jam de Januæ Textu, quomodo hunc pertractetis.

Præc.] Quô & cætera modô: Me ubique præeuntem, illi sequuntur ubique. Prælego periodum unam, simúlque transfero in vernaculum: quod idem illi mox faciunt ordine. Tum ostendo *Res ipsas*, *verbis significatis*, si per se ostendi possunt: sin, *pingo in Tabula*; aut *enarro sic verbis*, ut non percipi non possunt. Aut eos deduco in *Hortum*, *Campum*, *Vineam*, *Sylvam*, & ad *Opifices*, &c. ut quid ibi fiat, & quomodo, ipsimet coram intueantur, odores florum ipsimet olfaciant, ficut & aliis sensibus quæcunque possunt exhibeo, & adhibeo: ut vidisse se, audisse, olfecisse, gustasse, palpasse Res quasvis, certi sunt, adeóque cùm de Rebus loquendum est, loqui non nugari, sciant.

Didact.] Et delectat illos ita progredi?

Præc.] Quid ni? quotidie nova spectacula, nováque sensuum oblectamenta, habent: nec hærent usquam, adjuti ubique.

Didact.] Pulchrè rem agitis, fatendum est. Sed habéntne hi Tui, hîc etiam loco, jucundum aliquem Concertationis modum?

Præc.] Habent, privatim & pulchrè.

Didact.

Didact.) Quid privatim?

Præc.) Pro exercitanda Memoria do illis has tres *Aleas* octangulares: quarum unam tantùm jactant ab initio, ad § usque decimam: hinc § 100 binas; exinde ad finem ternas.

Didact.) Quomodo?

Præc.) Quotam Januæ periodum cuique suptemi ostendunt numeri, eam ipsam ille idem recitare debet: si nescit, perdit ludum, & lusu abstinere cogitur; dum reliqui absolvant. Qui post omnes hæsitatores remanet solus, ille victor est: Victorisque (imò Regis) nomen retinet, donec fortè aliâ concertatione dejiciatur.

Didact.) Nisi tempus deflueret, vellemus vos videre ludentes, sed differamus. Intelligimus enim jucundam esse hanc lusionem, & valdè fructuosam. *Publica concertatio quæ est?*

Præc.) Quam in præsens videtis, Domini mei. Redacta enim est tota Rerum Encyclopædia, Januæ Textu comprehensa, in octenos *Scenicos Ludos*. Ubi distributis inter discipulos pensis, in conspectu *convocati Theatri* suam quisque personam, quàm decorè potest, agit; *Res ipsas*, aut certè *rerum simulacra*, ostentans, actionésque ad vivum repræsentans: sicuti nos nuper Naturalia & Artificialia trino *Actu* repræsentabamus; & hodie *Scholam rectè constitutam*, quæ & quomodo ibi fiant, repræsentamus: restánque tales *Actus* quatuor, antequam sic vivis actionibus pertransita fuerint omnia.

Rex.) Hoc ergò est? Ludite igitur cum animi prolubio, dilecti filii, æquè in *Schola* ut in *Theatro*: sic tandem aliquando *Reipublicæ Theatrò* digni futuri. Secedite nunc, postea verò ad Epulum venite.

[*Incurvabunt se, & exibunt.*]

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IV.

Atrialis Præceptor, cum Discipulis novem.

Didacticus.) Latinæ *triclassis* Scholæ suprema, *Atrialis*, Tuæ prudentiæ commissa est: dic, quô fine? quas diligentiæ tuæ metas habes?

Præcept.] Meum est *Latinæ Linguæ* studium absolvere; ut hi mei ex hoc *Atrio* meo immediatè in *Authorum* Palatia immitti, omnia ibi propriô jam Marte penetrare, realisque Eruditionis thesauros sibi colligere, possint.

Did.] Bellè sanè. Sed ad istam metam per quam viam ducis tuos?

Præcept.] Eadem tria mihi sunt, quæ præcedentium Classium Magistris, Philologici studii instrumenta: *Nomenclatura Rerum, Lexicon, & Grammatica*; sed omnia novâ veste induta, ad elegantiam comparata. Enarratio enim Rerum Atrialis non simplex est & nativa, ut in Janua (ubi *scapham* dici *scapham*, & *ligonem*, satis fuit:) sed quæ perpetuò aliud, aut aliter, dicens, gratâ varietate perpetuò delectat. *Lexicon* item mihi est *Latino-Latinum*, simplices rerum appellationes elegantioribus Authorum phrasibus & sententiis, permutare docens. Et Grammatica mea, *Grammatica elegans* cluit: quia sexcentis præterea modis sermonem variandi artificia recludit.

Didact.] *En Rhodus! en salta!* Ede specimen tanti illius artificii elegantis illius Grammaticæ Tuæ.

Præc. ad Discipulos.] Accingite Vos: & quid profeciatis ostendite, non è Libris, sed promptâ memoriâ. Tu primus, *Quid est Grammatica elegans?*

Disc. 1.] Est eleganter loquendi *ars*,

Præc.

Præt.) Quid est eleganter loqui?

Idem) Animi sensa aliter quàm sermonis leges requirunt, eloqui: & tamen intelligi suavius, quàm intelligeremur si sermonis ductu nativò uteremur.

Præc.) Tu sequens. *Quid est Ex arte loqui eleganter?*

Disc. 2.) Sermonem variandi modos habere in numerato: & posse, cur sic aut sic aliquid variandum sit, reddere rationem.

Præc.) Habes verò illa tu in numerato?

Disc. 2.) Spero me habere.

Præc.) Non sufficit hîc sperare: certus esse debes, te scire quod scis. Dic ergò, Sermonis elegans transformatio quot modis fit?

Disc. 2.) Tribus principaliter. I. *Dilatando.* II. *Contrabendo.* III. *Variando.* Sed variatio rursum fit specialibus modis septem. (1.) *Explanando* (2.) *idiotisando* (3.) *transponendo* (4.) *transmutando* (5.) *transnominando* (6.) *transfigurando* (7.) *transligando.*

Præc.) Quot ergò sunt omnes in universum sermonem variandi modi?

Disc.) Novem.

Præt. obversus Didactico.) Domine, opus nobis esset exemplo aliquo, vel Sententiâ unicâ, in qua tot modis variandi, ostendamus artificium. Libeat proponere.

Did.) Hoc sit: *Schola bona omnia docet exemplis.*

Præc.) Perbenè. Tu, tertie; quot modis dilatari potest sententia?

Discip. 3.) Tribus: primum, secundùm singula verba: Deinde, secundùm Phrases: tandem, ut Sententia est.

Præc. Dilata Sententiam nobis propositam secundùm singula verba.

Disc. 3.) *Illustris hæc nostra Schola, veræ humanitatis officina vera, quæcunque discì opus habent ad usum vitæ, docet & perdocet, dedocetque, non rigidis præceptis, sed amœnis perpetuisque exemplis.*

Præc.

Præc.) Possèsne ostendere ex quibus fontibus hi dilationis rivuli fluant?

Disc. 3.) Possum: ex *Epithetis*, *antithetis*, *synonymis*, *periphrasibus*, *&c.*

Præc.) Satis est. Tu, quarte, Contrahe rursum hanc dilatatam sententiam, detractis quæcunque detrahi possunt, salvo sensu, essentialibus solis relictis.

Disc. 4.) Si omnia detraxero, remanebit ipsa prima sententia: quippe satis *Laconicè* prolata. Nisi fortè dicam: *Nos omnia exemplis.*

Præc.) Non malè. Tu sequens, Dilucida sententiam datam, ut si quid obscuri inest, aut ambigui, tollatur, fiátque sensus per omnia planus & perspicuus.

Discip. 5.) Plana jam sunt omnia. Nisi fortè quia *Pictores*, *Athletæ*, *Milites*, *Nutrices*, &c. suas quoque habent Scholas, determinare libeat, *Schola*, seu *Ludus* literarius.

Præc.) Sequens, Commuta loquutiones linguis communes in idioticas, Latinis proprias.

*Disc.*6.) Latinius forsan diceretur. *Ludus discendi vester cuncta instituit meris paradigmatis.*

Præc.) Nonnihil est quod dixisti. Sequens transpone Voces in hac nobis data quinque vocum Sententia. Dic verò, primum, quoties Voces quinque transponi possunt?

*Disc.*7.) Centies & vicies.

Præc.) Hui! tantum?

Disc.) Tantum. Vicies quater inchoando à voce *Schola*; toties à *Nostra*, toties ab *Omnia*, toties à *Docet*, toties ab *Exemplis*.

Præc.) Video te intelligere stupendam illam progressionis vim. Transpone saltem aliquoties.

*Disc.*7.) Schola nostra omnia exemplis docet, Schola nostra exemplis docet omnia. Schola nostra exemplis omnia docet. Omnia exemplis docet nostra Schola. Omnia docet exemplis Schola nostra. Exemplis omnia docet Schola nostra.

Præcept.] Desine, dies nos deficeret. Tu sequens, Transmuta Sententiæ *Voces* Grammaticæ, *Casus, tempora, modo.*

Disc. 8.] *Scholæ nostræ proprium est, per exempla docere omnia.*

Præc.] Non potes aliter?

Disc. 8.] Possum, aliter atque aliter variando Casus, Tempora, &c.

Præc.] Video te posse. Tu, ultime, Transnomina hîc posita res: hoc est, voces proprias commuta in tropicas.

Disc. 9.] *Palæstra mea statuas suas omnes ad Polycleti normas fingit.*

Præc.] *Palæstra*, pro Schola, quis *tropus* est?

Discip.] *Metaphora*: est enim Palæstra Pugilum Schola.

Præc.] *Mea*, pro nostra, quid?

Disc.] *Synechdoche* numeri, singularis, pro plurali.

Præc.] *Polycleti norma*, pro Exemplari, quid?

Disc.] *Metáphora.* Formamur enim hîc tanquam vivæ statuæ, ut ex truncis fiamus *Mercurii*, pulchra Dei imago.

Præc.] Pulchrè. Tu denuò (ad priorem conversus) Transfigura datam sententiam: hoc est, indue illi affectuosum aliquem vultum.

Disc. 1.] Faciam. Primò per *Interrogationem*: *Annon pulchra Schola est, ubi omnia docentur exemplis?* Secundò per *Exclamationem*: *O Felix Schola, quæ omnia docet Exemplis!* Tertiò per *Apostrophen*: *Felix es Schola, quæ omnia doces Exemplis!* Quartò per *Prosopopœiam*: *Me videte favores, Scholæ reliquæ, & discite omnia docere exemplis!*

Præc.] Abrumpe, patet te hanc etiam sermonis ornandi artem non ignorare. Potéstne jam Vestrûm aliquis numeris hanc ligare Sententiam? Tentate! quis primus?

Disc. 2.] *O felix Schola! ubi per clara exempla docentur omnia!*

Dis. 8.) Ego, Domine, habeo Rythmum.

Præceptor.) Cedò.

Disc.) *Quæ docet Exemplis Schola*
ET in motu tanquam Mola.

Præc. Ad Conceſſum) Ita variabamus Sententiam Veſtram ſecundùm Voces: placétne audire variationem ſecundùm Phraſes & Sententias.

[*Didacticus obtuebitur Regem : Rex autem,*]

Tempus jam non patitur. Videmus vos non inertes, nec ignavè, Veſtrâ in Scholâ verſari. Reliqua veſtra videre poterunt. & cenſere, *Scholarcha* cum *Didactico*. Super omnia verò res ut fidem faciat, opera tibi danda eſt. Quod erit, ſi omnes hos tuos ad præfixam vobis metam deduxeris pulchrè. Nunc ſecedere Vobis liberum eſt.

ACTUS IV. SCENA V.

Scholarcha.) Submiſſe regiam Majeſtatem, totúmque honoratiſſimum Sapientum Conſeſſum, oratos volo, ut num poſt hoc talis hic in Scholis obſervari debeat Juventutem exercendi modus, determinare libeat.

Rex.) Ejs edifſerite ordine, quid videatur.

Plato.) Mihi ſemper ita viſum, non generoſas tantùm Mentes duci malle quám cogi, ſed totam humanam naturam. Hanc igitur Methodum, quæ tota nihil niſi blanda Ingeniorum manuductio eſt, totam eſſe retinendam ſtatuo, augendámque in majus ſemper & melius.

Eratoſt.) Si recte dictum eſt : *Illa tantùm ſcimus quæ memoriâ tenemus.* Methodus hæc inde etiam laudari meretur, quòd perpetuâ Senſuum excitatione, viviſque rerum expreſſionibus, imaginativam benè movens, jucundiſque actionibus perpetuò delectans, quam clarè omnia Intellectui efferi, tam firmiter omnia

Memoriæ

Memoriæ imprimit. Sinantur Scholæ his ſuis Senſuum, Intellectûs, Memoriæque ſeperaſtris, uti frui.

Apoll.] Recordor quèndam dixiſſe, *Exercitia eſſe animam Scholarum.* Si verè, Schola igitur noſtra benè animata erit: utpote tota vividis exercitationibus fervens.

Plin.] Cautione tamen aliquâ eſſe opus arbitror: ut ne nimis ludicra ſinquiæ ſic luduntur, ſed temperata gravitate. Rectè *Apelles eos Pictores peccare dicebat, qui non ſentirent quid eſſet ſatis.* Hâc igitur moderatione permittuntur Scholis in luſus, ut omnes id genus luſiones nihil aliud ſint quam vitæ præluſiones.

Didact.] Prorſus eô collimatur, ut Adoleſcentes non Scholæ diſcant, ſed Vitæ: quod ſequentes *Actus Comici* (de *Moribus Vitæ*, & de *Vita Academica*, déque *Oeconomia, Politia, Religione*) apertiùs oſtendent. Hoc, inquam, agitur, ut Schola egreſſis nihil adeò poſſit occurrere tanquam prorſus novum, ſed tanquam præcognitum: nec aliud interſit, niſi quod hîc res fiant per luſum, ibi ſeriò. Maneat igitur fixum hoc omnibus Scholæ Januis ſuperſcribendum emblema: *Omnia ſponte fluant, abſit violentia rebus.*

Rex.) In conſenſum & concentum ite vidco Veſtrûm omnium vota: nec ego abjungam meum. Edictum igitur eſto, æternæ legis habiturum vim: ut *Homines ad Humanitatem nonniſi humaniter formentur: & Schola quævis omnimodæ humanitatis officina ſit veriſſimè.* Sed tu Scholarcha, cum Collegis tuis, ut omnia ſic rectè fiant, ſummè attenditote. Vos hîc primarii duces, Vos Navarchæ, Vos cœli hujus Atlantes, eſtis: ab una vigilantia Veſtra ſalus Scholarum pendebit. Vos enim, tanquam prima Mobilia, ſequuntur Orbes, Præceptores: eóſque rurſum diſcipili, tanquam Elementalis Veſter Mundus, ex quo Vos, cooperante Cœlô, formabitis vivum aurum & argentum, vivoſque floſculos & Paradiſi arbuſculas, odoriferas Deo; en-

tiæ

tia denique undique animata ; vitâ, ſenſu, & motu pleniſſima, ipſiſſimam in Homine imaginem Dei. Vos autem cæteri amici, quòd adeſſe, & his tantis de rebus conſilia tam ſalutaria conferre volueritis, habete gratias.

[*Illi ſurgent, tum & Rex, excedentque Theatro.*]

[*Muſica.*]

Epilogus.

Honoratiſſimi Domini, Patroni & Fautores! Luſimus in conſpectu Veſtro Scholam, oſtendimúſque vivis exemplis, Quomodo literarii ludi verè fiant ludi. Placuítne actio? Speramus. Sed & oramus, ut placeat pulchellus hic omnia docendi & ſcribendi modus. Si permittitis Scholam hanc Veſtram non eſſe *piſtrinum*, ſed *ludum*: non fugiemus hinc nos puſillæ Creaturæ, ludicris adhuc oblectari gaudentes, concurremus potiùs agminatim, edurabimúſque omnem formaturam: ut nos tandem aliquando plenè excultos, & ad omnia honeſta idoneos, videatis. Quod faxit Deus! Vos autem Valete & plaudite.

Januæ

Januæ Linguarum PRAXEOS

PARS V.

IN QUA

ACADEMIA, cum quatuor ſupremis Facultatibus ſuis, literatâque Studioſorum Peregrinatione, & eruditâ converſione repræſentatur.

Sap. 7. Ver. 4.

Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia: attingit enim & capit omnia.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Ptolomæus.
3. Socrates.
4 Plato.
5 Eratosthenes.
6 Apollonius.
7 Cancellarius Acad.
8 Rector Acad.
9 Pedellus.
10 Duo novitii.
11 Studiosi.
12 Depositor.
13 Metaphysicus ex ambone turbam docens.
14 Physicus eôdem modô.
15 Mathematicus cum tribus discipulis.
16 Numeriano.
17 Metrito.
18 Trytano.
19 Astronomus, cum duobus Astronomiæ studiosis.
20 Uranio et
21 Asterio.
22 Geographus cum Discip. Hospitio & Peregrino.
15 Historicus, cum Auditoribus octo.
34 Logicus cum Disc. 4.
39 Eloquentiæ Professor cum Auditorum turba.
40 Ethicus.
41 Medicus, cum opponentibus. 4. Professoribus.
46 Promotor Philosophus cum 9 Baccalaureis, & 3 Magistris: qui tamen è superioribus eligentur.
53 Promotor Medicus.
54 Initiatus.
55 Academicus.
56 Epilogus.

PRO-

PROLOGUS.

Excitat Auditor ſtudium, laudataq; Virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet!

ITa Vos Poëtæ verbis primùm alloquor ego, qui è Scena iſta in proſcenium hoc primus hodie prodeo, Spectatores omnium Ordinum honoratiſſimi. Sed intelligitíſne verba alloquii mei? Intelligite quæſo! Oracula hîc fundit Vates: quomodo rerum bonarum in bonis Mentibus excitari poſſit Amor. Virtutíq; dum in curſu eſt incrementa addi. Quod Nos & Vos intelligere, Noſtrâ & Veſtrâ intereſt: Nos enim ſumus ſtudiorum cultores in hoc Athenæo Veſtro: Vos noſtri jam Auditores, Spectatores, Cenſores. Si vos excitati aderitis, excitabitis excitatione Veſtrâ fervorem ſtudii noſtri, in præſens & in futurum. Si laudaveritis inſuper Diligentiam noſtram, creſcit Virtus noſtra. Si applauſu denique Veſtro gloriolæ aliquid tribueritis ingeniolo noſtro, immenſum ea res calcar habebit ad plus audendum. Vultis promiſſi fidem? Dabimus hodie majora Vobis quàm qualia adhuc vidiſtis, exhibituri. Quia nempe nuper, cum Scholam luderemus, Vernaculam & Latinam Claſſicam, actiones noſtras approbaſtis, & publicè collaudaſtis, excitatum eſt ſtudium noſtrum, crevítque virtus, & immenſum nobis additum calcar, ut hodie (quô nos progredi, non regredi, videatis) Academica ſumus tractaturi ſtudia, Vobíque omnia quæ Philoſophi, Medici, Jure-Conſulti, & Theologi, in Academiis agunt, vivis actionibus repræſentaturi. Adeſte igitur attenti! Vos præſertim quibus Academias adeundi, & videndi, longinquitas itinerum, aut penuria ſumptuum, ademit poteſtatem. Adeſte, inquam, & Academiam domi ſpectate,

ACTUS I. SCENA I.

Rex cum Conſiliariis.

Rex.] Dies adeſt, quam luſtrandæ Academiæ deſtinavimus; volumúſne ingredi, & quid ibi fiat ſpectare coràm?

Socrat.] Regem & Monarcham in Academia conſpici, eruditiſque Doctorum colloquiis, & acerrimis diſputatorum colliſionibus, panegyricis, aliiſve actionibus, ſapientes aures, oculos, mentes, vel totum diem diſcere, non novum eſſet ſpectaculum. Solemne id fuit Alphonſo Arragoniæ Regi, & Carolo IV. Romano Imperatori, nec non aliis qui indignè ſe coronas & Sceptra, niſi Sapientiæ fulgore decorata, geſtaturos crediderunt.

Plat.] Ita ſanè eſt: non imminueret Rex majeſtatem ſuam Sapientiæ luſtrando emporia, horum verò augeret ſplendorem & decus. Sed annon æquè illi ut alii, ad exhibendum omnia ſua Regi, & nobis, & Aulæ, totíque nos circumſtantium turbæ, evocari poſſunt?

Erat.] Ita inter nos jam inde à luſtraminis hujus exordiu convenit, ut omnes undique verſus huc evocentur: non exiſtimo mutandum eſſe proceſſum.

Apoll.] Eadem eſt ſententia mea. Et jam denuntiatum eſt Academicis, ad hanc ipſam diem adeſſent: adeóque adeſſe illos ſcio. Actutum res inchoari poteſt.

Rex.] Fiat ergò temporis compendium! Academiarum Rectores, Profeſſores, Magiſtri & alumni, coram nobis hìc compareant. Nos verò inter luſtrandum aliquando Provincias, ad illos rurſum deflectere, & ſuis in Collegiis eos viſere poterimus.

[*Apollo ad eos accerſendum aſſurgente, addit Rex.*]

Heus

Heus, *Apollòni*! Non turba veniat, Rector ingrediatur ſolus primùm, ut ex illo rei ſummam cognoſcamus. Videturne?

Erat.] Habent Academiæ ſuos Curatores, ubi ſub Republicâ vivitur: in Regnis autem ſuos Cancellarios, Placétne horum potiùs aliquem vocare, quàm Rectorem? cùm Rector ex Profeſſorum numero ſit, officiúmque illius ambulatorium quotannis mutetur.

ACTUS I. SCENA II.

[*Cancellarius Academiæ ingreditur, honorem Regi exhibens.*]

Rex.] Te miniſtrum noſtrum, Academiæque in ordine bono conſervando cuſtodem, accerſi curavimus, ut nobis, antequam advocemus cæteros, totam Academicæ diſpoſitionis ſeriem exponas: ut quorum, & quale, ſuſcipiendum nobis ſit examen, pateſcat melius. Incipe ab ovo: ediſſere, *Quid Academia ſit? unde originem trahat? quæ ſint eſſentialia requiſita, quæ Academiam conſtituunt*? & quæ huc ſpectant præterea.

Cancell.) Sereniſſime Rex, *Academiæ* nomen ortum habet ab *Academo* Cive Athenienſe, ſtudiorum Sapientiæ fautore ſummo: qui privatam in ſuburbio Athenienſi poſſeſſionem, Domum amplam cum hortis, publicis uſibus donavit, ut ibi ad Platonem audiendum confluentes Viri & Juvenes, Sapientiæ darent operam. In tanti ergò Studiorum Promotoris, honeſtiſſimam memoriam is ipſe locus ab ejus nomine nuncupatus fuit primò: & dehinc omnes ſuprema Scholæ, *Academiarum* cohoneſtantur titulo.

Socrat.) Utinam ubique Gentium tales reperiantur *Academiæ*! Sed plerumque homines hoc ſui in vanitatis

nitates profundere, aut thesauros in terram desodere, atque sic sine usu relinquere malunt. O dementia hominum! nec Deo, nec proximis, nec honestæ proprii nominis memoriæ, servire gnato un! Sed tu amice perge!

Cancell.] Dixi de Nominis origine. Rem ipsam quod concernit, *Academia nunc est Schola suprema & universali, ubi publicis stipendiis, & sub publica securitate ac privilegiis, Universa quæ sub hominis cadunt cognitionem, dicentur.* Illa verò, quæ sic humanam requirunt cognitionem, dividuntur in *quatuor*, uti nunc loquuntur, *Facultates supremas.* Quarum prima dicitur *Philosophia*, Causas investigare docens Rerum omnium: Quid, Unde, Cur, & Quomodo, sit unumquodque, per totam Rerum Universitatem. Secunda facultas est *Medica*, quam Academiæ ideò excolunt, ut ne desint, qui humanum genus é Corporeis morbis præservare, aut eos illapsos profligare, sciant. Tertia facultas est *Juridica*: cui in Academiis propterea datur opera, ut non desint qui sciant Humanam societatem salvam præstare à diffidiis. Quarta & ultima *Theologica* est: quæ ideò colitur, ut non desint qui securitati Animarum consulant, in iis, quæ ad æternam spectant salutem.

Plato.] Quot sustentantur Doctores pro singulis Facultatibus?

Cancel.] Olim, dum Academiæ rariores erant, singulis Facultatibus dabantur Professores deni: inter quos unus elegebatur Præses, *Decani* nomine. Crescente verò Academiarum numerô, decrevit Professorum numerus, ut alicubi duo tantùm, aut tres, alantur ejusdem Facultatis Professores: quorum nihil ominùs tamen unus Decani sustinet nomen. Omnes verò in universum eligunt sibi *Academiæ Rectorem*, hôc annô ex hac, altera, tertiô ex tertia, quartô ex quarta Facultate, per ordinem: ut quando totus Academicus Senatus cogitur, ne desit præses ac director.

Erat.] Pulchré hoc, ordinis causâ, In omni enim multitudine, nisi multitudo reducitur ad unitatem con-

fusio

fusio est, non ordo. Sed ad quid tantus Professorum humerus?

Cancell.] Nullus homo unus ad omnia natus est. Nec ergò in Academia unus docere potest omnes, & omnia: diversi diversa necesse est agant. Docentur proinde omnes Facultates, suo quæque in Auditorio, singulis diebus: adeoque (in Academiis frequentibus) singulis horis ut non cuiquam discendi quicquid placet deesse possit occasio.

Apoll.] Quem tenent Academici Vestri docendi modum?

Cancel.] Stans in cathedra Professor liberè de materia sua disserit, Studiosi auscultant, ad horæ usque finem.

Plat.] Et totô illô tempore Studiosi tacent? nihil interrogant? nihil examinantur?

Cancel.] Nihil. Consignant tantùm sibi raptim, qui volunt, quæ volunt: de illis deinde acturi inter se, aut cum Professore.

Socrat.] Annon præstaret liberius hîc versari? per formam nempè Syzeteseως, vicissim exquirendo & respondendo?

Cancel.] Hoc servatur Collegiis privatis.

Erat.] Quæ illa Collegia privata?

Canc.] Deni aut duedeni, vel quôcunque tandem numerò, Studiosi, eligunt sibi aliquem ex Professoribus, per cujus privatam operam, & familiarem conversationem, in hac vel illa doctrinæ parte proficiant. Hinc sunt *Collegia Physica, Metaphysica, Mathematica, Medica, Juridica, Theologica, Oratoria, vel Concionatoria, aut Disputatoria, &c.*

Apoll. Et gratis ibi docetur?

Cancel.] Non. Extraordinariæ diligentiæ extraordinarium requiritur præmium.

Socrat.] A quo solvendum?

Cancellar.] A Studiosis.

Socrat.] Non satis sic tenuiorum consulitur necessitati. Quid autem publicè fit? *Can-*

Cancell.] Differatur ad placitum, peroratur, disputatur pro gradu, promotionésque fiunt ad honores Academicos.

Plat.] Quos honores?

Cancellar.] Philosophiæ initiati, creantur *Baccalaurei*; qui verò ejusdem Philosophiæ Cursum sic absolverunt, ut docere queant, *Artium liberalium Magistri*; trium verò superiorum Facultatum *Doctores*.

Rex.] Omnia ista nobis exhiberi volumus propalam. Primò, *Lectiones Publicas*. Dehinc *Collegia privata*, Tum *Disputationes pro gradu*. Et denique *Actus istos Promotionis*.

Erut.] Disciplinæ Academicæ non obliviscendum, quâ administretur ratione.

Apoll.] Ante omnia verò nobis ostendant, quô ritu admittant recens è trivialibus Scholis venientes Studiosos: habere enim audio ceremonias peculiares.

Rex.] Rectè. Memento Cancellarie! ut ultimum hoc primùm exhibeas.

Cancell.] Effectum dabo.

[*Exibit, moxque reversus Rectorem secum adducet, cum Pedellô & duobus novitiis.*]

ACTUS I. SCENA III.

Rector. Pedellus. Duo novitii Studiosi.

[*Rector ad mensulam in theatri medio positam sessum ibit Pedellus ante illum Academia matriculam, cum Atramentario & calamo ponet: ad quem Rector.*]

Ain? Adsunt aliqui Novitii?

Pedellus.) Adsunt.

Rector.) Admittantur ergò.

[*Novitii*

[*Novitii à Pedello introducti honorem exhibebunt, alterque ſic inſiet, erectô quaſi ad præſidentiam vultu.*]

Magnifice Domine Rector, Fama celeberrimæ hujus Academiæ Noſtræ longè latéque per Gentes & Populos diffuſa (quòd univerſa ſtudio præ aliis Academiis apud Vos hic vigeant) permovit noſtros parentes & patronos, ut nos huc ad vos, tanquam pulcherrimum Sapientiæ emporium, mitterent. Rogamus itaque in cenſum veſtrorum recipi.

Rex.) Salvos veniſſe Vos, bonæ ſpei Juvenes, gaudeo. Unde ad nos? quæ Terra Vobis patria eſt?

Novit. idem.) Longinquè venimus, ultra ducenta hinc milliaria.

Rector.) Euge!

Impiger extremos currit Mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Si hoc illi tranſitoriarum Opum ſpe, quid non Vos, quibus meliores theſauri Sapientiæ quæruntur! Invenietis, ſperate unde arden tis deſiderii Veſtri exſtinguatis ſitim, Habetiſne commendatiam ad aliquem Profeſſorum epiſtolam, vel publicas teſtimoniales literas:

Novit.) Habemus: en!

[*Exhibebit, Rectôrque tacitè perlexas eidem reddens dicet.*]

Ita Vos gerite, ut Veſtri commendatores de Vobis ſpem conceperunt, & nobis faciunt: Datiſne fidem?

Novit.) Damus.

Rect.) Audite leges Academiæ noſtræ, in quas jurabitis.

[*Tum ex Libro clarâ voce prælegit.*]

Quiſque Civis Academiæ noſtræ, i Pius eſto; 2 Honeſte

se per omnia gerito: 3 Nullo malo exemplo quenquam scandalizato: 4 Studia publicè & privatim assiduè tractato: 5 Rectori & Professoribus obedientiam præstato: 6 Cum omnibus aliis concordiam colito: 7 Visitari te à superioribus, & examinari, patitor: 8 Si quid exorbitaverit, censuræ ac disciplinæ subjaceto: 9 Inconscio Rectore, & absque testimonialibus, hinc ne discedito &c, Attollite binos digitos dexteræ vestræ! [*Attollent: & Rector.*] Discite: Omnia hæc observabimus sanctè [*Illi:* Omnia hæc observabimus sanctè.]

Rect.) Ita nos Deus juvet. (Ita nos Deus juvet!)

Rector, oblatâ illis dextrâ) Suscipio Vos in Civitatem nostram. Nominàque Vestra Albo Civium adscribo, *en!* (*Inscribet Matriculæ. Illi verò depromptum aureum nummum offerent illi, dicentes:*) Magnifice Domine, pro hoc in nos collato beneficio agimus Excellentissimæ Dominationi Vestræ gratias; orantes ut ne aspernari libeat leve hoc munusculum!

Rector accipiens manu lentâ.) Si quâ in re consiliò Vobis erit opus, apud me quærite.

ACTUS I. SCENA IV.

DEPOSITIO.

[*Egredi volentes inclamabit Pedellus.*]

Heus, Vos ineptuli, jámne, Vos Cives, Academiæ creditis?

Novitius, idem semper loquens.) Ita renuntiati sumus à suâ Magnificentia.

Pedell.) Ha, ha, he, ridicula capita! Tentate verò associare vos Studiosorum turbæ: quàm vos exagitabunt, sibilabunt, cachinnis vexabunt, marsupia vestra exentorabunt! nisi *Benitatem vestram* hîc coram Domino Rectore,

Rectore, & aliquo præterea Profeſſorum, depoſuerit is.

Novit.) Magnifice Domine Rector, quid homo iſte nobis intentat?

Rect.) Adoleſcentes, apparet Vos moris Academici adhuc eſſe ignaros: informabo Vos ſuper hac re. *Depoſitio Scholaſtica* Vobis ſubeunda eſt, ritu, quò [illegible]antur qui primùm in congregationem Scholaſticorum Univerſitatis veniunt. Res ipſa profluxit ab Athenienſibus (quæ Urbs olim ſola veluti totius Orbis Academia fuit) quemadmodum ex Gregorio Nazianzeno (in oratione funebri ſuper Baſilium Magnum habita) patet. Memorat enim ætate illâ (ante annos 13000 ferè) in Scholaſticos novos jus fuiſſe veteranis, omnibus eos ludibriis exagitandi: eo fine, ut in novitiis illis reprimeretur ſpiritus & animi elatio; redderentúrque mox ab ipſo initio ad omnem ſubjectionem tractabiliores. Poſt aliquod demùm tempus deducebant eos per publicas plateas (variè adhuc exagitatos) ad publicum Balneum: ibíque ablutos, tanquam à barbarie jam emundatos, reducebant honorificâ pompa Scholam verſus, ubi à Magiſtris in occurſum venientibus excipiebantur, & introducebantur in Scholas. Hæc ibi. Apud nos vexationis hoc genus privatim peragitur, ab uno & altero, Novitium ridiculè tractantibus; Profeſſorum verò uno & altero itidem præſentibus, novúmque hoſpitem novis monitis inſtruentibus. Hoc ſi quis privatim ſubire recuſat, Academicum ſodalitium, jus ſuum in talem prætendens, miris modis divexat. Quare, amici, audite conſilium, privatam hanc in angulo ac brevem divexatiunculam præeligite, potiùs quàm publicam illam, & diuturnam, in Vos irritetis.

Novit.) Si aliter nequit, ſubmittimus nos. Sed quis hoc peraget? & quomodo?

Pedell.) Nolite eſſe ſolliciti: ego Vobis amicam hanc præſtabo operam. Sed exſpectate, adducam mihi ſocium: Vobis autem Depoſitionis Veſtræ plures teſtes.

[Exibi

[*Exibit*: mónque cum ſocio & depoſitionis inſtrumentis (cornibus taurinis armato pileô, alterô verò aſininis auribus: Amuſſi item, Aſcia, Serrâ, Dolabrâ &c.) redibit: quem tamen præcedet Profeſſor, & aſſidebit Rectori. Studioſi item duo, aſſiſtentes illis.

[*Depoſitâ, projectis humi inſtrumentis obambulans, naréſque criſpans & obturans*]

Phui! quis tam teter fœtor! Olidæ Barbariei halitus me afflat! phui! Vos Beani, à Vobis exit pædor iſte. [*Incipiéſque eos fodicare.*] Tu bellua muta.

[*hæc ad alterum illum novitium, qui hactenus κωφὸν πρόσωπον fuit*] quid tu tibi in Academia vis, qui loqui neſcis? Stetiſti coram Domino Rectore ut ſtatua muta, ut aſinus humanâ indutus pelle. Incipe rudere! Dic, quid eſt *Beanus*?

Ille.) Neſcio.

Depo.) Ecce, ecce Aſininus ruditus! Nam quid eſt *neſcio niſi aſinorum reſponſio?* Tu alter, quid eſt BEANUS?

Illu.) Neſcio.

Depo.) Etiam tu inverſus Apulejus es? Diſce! Ecce [*oſtendit in digitis*] Beanus Eſt Aſinus, Neſciens Vitam Studioſorum. Recita hoc idem.

Ille.) Beanus Eſt Aſinus, Neſciens Vitam Studioſorum.

Depo.) Qualium tu unus es, frater ignorantiæ: tametſi agere velis pavonem, caudâ explicatâ ſuperbientem. Quàm faſtuoſè alloquutus es Dominum Rectorem? quàm tibi placebas? tu loquutuleje. Evades tu, ſatis prævideo, in Taurum aliquem ferocientem, niſi tibi cornua decutiantur. En circumdabo tibi imaginem tui, cornutæ beſtiæ inſignia! [*Impoſitóque illi cornutô illô pileô, dicet:*] Speculum hoc! ut ſe propriâ ſuâ videat facie. Et ad alterum: Tu verò, Aſine, indue has aſininas aures, ut quod intus es appareas foris. [*Imponétque illi alterum pileum. Et mox arreptô baculô decutiet utrique, addens:*] Relinquite Vos belluæ belluinos mores! & induite mores humanos.

[*Mox*

[*Mox ad eos denuò converſus recitabit hos verſiculos.*]

E ſaxo formandus homo eſt, ex ore Beani;
E cerebro Bacchantis agreſti è caudice Pallas.
Tu patiens [*hæc ad unum primariò*] ego ſum Mediocus, quæcunque propino
Exſorbere tuum eſt, ad plagas ludere riſu.
Calcandum pedibus tergum ſubmittere cunctis,
Multa audire, & pauca loqui, ſufflare tumentes
Ad colaphos buccas, & magnas addere grates.

[*Tum ad ſocium converſum.*]

Veni; ſternamus truncos iſtos humi (*Sternent*) amuſſemus hac amuſſi! ſerremus hac ſerrâ, aſciemus hâc aſciâ! dedolemus dolabrâ! donec humanæ ſtaturæ aſſumant lineamenta, fiántque ex truncis ſtatuæ vivæ & formoſæ.

[*Tum inter ſerrandum dicet:*]

Lignum ſtricamus horridum
Craſſum dolamus ruſticum
Curvum quod eſt hoc flectimus,
Altum quod eſt deprimimus.
Ferox aſellus eſurit,
Lactuca labris convenit.
Ubi malignus nodus eſt,
Quærendus, aſper clavus eſt.
Ut hæc dometur Beſtia.
Addenda verbis verbera.

[*In hoc opere dum erunt, interloquetur Rex.*]

Rex.) Rector, Siſti jube! (*Jubebit nutu,*) Ad quid iſtæ ineptiæ? in Sapientiæ officina quorſum tam ſtultæ Ceremoniæ?

Rector aſſurgens.) Sereniſſime Rex, Agnoſcimus vanitatem: ſed qua ſe Academiæ exui non patiuntur, inolitam conſuetudinem mordicùs tenent. Repræſentare autem juſſi ſumus omnia quæ in Academiis fiunt.

Interim

Interim habent frivola hæc in receſſu aliquid ſerii tamen.

Rex.) Ecquidnam illud?

Rector.) Offertur Depoſitis à præſenti Profeſſore, per ceremoniam iterum, Sal ſapientiæ, Vinúmque lætitiæ: eum exhortatione, ut meminerint depoſitam ſibi jam eſſe ruditatem, ferociam, & omne quod humanitatem veram dedecorare poſſit.

Rex.) Quicquid ſit: dimittantur jam adſcriptitii illi veſtri. Parcatur illis & nobis, ut ad ſeria veniamus ſeriò, ſine nugis.

Rect.) Parebimus.

[*Exbibítque: & omnes cum illo.*]

ACTUS II. SCENA I.

[*Ingreditur* Metaphyſicus *Studioſorum comitatus catervâ: Qui eos, Ambonem conſcendens, ita docebit*;]

Honoratiſſimi Auditores, Philoſophiæ Studioſi: Rectè dictum eſt, *Rerum potior, Verborum prior eſt conſideratio.* Ego igitur Philoſophiam primam Vobis traditurus, à nomine *Philoſophiæ* incipiam. Σοφία Græcis *Sapientiam*, Φιλοσοφία, *Sapientiæ amorem* ſignificat. Vox ergò Philoſophi vox modeſtiæ eſt: uſurpata primùm à Pythagora, qui Deo ſoli convenire putabat, ut Σοφὸς, hoc eſt ſapiens, diceretur; Homini ſatis eſſe laudis, ſi *Philoſophus*, hoc eſt Sapientiæ amans, audiat. Hæc de nomine. Quantum ad rem, generaliter quidem *Sapientiæ ſtudium, omnem divinarum & humanarum rerum continet cognitionem: in quantum tamen Philoſophia Medicinæ, Juriſprudentiæ, Theologiæque contra diſtinguitur, eſt ſtudium veſtigandi Rerum Cauſas; Quid, unde, Cur, & Quomodò fiat, in tota Rerum Univerſitate.* Unde videtis,

videtis, quàm amplos habeat terminos Philosophiæ campus: & facilè intelligitis, quæ sint necessaria requisita ad liquidè philosophandum. Tria nimirum requiri, 1. *Sensus acres.* 2. *Rationem sagacem.* 3. *Historialem rerum multarum notitiam.* Quippe oportet prænosse aliquid esse, priusquam inquiras in ejus causas. Quantùm ad *partitionem Philosophiæ*, sumenda illa est ab objectis in quibus speculandis potissimùm Philosophus occupatur. Quæ sunt, I. Æternæ rerum rationes, seu *Ideæ*, per quas possibile hoc vel illud esse, sic, vel sic. Atque talis rerum speculatio, universalis & abstracta, vocatur *Metaphysica.* II. Si autem speculando examinantur Corpora Naturalia, formæque rebus concretæ, est speculatio *Physia.* III. Si Quantitatum Proportiones, *Mathematica.* IV. Si hominum Mores, *Ethica.* V. Si Mentis & cogitationum processus, *Logica.* VI. Si denique Sermonis rationes, *Philologia*: sub quâ continentur artes fermocinatrices, Grammatica, Rhetorica, Oratoria, Poëtica, Critica. Quæ singulâ Professores habent suos.

Mihi quia Metaphysices professio demandata est, explicandæ illius hodie faciem mitium: generatim saltem, ut ejus in Vobis excitem desiderium. *Metaphysica* aliàs vocatur *Sapientia prima*: quia causas rerum summas, & principia primas scrutatur; quæ quisquis rectè cognoverite habet scientiarum fontes ante se apertos potestque omnia inferiora cognoscere facilius, & de illis judicare solidiùs. Contemplatur enim Res à priori: non ut jam sunt, sed ut possibiles erant, antequam erant. Perscrutans, quid hoc sic *Esse* aut *Non-esse*; *Fieri*, aut *Non fieri*; *Existere*, aut *Vanescere*; *Durare* aut *Perire*, & sic consequenter. Vultisne autem totius Metaphysicæ videre delineationem? Dabo brevissimam, attendite!

1. *Omnia-Aliquid-Nihil*, sunt distantissimi Rerum & Cogitationum termini. (Supra *OMNIA*, enim, quò ascendas? Infra *NIHIL*, quò descendas? Inter hæc autem

tem extrema quicquid erit, ALIQUID erit.

2. Omnia sunt ubi nihil deest: Aliquid est, ubi aliquid deest: Nihil est, ubi omnia desunt.

3. *Aliquid*, vocatur *Ens*: *Nihil*, non ens; *Omnia* verò, est plena Entium *conglobatio*.

4. Ens est vel *primum*, ut Adam; vel *ortum*, ut filii ejus reliqui homines; vel *abortum*, & degenerans, ut Monstrum aliquod Hominis.

5. Ens primum semper est unum, in quolibet rerum genere: Orta sunt multa; Aborta vaga.

6. Entia multa considerantur vel sigillatim, vel combinatim, vel conglobatim.

7. Ens consideratum sigillatim est vel *Substantia*, ut SOL; vel accidens, ut splendor in Sole; vel defectus, ut obscuratio Solis.

8. Accidentia cujusque Entis, prima & inseparabilia, novem sunt. I *Duratio*, seu *Tempus*. II Spatium seu *Locus*. III *Quantitas* (seu moles rerum trina, Numerus, Magnitudo, Pondus.) IV *Qualitas*, hoc est, potentia aliquid agendi. V *Actio*. VI *Passio*. VII *Ordo* in omnibus istis debitus. VIII Et propter ordinem ad aliquid *utilitas*. IX Propter utilitatem denique *Amabilitas*, seu Jucunditas.

9. Defectuum tria sunt genera. 1. Quum res nondum habet quod habere debet, ut grossulus in Fico, dulcedinem; vocatur *Immaturitas*. 2. Quum res quod habuit amisit: ut Ficus putrida dulcedinem: vocatur *Privatio*. 3. Quum aliquid esse videtur nec est, ut Ficus sylvestris: vocatur *Apparentia sine re*.

10. Res combinatim & conglobatim junctas recenseris tempus non pariter: quibus nempe modis Ens Enti possit jungi, aut ab illo sejungi; vel plura Entia cum invicem conglobari, ad ipsam usque Rerum Universitatem, extra quam nihil sit. Hoc tantùm dicam in præsens; Metaphysica vera est Idearum scientia: *Ideæ* verò *sunt Sigillum Sapientiæ Dei*: appressum omnibus Naturæ Operibus; apprimendúmque omnibus Artis operibus.

operibus. Omnibus inquam quæcunque rationabiliter à nobis Hominibus cogitari, dici, aut fieri poſſunt. Dixi.

[*Exibit, cum omnibus ſuis.*]

ACTUS II. SCENA II.

[*Phyſicus, cum ſimili caterna Auditorum ingreſſus, conſcenſáque Cathedrâ, ita loquetur.*]

1. *Sapientis eſt Omnia ſcire, quantum poſſibile,* inquit Ariſtoteles.

2. *Quæ autem illa Omnia?* Quæcunque uſquam ſunt, & dici aut cogitari poſſunt: quorum complexus totus UNIVERSUM dicitur. [q. d. quicquid eſt, *in unum verſum*: Græcè τὸ πᾶν, i. e. Omnia.]

3. Univerſum eſt triplex: DEUS, MUNDUS, HOMO.

4. *DEUS* eſt Omnia, quia Rerum omnium *Intra ſeipſum* poſſidens rationes, producit *A ſeipſo* Omnia, ſuſtentat *Per ſeipſum* Omnia, reducit *In ſeipſum* Omnia.

5. *MUNDUS* eſt Omnia: quia ſinu ſuo complectitur quæcunque Deus produxit, Omnia.

6. *HOMO* eſt Omnia: quia eſt Mundi epitome, Dei a. ſimulachrum vivum.

7. In *Deo* igitur Omnia ſunt, tanquam in *archetypo*; in Mundo, tanquam in *ectypo*; in Homine, tanquam in *antitypo*.

[Similitudine res illuſtrari poteſt. Nomen & authoritas Regis primariò eſt in ipſa Regis perſona: ſecundariò in aureo vel argenteo Sigillo, cui inſculpta eſt: tertiò demùm in cereo Diplomati appenſo, Sigillo. Eadem enim omnia ſunt hîc, iſthîc, illîc; ſed non eôdem modo.]

8. Si quis hominum, ergò, Deum, Mundum, Seipsum, noverit, omnia noverit: quia extra trinum hoc Universum nihil est.

9. Verùm ego Physicus relictâ contemplatione Dei Theologo; & contemplatione Hominis Ethico; mihi contemplandum, Vobis explicandum, sumo MUNDUM hunc, sensibus nostris undique expositum, nobisque in habitaculum & Scholam datum.

10. *Mundus* ergò hic, *quid est?* Compages visibilium Dei operum, omnium rerum genera in se continens, per omnes extremas differentias.

[Omnia enim continet quæ cogitari possunt; Spiritualia & corporea, Animata & inanimata; Rationalia & bruta; Mobilia & immobilia; Lucida & opaca; Maxima & minima; Summa & ima; Prima & ultima, &c.]

11. Totus hic Mundus materialis est, ideóque sensibilis.

12. Totus item, occultâ quâdam vi, materiam variè disponente, & vegetante, perfusus; quam vim NATURAM vocant.

13. Considerabimus verò Mundum (Metaphysices jam ductu) primò secundùm partes essentiales, seu *Substantias*: deinde secundùm *Accidentia*: demùm secundùm *Defectum*, à quibus nulla res creata, quippe finita, esse potest immunis.

14. Substantiales Mundi partes ingeniosè dividuntur in 1. *Continentes*. 2. *Contentas*; & 3. *Impetentes*.

15. *Continentes Mundi partes* sunt quatuor illa maxima, sed simplicissima Mundi Corpora, è quibus, & in quibus, reliquæ Creaturæ formantur: ÆTHER, AER, AQUA, TERRA: vulgò quatuor Elementa (quasi cæterorum Alimenta) dicta.

16. *Contentæ Mundi partes* sunt minora Corpora, intra majorum illorum spatia conclusa. Ut sunt in æthere *Sidera*; in aëre *Nubes*; in aqua *Pisces*; in terra *Lapides*, *Metalla*, *Plantæ*, *Animalia terrena*.

17. Im-

17. *Impetentes Mundi partes* ſunt, quæ reliquis dant impetum, & motum: ut eſt *Ignis* externè; internè autem *Spiritus* naturalis, cuivis Corpori incluſus.

18. De quibus ſingulis ita agendum eſt Phyſico bono, ut Sapientiæ divinæ artificium mechanicè pateat, quantùm per ſenſuum noſtrorum tarditatem poteſt. Quò facilius nos quoque Operum noſtrorum intelligamus vias, ad rationabilius agendum quicquid agimus.

19. Abſolutis ordine Mundi ſubſtantiis, illuſtrabimus ejuſdem *Accidentia*, *Durationem*, *Locum*, *Quantitates*, *Qualitates*, &c. Quanquam hîc labore me nonnihil levant *Matheſeos Profeſſores*, *Arithmeticus*, *Geometra*, *Aſtronomus*, *Geographus*, &c.

20. Sicut & in ſpeculandis & emendandis *Defectibus*, Medici, Chirurgi, alii.

21 Hodie ſufficiat Vos intellexiſſe Phyſicæ officium & finem; qui eſt, contemplari res à poſteriori, prout exſtant in Syntagmate Mundi; ad intelligendum, quâ vi generentur, operentur, alterentur omnia.

22. Cujus intelligentiæ ſummus apex eſt *Magia*: peritia ſcilicet producendi admiranda vulgo Effecta, per occultam applicationem activorum ad paſſiva.

23. Sed ne quem magiæ Vox ſeducat, monſtrum Magiæ ſunt præſtigiæ illæ pſeudomagorum, qua incantationibus & excantationibus peraguntur; meræ ſatanicæ illuſiones, ſtrigibus relinquendæ.

24. Satis autem hodie: ubi Vobis guſtum tantùmmodò Phyſices dare volui.

ACTUS II. SCENA III.

[*Mathematicus*, cum tribus discipulis, *Numerario*, *Metrito*, *Tritanio*.]

Mathem.] Matheseos igitur Vos cæpit amor?

Num.] Ita Domine: petimus informari, & promittimus gratitudinem.

Math.] Non pœnitebit, si gnavi fueritis. Mathesis enim valdè acuit ingenia, & viam aperit toti Philosophiæ. Hinc antiqui studiorum initium inde fieri volebant, & propterea nomen indiderunt, μάθησις, id est Discentia, & μαθήματα, hoc est, Disciplinæ. Plato etiam foribus Academiæ inscribi curavit, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω: hoc est, Nemo numerorum & mensurarum expers ingreditor.

Metritus.] Quæ hujus rei ratio?

Math.] Quæ hujus rei ratio? Non nostri illud, *Pondere, Mensurâ, Numerô Deus omnia fecit*? Claves Operum Dei, multorumque mysteriorum, habet, qui rerum numeros, mensuras, ponderáque intelligit.

Tritanius.] Festina igitur docere nos Mathematicas illas sententias: primumque dic, quot sint.

Math.] Jam dixi. *Mathesis* vestigat rationem Numerorum, in *Arithmetica*: & Mensurarum in *Geometria*, & Ponderum, in *Statica*. Quæ omnia ego vos non *theoreticè* tantùm docebo, ut numeros, mensuras, pondera, intelligatis; sed & *practicè*, ut res numerare, mensurare, ponderarèque sciatis.

Numer. Tanto melius. Incipe ab Arithmetica.

Math.] In Arithmetica discetis sex hæc. I. *Numerationem*. II. *Additionem*. III. *Subtractionem*. IV. *Multiplicationem*. V. *Divisionem*. VI. *Proportionem*.

Numer.] Quid est Numeratio?

Math.

Math.] Numerorum legitima articulatio, ſcriptio, & pronuntiatio.

Numer.] Quid eſt *Articulatio ?*

Math.] Numeri in partes, majores & minores, diviſio. Quas ruricolæ ſimpliciores habent, computantes per Paria, ſeu Biniones [*Oſtendet duos digitos*] & per Decuſſes *oſtendet decem*] & per Duodenas [*habebit ſuis decem digitis adjungi duos à diſcipulo*] & Quindenas [*addet Diſcipulus totam manum ſuam :*] quatuor autem quindenæ faciunt Sexagenam. Sed ſubtilius Arithmetici, per Unitates, Decades, Centenarios, Millenarios, Myriades; recentiores etiam per Tonnas, & Milliones. Unitas enim decies repetita, facit *Decem*; decies decem, *Centum*; decies centum, *Mille*; decies mille, *Myriada*; decem myriades nunc vocant *Tonnam*; decem Tonnas (hoc eſt, millies mille) *Millionem.*

Numer.] Hæc nota ſunt. Doce nos jam numeros notis exprimere.

Math.] Numerales notæ Græcis non aliæ fuerunt, quàm Literæ Alphabeti ſui; α, β, γ, δ, ε, *&c.* Romani ſeptem literas adhibuerunt: I. V. X. L. C. D. M. ad ſignificandum, Unum, Quinque, Decem, Quinquaginta, Centum, Quingenta, Mille. Deinde inventi ſunt Calculi, diſponendi ſuper Abacum ſic;



Tandem Arabes excogitarunt ingeniosè Cifras decem, tales.

Significant	
0	nihil.
1	unum.
2	duo.
3	tria.
4	quatuor.
5	quinque.
6	sex.
7	septem.
8	octo.
9	novem.

Quibus variè dispositis numerosissima quæque possunt exprimi (ex. gr. *Arena Martis*).

Num.) Quomodo id, obsecro.

Math.) Quot sunt Cifræ, tot articuli per denarium crescentes, à dextra sinistram versùs, hoc modo.

Millies mille	Centies mille	Decies mille	Millenarii	Centenarii	Decades	Unitates
1) 0	0	0	0	0	0	0
2) 1	1	1	1	1	1	1
3) 5	6	4	1	0	1	6

Math.) Pronuntia istas Cifras primâ, tum secundâ, tandem tertiâ lineâ.

Numer.) Nescio.

Math.) Nescis? At habeas valorem cujusque loci supra scriptum: lege!

Numer.) Non possum, nisi docueris.

Math.) Docebo igitur. Prima linea quia metas habet nullas, nullum significat numerum; Nulla enim (o) figura est sine significatione. Secundam lineam sic lege: semel millies mille, & in super centum millia, & decem millia,

lia, & mille ac centum, & undecim (hoc enim est decem & unum.) Tertiam lineam fit 1. Quinque millies mille, & sexies centena millia, & quater decem (i. e. quadraginta) millia, & octo mille. (*nullúmque tentum*) & sedecim. Jámne poteris?

Numer.) Spero [*& tentabit, poteritque.*]

Math.] Scribe mihi præsentem annum à Christo nato.

Numer.] Hoc usu scio: 1656.

Math.] Scis usu? sed jam disce arte scribere quoscunque numeros. Ex. gr. si velis Exercitum *centies mille, & novem insuper millia, sexcentos. septuaginta quinque* milites continentem, Cifris exprimere, quomodo facies?

[*Tentabit & errabit, donec, erroris admonitus, inveniat* 109675.]

Numer.] Quid de *Arena maris* dixisti, posse eam numerari?

Math.] Archimedes de eo librum scripsit, ostendens Arenam non esse innumerabilem, hoc est nullam rem tam numerosam cogitari posse, ad quam exprimendam non sufficiant numeri. Et Clavius demonstravit etiam si arenam cogitemus tam minutam, ut unam granum papaveris continet mille arenulas, tamen additis ad Cifram (1) quinquaginta nullis, majorem jam fore numerum, quám quantus requiratur ad explendum Cœlum & Terram. Quæ demonstratio verissima est: sed nolo tempus absumere.

Num.] Rem stupendam! Pergamus ad Additionem.

Math.] Unum adhuc discite, *Numeri fracti* scriptionem & lectionem, hoc paucis docebo. Si vides $1\frac{1}{2}$, lege unum cum dimidio, sesqui: si $\frac{1}{2}$ dimidium tantum, seu semi: si $\frac{1}{3}$ unum trientem: si $\frac{1}{4}$, unum quadrantem; si $\frac{3}{4}$ tres quadrantes, &c.

Num.] Intelligimus. *Additio quid est?*

Math.]

Math.] Duorum vel plurimum numerorum in unam ſummam reductio. Ut ſi uno in prædio habes 536. Oves, in altero 365: quot ergò habes?

536
365
Facit 901

Exercete Vos in eo privatim, nihil habet difficultatis: ſicut nec *Subtractio*. quæ minorem numerum à majore ſubducit, ut appareat reliquum. Ex. gr. Si de 536. Ovibus venditæ ſunt 124: quot ſupererunt? Colloca ſic.

536
124
Facit 412. Tot ecce ſunt reſiduæ.

Num.] Hoc aſſequimur. *Quid jam Multiplicatio erit?*

Math.] Numeri unius per alterum toties diductio, & in ſummam reductio. Ut ſi dicas: Hæredes quinque partiti ſunt inter ſe paterna bona æqualiter, & nactus eſt unus quiſque mille ducentos ſexaginta tres aureos: quanta igitur tota fuit ſumma? Ecce, operabor!

1263
5
Facit 6315

Num.] *Et Diviſio* quid eſt?

Math.] Similis operatio, ſed inverſa. Ut ſi dicas: Quidam reliquit hæreditatem, 6315 aureorum, inter quinque filios æqualiter dividendam, quantum ergò accipiet unus? Ita procedendum eſt.

1 3 1	1263. Ecce prodibit!
6 3 1 5	Videtis?
5 5 5 5	

Num.]

Num.] Videmus: exercitium in his firmabit habitum. Quid reſtat in Arithmetica?

Math.] *Regula Proportionum*, quam *Auream* vocant, in qua datis numeris tribus notis, invenitur quartus ignotus. Ex. gr. Si quis dicat. Poterant iſti hæredes pecuniam expone e fœnori, ubi annuatim 8 ſolvuntur pro 100: quantum accreviſſet annô? Hic ecce tres numeri ſunt noti (100, & 8. & ſumma 6315) quartus ignotus quæritur: quomodo inveniendus? Diloca tres illos ſic, ut dicas:

100. *Aurei dant* 8, *quot darent* 6315 Aurei?

Jam multiplica tertium per medium, productumque divide per primum, & prodibit numerus quem quæris. Multiplicatus enim 6315 per 8. dabit 50520: quem ubi diviſeris per 100; prodibunt $505\frac{1}{2}$ Aurei, verum intereſſe. Iterum ſi dicas, Annus 1. daret $505\frac{1}{5}$ aureos, quot darent quinque anni? Facit 2526. Quem uſuræ proventum ſi appoſueris ſorti, erunt 8841. Atque tot habere poterant, ſi diviſionem in quinquennium diſtuliſſent. Et ſic quicquid usquam placet, & opus eſt, numeris expediri poteſt.

Num.] Nihil hîc adeò videtur difficile.

Math.] Nec videtur, nec eſt quidquam, quod non puer octo aut decem annorum aſſequi poſſit, modò illi prudenter oſtendantur omnia. Puerilia omninô ſunt hæc ſtudia, gravioribus præmittenda.

Metr.] Quid autem *Geometria*?

Math.] Tantundem. Evidentiſſimè enim omnia demonſtrari poſſunt, *Punctis*, *Lineis*, *Figuris*, certiſque *Inſtrumentis*: quibus exploramus magnitudines rerum præciſè, ut ne quid vos poſſit decipere, apparendo majus aut minus, vel propius aut remotius, alt ûſve aut humilius, quàm eſt.

Metr.] Exemplis nos iſta doce, Domine.

Math.] Præmittenda ſunt quædam theoreticè; docebo tamen & iſta exemplis. *Punctum* eſt magnitudinis principium indiviſibile. *Linea* eſt puncti fluxus, longitudinem tantum

tanùm habens, sine latitudine: *Superficies* (seu Figura) est spatium lineis inclusum, longum, & latum, sine profunditate. *Corpus* demum est magnitudo trinam habens dimensionem in longum, & latum, & profundùm.

Linea incipit à puncto, & definit in punctum. Estque in seipsa vel *recta* sic ——— ; vel *curva* ⌣ vel spiralis ☊ Alteri verò Lineæ est vel paralléla, nullibi concurrens ═══ : vel obliqua ⟩ vel perpendicularis ⊥

Ex concursu linearum fit *Angulus* : qui est vel *rectus*, quem linea perpendiculariter incidens facit (ut cum linea B C, incidens in lineam A E, facit duo rectos angulos, B C A. B C E) vel *acutus* (angulus) minor recto; ut B C D:

vel *obtusus*, major rectò. ut A C D. *Figurarum* simplicissima est *Circularis*, tum *Triangularis*, inde *Quadrangularis*,

Circulus sit ex unica linea ambiente quam vocamus Circumferentia.

Circuli

Circuli medium punctum (ut hic A) *Centrum* dicitur. Linea ducta à Centro ad circumferentiam, (ut A B. A C, A H.) *Radius* est: Radius verò protensus ad oppositum usque circumferentiæ punctum (ut B C & H D) *Diameter* est (Latinè, Dimetiens): semper circulum dissecans æqualiter. Ecce! *Triangulum* fit è tribus lineis sic, △ *Quadrangulum* est figura quadrilatera, sic, □ vel ▭, Corporum denique discite figuras, regulares saltem primò. Ut est *Orbis*, seu *Discus*, aut *Rota*, ingyrandum apta. 2. *Globus*, undique rotundus. 3. *Cylindrus* teres. 4. *Conus* rotundè cacuminatus. 5. Cubus quadratus; tametsi sexlaterus, & octangulus: en! Specialiores Corporum differentias aliàs discetis.

Hæc de differentiis Linearum, superficierum, Corporum. Quantum ad *Instrumenta Geometrica* diversa habemus, simpliciora & compositiora. Nam Lineæ rectitudinem exploramus extensâ lineâ *Amussi* (sic): vel applicata inflexili *Regulâ* (sic), Anguli rectitudinem *Normâ* (sic), situm plani horizontis *Libellâ*, perpendiculô. Circuli exactionem *Circino*. Vasis capacitatem *Perticâ stereometricâ* (sic). Magis composita instrumenta sunt quibus distantias locorum metimur; Ut si quis altitudinem Montis, vel Turris; aut distantiam alicujus conspectæ Arcis, deprehendere velit.

Metr.

Metr.) Potéstne hoc sciri non adeundo loca ista ? per solum conspectum & Instrumenta ?

Math.) Potest.

Metr.) Hoc nos doce obsecro.

Math.) Docebo: sed extra nos opus erit in campum. Interim Vobis parate Instrumentum (hoc) cujus ope communissimè utimur, *Quadratum Geometricum* vocant. En tale est! Cùm faveris, Coelum prodibimus: intrà horæ spatium addiscetis omnes distantias, latitudines, altitudinésque & profunditates, dimetiendi rationem.

Metr.) Magni sumus, si vera promittis.

Math.) Experiemini.

Tryfan.) Sed restat unum ex modò præmissis, *Statica*: quid illa est ?

Math.) Rerum ponderа explorandi scientia.

Tryf.) Quibus peragitur Instrumentis ?

Math.) Unicum est *Libra*: sed cujus duæ sunt usitatissimæ formæ, *Bilanx & Statéra.*

Tryf.) Doce nos utriusque rationem.

Math.) Non abstractè vobis de iis concionabor, res ipsas exibebo (*Sumétque manu sinistrâ Bilancem, dextrâ singulas ejus partes ostendet.*) *Scapus* hic vocatur *Librile*, seu *Jugum* (en!) in centro sui habens *Axiculum*, circa quem fit Libratio (en!) Pars hæc superior, à qua Librile pendet, est *Ansa*: apertura hæc per quam lingula scapo inserta transit, *Aguia* dicitur. Appensæ ad scapi extremitates Lances, sunt pro imponendis ponderibus. Hic igitur, quia centrum Libræ axiculus, est in medio librilis, partésque scapi æquales, necessariò evenit, ut si lancibus imponas pondera æqualia, æquiponderent: si alterum sit grávius, præponderet, deorsúmque vergat, leviori sursum elevato. Notabitis: Bilancium maximas (ubi vel integra plaustru imposita librantur) vocari *Trutinas*:

nas: minimas verò (ut quibus pensiculantur aurei nummi) *Lanculas*.

Tyr.] Quid jam *Statera*?

Math.] Ecce! habet enim Librationis centrum extra medium scapi, ut alter radius protensior sit duplò, triplò, quadruplò, &c. Cujus rei consequens est, ut radius protensior majores faciat ascentiones, & descentiones, quàm radius minor (ecce!) sitque idem commensus ponderum ad invicem, qui arcuum, sive ipsorum radiorum: Ut hîc.



Si suspenderis rem ponderandam ab unco B, unus pondo seu Assis (Unciarum 12.) Pondus verò oppositum in E, ejusdem valoris sit necesse est (quia Arcus A, B, & A, C. æquales.) Si in D. dimidium tantùm, hoc est uncias 6: si in E, uncias 4; si in F, uncias 3. (nempe quartam partem Assis, quia Arcus A, B, est quarta pars arcus A C D E F.) Videtis? Verùm satis hodie.

Tyr.] Agimus gratias.

ACTUS III. SCENA IV.

[*Astronomus, cum duobus Astronomiæ Studiosis, Uranio & Asterio.*]

Astron.] Et non plures sunt qui Collegium nostrum frequentare, pulcherimæque scientiarum, Astronomiæ, studium dare volunt?

Uran.

uran.] Terram ſpectare malunt quàm Cœlum. *Quæ ſupra nos nihil ad nos*, inquiunt.

Aſtron.] Vox Bovis, non Hominis. Imò quæ ſupra nos, illa verò ad nos. An enim fruſtra eſt illa Dei ad homines Vox: *Levate in excelſum oculos veſtros, & videte iſta: quis educit in numero exercitum ejus, & omnes vocat de nomine, ut ne vel unum deficiat?* (Iſ. 40. 26.) O ſi qui rebus humanis in ordine continendis præſunt, leges Motuum cœleſtium, à quibus Mundi conſervatio pendet, intelligere vellent! quàm multum hîc licis viderent. Sed dum divinæ expanſæ in Cœlis ſapientiæ attendere nolunt terreſtres illi Soles, Jovis, Saturni, Martis & Mercurii, nec regimine ſuo Cœlorum regimen imitari æmulantur, fiunt revera ipſi Planetæ, erratica ſidera, rebus humanis pro ordine confuſionem, pro luce tenebras, pro ſerenitate procellas, indecentia. Sed miſeremur illos! Vos, amici, gaudete, participare de ſublimitate illa quam in antiquis dilaudat Poëta, canens:

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperûm ſcandere cura fuit!
Admovere oculis diſtantia Sidera noſtris
Æthera quæ ingenio ſuppoſuêre ſuo.

Aſter.] Vellent ſanè multi æquè eſſe felices, ætheráque ſupponere ingenio, ſi poſſe ſperarent: ſed difficultates imaginantur inſuperabiles.

Aſtron.] Δύσκολα τὰ καλὰ (Difficile quod pulchrum.) Nihil tamen hîc inſuperabile eſſe Vos jam experiemini: quos ego totius Aſtronomiæ generalia fundamenta docebo hâc horâ: ſpecialiora verò aliâs. Attendite hunc repræſentativum Cœlo! Omnia generaliſſima vobis hîc oſtendam, omnia nominabo.

uran.] Expectamus avidè.

Aſtron.] Aſtronomus contemplaturus aſtra, diſterminat ſibi Cœlum certas in regiones, per quas obſervet tranſitiones Siderum: nempe imaginarios quoſdam Circulos, quos

quos realiter expreſſos en ſpectate in hac *Armillari Sphæra*! Nam Solem, Lunam, Stellas, ire circulatim, oſtendit quotidianus eorum ortus & occáſus, ſempérque ad eadem loca reditus. Ergò Cœlum eſt volubilis Sphæra (*volvat eam:*) ergo habet *Axem* circa quem volvitur (*oſtendet eum manu:*) ergò & duas extremitates axis ſui, ſeu duos immobiles *Polos*, hoc eſt, *Vertices*, ſeptentrionalem & meridionalem (*Ecce!*) Jam in Cœlo concipitur circulus maximus, æquali undique ab utroque Polo diſtentiâ: qui Sphæram in duas medietates (borealem & auſtralem) dividit. (*Ecce!*) Nomen habet *Æquatoris*, ſeu *Æquinoctialis*: quia dum Sol per illum fertur, æquinoctium facit per totum Mundum. Huic paralléli ecce ſunt duo circuli! aliter borealior, quem motu ſuo diurno deſcribit Sol nobis altiſſimus, æſtate; alter auſtralior, quem deſcribit humillimus, hieme. Vocantur *Tropici* (q. d. *Verſorii:*) quia Sol ad illos delatus, longinquius ab æquatore non abit, ſed verſuram facit, & rurſum æquatori appropinquat. Quam annuam viam, tranſeuntem ab hoc Tropico ad illum Tropicum, interſecantémque Æquinoctialem duobus oppoſitis locis (*ecce!*) *Zodiacum* vocamus: cujus Poli rurſum deſcribunt Polares circellos duos, circuitione quotidianâ (*ecce!*) Hi tranſverſi duo circuli magni, vocantur *Colúri*: alter *Æquinoctiorum* (ecce!) alter *Solſtitiorum* (*ecce!*) Hi propterea ferè tantùm finguntur, ut compages Sphæræ cohærere poſſit. Ita habetis in ipſa cœleſti machina circulos inviſibiliter poſitos, & cum illa perpetuò volventes. Jam ecce duo immobiles, cuilibet loco proprii, *Horizon* (ecce!) & *Meridianus* (ecce!) quos in Cœlo ita cogitate. Ubiubi quis in planicie ſtans, proſpectans circumcirca, vides *Horizontem*; confinia ſcilicet Cœli & Terræ, ſive ſuperioris hemiſphærii ab inferiore (Ecce enim, dimidium Cœli ſemper nobis eſt ſupra Terram! altera verò medietas infra Terram!) Hujus Circuli, Horizontis, centrum eſt ubi ſtas, Poli in Cœlo: punctum nempe tibi ſummum

& imum. Quorum illud, verticale, *Zenith* vocant: (*oſtendat digitô & oculô verticalicer erectis!*) profundum illud ſub Terra in oppoſito Cœli, *Nadir*. (*Oſtendat in Sphæra armillari digitô.*) Dum vero iterum Circulum per *Polos Mundi*, *Zenith* & *Nadir*, erit circulus *Meridianus*: ideò ſic dictus, quia Sol quotidiano motu ad illum delatus *Meridiem* facit. Ita habes omnes cœleſtes circulos mobiles & immobiles, tanquam cancellos intra quos Aſtrorum curſus perágitur, & à nobis ad leges certas redigitur.

Aſter.] Jucunda eſt hæc Circulorum cœleſtium ſpeculatio: ſperamus nos rectè aſſequutos. Jam de Aſtrorum motu audire juvabit.

Aſtron.] Stellis fixis curſus adeò uniformis eſt, ac ſi omnes illæ eôdem Orbe vehantur: de quibus proinde nihil, niſi de diverſa illorum magnitudine, & ad ſe invicem configuratione, dicendum eſt, ſed breviter. Diſtinguunt eas Aſtronomi in Stellas primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, & ſextæ, magnitudinis: quarum poſtremæ vix notari viſu poſſunt, *&c.* Redactæ verò ſunt omnes in certas *Figuras* (plerâſque Animalium ferè) ut in hoc cœleſti Globo vides. Notiſſima ſigna nobis ſunt circa Polum noſtrum *Urſa minor*, ſtellarum 8; & *Urſa major* ſtellarum 32; ecce! Itémque duodecim ſigna Zodiaci: Ecce ♈ *Aries*, habens ſtellas 19. ♉ *Taurus*, 44. ♊ *Gemini*, 31. ♋ *Cancer*, 29: ♌ *Leo*, 39: ♍ *Virgo*, 40: ♎ *Libra*, 15: ♏ *Scorpio*, 27: ♐ *Sagittarius*, 31: ♑ *Capricornus*, 27: ♒ *Aquarius*, 33. ♓ *Piſces*, 35.

Aſter.] Iſta nobis, Domine, in ipſo cœlo fortè melius monſtrabuntur, noctibus ſerenis.

Aſtron.] Rectè: ut Aſtronomica Veſtra ſcientia non picta ſit, ſed vera & realis.

Wrvn.] Curſum Luminarium nondum attigiſti, neque Planetarum.

Aſtron.] Sol & Luna pro centro gyrationis ſuæ habent Terram,

Terram, æquè ut ſtellæ fixæ: quanquam non adeò preciſè (Certis enim locis paulo ſe altiùs à Terra elevant, alibi propiùs dimittunt, ſed non multùm.) At Planetæ centrum ſui motus circa Solem habent: ideóque ſupra Solem conſtituti apogæi ſunt (altiſſimi) & *directi*: in oppoſito perigæi (humillimi) & *retrogradi*: ad latera, per aliquot dies *ſtationarii*. Verùm hæc accuratius aliâs. Progrediuntur aloqui ſub Zodiaco, æquè ut Sol: ſed non tam exactè per mediam Zodiaci lineam, uti Sol. Exſpatiantur enim à via Solis in utramque partem: unde eſt ut Zodiaco tribuatur latitudo, præter morem aliorum circulorum. Videtis, ut latus eſt, Zonæ inſtar, ad 16 gradus.

Uran.] Quid eſt gradus, Domine?

Aſtron.] Tercenteſima ſexageſima pars ſui Circuli. Omnem enim Circulum Aſtronomi, magnum & parvum, in quatuor Quadrantes, & quemlibet Quadrantem in 90 gradus; quemlibet verò Gradum denuò in 60 minuta, ſeu ſcrupulos, dividunt.

Aſter.] Ad quid hoc?

Aſtron.] Ut exactiùs calculando motus Planetarum, confici queant in futurum *Ephemerides*: hoc eſt, conſignationes ad horam meridianam per ſingulos Anni dies; ubi tum Planeta quiſque futurus ſit, & quò ad invicem aſpectu: maximè autem propter Eclipſes Luminarium rectè in futurum calculandas.

Uran.] Poſſunt ergò Luminarium Eclipſes præſciri.

Aſtron.] Etiam centem & mille annis ante.

Uran.] Stupendum. Quâ id ratione obſecro?

Aſtron.] Per deprehenſas accuratè Solis & Lunæ vias, & calculi certitudinem. Notum eſtè Phyſicis, Lunam & Terram, tanquam corpora opáca, med à ſui parte à Sole illuminari, oppoſitâ verò parte umbrari; ita ut æquè Luna atque Terra à ſe projiciant umbram, ſeu noctem. Cùm ergò Luna ſit inferior Sole, intercurrit aliquando inter nos & Solem, & nos eclipſat, hoc eſt

umbrâ ſuâ obtegit: quò fit, ut nobis Sol tenebreſcere videatur, quum tamen non illę tunc luminis privationem patiatur, ſed Terra. Rurſum verò accidit, ut Luna plena, Soli oppoſita, incurrat in Terræ umbram, & eclipſetur, ſeu obſcuretur; hoc eſt Lumine privetur.

Uran.) Atqui Luna ſingulis pleniluniis Soli ſit oppoſita: nec tamen ſemper Eclipſin patitur.

Aſtron.] Non opponitur directè, ſed collateraliter. Exſpatiantur enim illa à Solis via per 8 gradus: atque tùm umbram terræ prætergrediens, radios Solis more ſuo excipit. Sed quando Conjunctio aut Oppoſitio Luminariu n contingit prope nodos (ubi via Lunæ viam Solis interſecat bis annò, Caput & Caudam Draconis vocant) impoſſibile eſt eclipſin evitari. Verùm Vos de his accuratiùs informabimini aliâs. Tirocinium artis, & perfectio artis, ſimul eſſe non poſſunt. Ferte hæc introrſum!

Aſter.] Agimus interim Domino Præſidi gratias pro informatione fideli.

ACTUS II. SCENA V.

[*Geographus* cum duobus Diſcipulis, *Hoſpitio & Peregrino: Globoq; Terræ, & Quadrante Aſtronomico.*]

Geogr.] Magnitudinem Mundi & Regionum ſitum ignorare, eſt ſui ipſius domicilium ignorare, inquit Cicero.

Hoſp.] Nos igitur non erimus domi hoſpites, ſi ex Te Clariſſime Domine Profeſſor, Magnitudinem Mundi, & Regionum ſitum, perdidicerimus. Illud enim fortaſſis eſt quod Geographia docet.

Geog.

Geog.) *Utique. Geographia enim eſt Scientia Orbis Terrarum.*

Pereg.) Cur Terra dicitur Orbis?

Geog.) Quia Terra & Aqua, infima & denſiſſima duo Elementa, unum conſtituunt Globum, undiq; rotundum, in medio rotundi Cœli pendentem.

Pereg.) In Cœlo pendentem?

Geog.) Ita Scriptura loquitur; *Extendet Aquilonem ſuper inane, & Terram ſuſpendit ſuper nihilum,* (*Job* 26. 7.)

Hoſp.) Quomodo tantus Globus pendere poteſt ſuper nihilum?

Geog.) Virtute Dei, & radiis Siderum, qui omnem denſam materiam à ſe trudunt deorſum: ut ſe in imo colligere neceſſe habeat. In Globo autem locus imus ubi eſſe poteſt, niſi circa centrum? Et verò Terram eſſe in medio Cœlo patet ad ſenſum; tum in hoc Globo (Sphæra armillari) tum in ipſo Mundo. Nam undique verſus Sideribus ambitur, & à Nautis circumnavigatur: Quemadmodum primus oſtendit Magellanus, qui ab Ortu in occaſum perpetuò navigans, per Ortum iterum rediit: eô modô quo Sol veſperi ibi occidit, & mane hinc redit.

Hoſp.] Quando id factum?

Geogr.) Ante duo ſecula. Sed ex eo tempore multi jam tentârunt idem, eôdem ſucceſſu; ut nihil reſtet dubii Terram eô tractu, ab Ortu in Occaſum (& vice verſâ) eſſe rotundam. Tranſverſim verò euntibus (ab Auſtro verſus Boream, viciſſim) inde Globoſitas pateſcit, quòd alter Polus Mundi perpetuò ſe elevat, alter deprimit. Unde ſimul magnitudo Globi Terreni percognoſcitur, Quia enim ſub Meridiano peregrinantibus ſingulis 15 Milliaribus Polus fit uno Gradu vertici propior, ſi totum Globi ambitum, 360 Graduum, per 15 multiplicaveris, prodibunt 5400 Milliaria Germanica, veriſſimus Terræ circuitus. Diameter verò Terræ

(crassitudo) erit tertia circumferentiæ pars, 1800 Milliarium: Semidiameter (profunditas à superficie ad Centrum) medium ejus, nempe 900 Milliaria.

Hosp.] Ah, certáne hæc sunt?

Geogr.] Infallibiliter certa. Experiatur si cui libet. Eat ex Hollandia per Brabantiam, Burgundiam, Galliam & Africam, rectà meridiem versus, post confecta 780 Milliaria habebit Solem verticalem, & Polum utrumque Horizonti incumbentem (Sic; *Ostendet in Globo.*) Sin Septentrionem versus vellet navigare (hîc enim nullæ Terræ sunt, Oceanus tantùm) veniet (confectis 570 Milliaribus) sub Polum Mundi, habebitque Æquatorum Horizonti incumbentem, & Cœlum non supra se, sed circa sese, voluptatum (*sic*!) Atque sic confecto itinere ab Æquatore ad Polum (hoc est quadrante Globi) 90 graduum, reperisset milliaria 1350: Quæ quadruplicata (quatuor enim sunt integri Globi quadrantes) faciunt 5400, verissimum Orbis Terræ ambitum.

Hosp.] Et probata hæc sunt?

Geogr.] Millies.

Pereg.] Jam ergò magnitudinem Mundi non ignoramus: situm porrò Regionum scire vellemus.

Geogr.] Prius etiam dimensionem Terræ discite, in longum & latum. *Ecce*! Latitudo Terræ æstimatur ab Æquatore Polos versus, utrinque per 90 gradus. Longitudo verò ab Occasu in Ortum, per integrum circuitum 360 graduum; initiô sumpto à primo Meridiano, quem ad fines Europæ constituunt, in Insulis Canariis.

Hosp.] Sub qua ergò Mundi latitudine & longitudine Hollandia nostra sita est?

Geog.] Laxè nimis interrogas: De aliqua Urbe quære.

Hosp.] Amsterdamum quam habet latitudinem?

Geog.] Eundem quam Poli elevationem. Nam quantum Æquator à vertice nostro recedit, tantùm se Borealis Polus supra Horizontem elevat: [*Hæc manu ostendantur*

in

in Cœlo & in Globo.] Nempe 52 gradus cum aliquot minutis.

Pereg.] Unde hoc ſcitur ?

Geogr.] Si non credere placet, experiri licet. En *Quadrantem Aſtronomicum* ! Hic tibi reperitis accuratè experimentis fidem faciet.

Pereg.] Quomodo quæſo ?

Geog.] Erige illum, quàcunque Anni die, horâ meridianâ (*ſic*,) & obverte Soli (*ſic*!) ut hæc pinnacidia Solis radius tranſeat (Quod ut exactè poſſis, Trochlea hæc, funiculo Quadrantem attollens aut demittens efficiet, ſic !) Tum enim filum perpendiculi hujus Gradum & Minutum Elevationis Poli oſtendet. Si obſervationem accipis ipſo Æquinoctii die ac horâ, præcisè : ſin extra hæc tempora, addes aut demes numero illi tantùm quantum Solem ea die ab Æquatore (hinc aut illinc) diſtare Tabula Declinationum Solarium oſtendet [Exſtat Tabula hæc apud Alſtedium, Encyclop. pag. 1011.]

Pereg.] Quam jucunda hæc ſunt ! Quid jam de longitudine ? Quantum diſtamus nos à primo Meridiano ?

Greg.] En numera ipſe hîc in Globo. Quot ſunt gradus ?

Preg.) *Numerabit, tandemque dicet :* 38 circiter.

Geog.) Non malè numeras.

Pereg.) Ad quid autem eſt ſcire locorum latitudines & longitudines ?

Geog.) Ad multa. Primô, dum cognoſcis ubi ſita ſit quæque Regio, vel Urbs, ſcies ſimul in Europâne, in Aſia, vel alibi ſita ſit. Secundò, diſtantiam ab invicem quorumcunque duorum locorum invenire poteris. Tertiò, per latitudinem ipſam deprehendes dierum & noctium, cujuſque loci longitudinem : ſicut & Æſtatis ac Hiemis.

Hoſp.) Eho, num Dies & Noctes, Æſtates & Hiemes, non ubique æquales ?

Geogr.) Minimè gentium. En vide Globum terræ! oſtendam tibi in illo quinque *Zonas*, ut vocant Geographi. En Zonam mediam ampliſſimam, inter Tropicos decurrentem! Hanc vocant *Torridam*: quia ibi Homines ob perpetuam Solis perpendicularitatem vehementiſſimos habent ardores, perpetuúmque Æquinoctium, à mundi exordio uſque in finem. Dum enim uterq; Polus Horizonti incumbit, ubicunq; conſtitutus Sol ſemper eſt 12 horis ſupra Terram, 12 infra Terram. Vide rurſum ad latera Mundi, intra Polares circulos *Zonas* duas *Frigidas*, ſeu gelidas! ubi propter Solis continuam collateralitatem vehementiſſimo ſunt frigore, & ſub ipſo Polo ſex menſium dies, totidem nox. Vide autem inter circulos Polares & Tropicos (utrinque) Zonas itidem duas, quas *Temperatas* vocant: quia in his tractibus grata tempeſtatum alternatio, ſucceſſivis dierum ac noctium incrementis ac decrementis.

Hoſp.) Stupenda hæc ſunt! Perpetuum allicubi ſex menſium dies, ſex menſium nox! Súntne hæc vera?

Geog. ſubridens.) An dubitas? ſi demonſtrationi, & rationibus non credis, abi experire! Sed interim accipe Tabellam hanc, per gradus Elevationis Poli, longiſſimi diei accramenta tibi oſtendentem.

Grad.

Grad. elevat.	Long. diei horas.
0	12
5	22¼
9	12⅓
13	12¾
17	13
24	13⅓
31	14
36	14½
41	15
45	15½
49	16
52	16½
54	17
56	17½

Grad. elev.	Longit. dierum.
58	18
60	18½
61	19
63	20
64	21
65	22
66	23
67	24
69,	dies unius menſis.
71	duorum menſium.
74	trium.
78	quatuor.
80	quinque.
90	ſex menſium.

Hoſp.) Magnus eſt Deus noſter, & ſapientiæ ejus non eſt numerus!

Geog.) Magis dixeris, ſi Gentium Terræ Globum inhabitantium innumeram multitudinem, & varietatem, conſpexeris.

Hoſp.) An undique habitant?

Geog.) Circumcirca, aut habitant aut navigant; adeóque alii aliis *Antipodes* (h. e. ex adverſo ſibi veſtigia figentes) ſunt.

Hoſp.) Et non decidunt qui infra Terram habitant, deorſum?

Geog.) Adhúcne puerilia cogitas? Nemo ſibi infra Terram habitare videtur, cùm omnes Terras habeant ſub pedibus, Cœlum verò ſupra ſe: æquè ac Tu. Quoiſum ergò deciderent, in Terra conſtituti? Quocunque ferrentur, Cœlum verſus (quod omnes ambit)

ambit) ferrentur, quod impossibile. Quæro ex te: Si possibili esset nobis hîc Terram perforare, rectâ per centrum usque ad Antipodas, demitteréque Lapidem deorsum, quid putas? Lapis ille ferret úrne ad Antipodas usque?

Hosp.] Fortasse.

Geogr.] Et quò inde?

Hosp.] Nescio.

Geog.] Vides te hærere? Malè judicasti. Lapis ille non ulteriùs ferrí posset quàm ad centrum Terræ, ibi quiesceret. Sicut & antipodes si emitterent Lapidem, non posset ad nos usque penetrare, subsisteret itidem in centro. Quomodo ergò lapides hi quiescerent in centro Terræ, nullò fulcrò sustentari: ita pendet tota Terra in Mundi in centro.

Pereg.] Laudent Dominum omnia Opera ejus! Hallelujah!

Geogr.] Amen. Sed restat de Gentibus, Globi Terreni incolis, loqui.

Pereg.] Loquere, oramus.

Geog.] Superficies Globi Terreni, majori ferè parte cooperta est aquis, quas *Oceanum* vocamus: ecce! In hoc velut innatant quinque maximæ *Continentes* Terræ, Maribus à se disterminatæ, circa se infinitas insulas, intra se verò vastissimas Regiones, dissociatas Gentibus & & Linguis, habentes: *Europa*, *Asia*, *Africa*, *America*, *Magellanica*.

Pereg.] Nos in qua habitamus?

Geog.] In *Europa*: quæ omnium minima est (ecce!) tot tamen habet Gentes! Recensebo eas, & in Globo hoc ostendam, ordine. Ecce, hîc habitant *Hispani*! & his contermini *Lusitani*! Tum *Hiberni*, *Scoti*, *Anglí*, *Dani*, *Sueci*, *Norvegi*, *Lappónes*. Dehinc *Russi* seu *Moscovitæ* amplissima Gens; *Lithuani*, *Borussi* *Poloni*, *Bohemi*, *Germani*, *Belgæ*, *Galli*, *Itali*, *Siculi*, *Dalmatæ*, *Hungari*, *Transylvani*, *Græci*, *Valachi*,

chi, *Thraces*. (ecce, quantillum Terræ angulum nos poſſidemus!

Aſia, quadruplò major Europâ, habet *Turcas*, *Scythas*, *ſeu Tartaros*, *Chinenſes*, *Indos*, *Perſas Armenios*, *Arabes*, aliòſque infinitos. (*Oſtendet ſingularum Gentium ſitum.*)

Africani populi ſunt *Ægyptii*, *Barbari*, *Mauri*, (atri Æthiopes) *Abyſſini* (Albi Æthiopes) *Cafres*, & alii innumeri.

America verò demùm ſcatet Gentibus, nobis ignotis & innominatis : aliquot tamen majores & celebriores innotuerunt, Braſilienſes, Peruviani, Mexicani, &c.

In *Magellanica* omnia ferè adhuc ignota ſunt, littora demùm circumnavigarunt noſtri.

Hoſp.] O Domine deus noſter, quantus es Tu tantarum Rerum Conditor!

Geog.] Interim utut vaſtus eſt Globus Terræ, Sol tamen cœleſtis centies & ſaxagies major eſſe illò deprehenditur : nec ulla eſt viſibilis in Cœlo ſtella tam exigua, quæ non Terræ Globum mole excedat.

[*Diſcipuli cœlum ſuſpiciant, manus complodant, ſuſpirent!*]

Geogr.] Etiam gloriæ Dei ſervit ſpectare Montes aliquos ſtupendæ altitudinis, ut nubes ſuperent : Celebriores in Europa ſunt, *Alpes*, *Pyrenæi*, *Carpatus*, &c. In Aſia, *Olympus*, *Taurus*, *& Caucaſus*. In Africa *Altas* & *Lunæ montes*, &c. Famoſa item flumina : in Europa *Danubius* & *Boryſthenes* ; in Aſia *Indus*, *Ganges*, *Oby* : in Africa, *Nilus* ; in America *Maragnon*. Inclytæ Urbes Orbis compendia, ſunt in Europa, *Conſtantinopolis*, *Roma*, *Venetiæ Lutetia Pariſiorum*, *Londinum*, *Amſterdamum*, *Praga*, &c. In Africa, *Alcair*, *Feſſa*, *Maroco*. In Aſia *Bagdat* (ſeu *Babylon*) *Alepo*, *Goa*, *Cambalu*,

halu, & *Quinzay*. Quæ ſola (*Quinzay*) in circuitu habet 23 noſtratia milliaria, ut exped.to Equiti à porta ad oppoſitam portam unius integri diei iter ſit, Et quia ſuper paludes ſita eſt, pontes habet lapideos 1260. Eſt & ibidem in China pro miraculo Mundi habitus 400 milliarium murus, contra irruptiones Tartarorum exſtructus. Sed tempus nos deficit: alia differamus!

Hoſp.] Non tæderet totum diem in his deliciari.

Geograph.] Sed alii jam exſpectant; auferte iſthæc.

ACTUS II. SCENA VI.

[*Hiſtoricus* idemque *Chronologus*, cum Diſcipulis octo: 1.2,3.4.5.6.7.8.]

Hiſt.) Rectè facitis quòd in Collegio Hiſtorico frequentes compareatis, *Hiſtoria* enim Eruditionis oculus eſt: quia nihil videtur ſcire, qui quid ante nos in mundo actum ſit, neſcit. Hinc Ægyptii Græcos ſemper pueros appellârunt, eô quòd Antiquitatum eſſent ignari. Vos ergò adoleſcentes, ſi non vultis ſemper eſſe pueri, ſtudio Hiſtorico multam navate operam.

Diſc. 1.) Ea nobis mens eſt, eo fine Collegium Hiſtoricum frequentamus,

Hiſt.) Sciendum verò eſt, Geographiam & Chronologiam duos eſſe Piſtoriæ oculos, ſine quibus hæc cæca cæca foret.

Diſc. 2.) *Geographiæ* guſtum jam habemus: *Chronologiæ* quid ſit neſcimus.

Hiſt.) *Geographia* eſt locorum, *Chronologia* temporum, notitia, Ad omnem enim hiſtoriam rectè intelligendam inſigniter facit, ſcire *Ubi* & *Quando*, aliquid, geſtum ſit,

fit *Chronologus* igitur ſuppurat, quâ Mundi ætate hoc illúdve acciderit? & quantum præſens tempus diſtet ab exortu Rerum, aut alia quapiam obſervabili periodo, ſeu *Epocha*: ut ne ſimus neſcii, ubi jam ſimus.

*Diſc.*3.) Quid eſt *Epocha*?

Hiſt.) Eſt aliquis notabilis terminus, unde annorum numeratio incipit. Qui quidem terminus communis omnibus jure eſſe debebat ab Orbe condito: ſed quia iſtud initium incompertum fuit pleriſque, aſſumebat quælibet Gens alium ſibi notum & memorabilem terminum. Ex. gr. *Judæi* olim annos ſupputabant ab exitu ſuo ex Ægypto; nunc à deſolatione Jeroſolymæ. *Græci* ab Olympiacis Ludis: quos *Iphitus* inſtituerat celebrari quinto quoque annô incluſivè, ſeu quartô excluſivè. *Romani* annos numerabant à condita ſua Urbe: *Chriſtiani* à nato Chriſto: *Turcæ* à fuga Mahomedi (*Æram Hegiræ* vocant:) Reges denique *æras* ſuas (ſeu *epochas*) auſpicantur à cœptu Regni ſui.

*Diſc.*4.) Multíne ſunt Hiſtoricorum Libri?

Hiſt.) Priſcorum ruditas non alias habuit Hiſtorias, quàm quas ſibi mutuò narrabant, aut erectis quibuſdam monumentis, poſteritati innuebant. Ex gr. Ubi prælium fuit geſtum, congeſſerunt lapidum ſtruem; aut erigebant ligneum vel lapideum Cippum. Pro numeranda v. Regum ſucceſſione infigebant parieti clavos; aut ligabant in funè nodos, juxta regnandi brevius aut diuturnium ſpatium [*hæc oſtendenda ſunt.*] Veniebant nihilominus tamen res in oblivionem, & transformabantur in fabulas. Demùm poſtquam Literæ increbuerunt, cœperunt res geſtas in *Commentaria* referre, unà cum circumſtantiis: ut ne quid affictitii, aut ſubditicii, irreperet.

*Diſc.*5.) Quanta eſt Mundi duratio?

Hiſt.) Decurrerunt jam prope ſex mille Anni: quantum autem reſtat, ſoli Deo notum eſt.

*Diſc.*6.

Disc. 6.) Ah, quantum rerum intra 6000 annos gestum est, quis memoriâ complecti possit!

Hist.) Nemo mortalium. Sed nec omnia scripta sunt: nec scire omnia quæ scripta sunt, opus est. Sapiens erit qui primaria quæque ex omnium seculorum decursum, de præcipuis humani generis mutationibus, suæ in primis Gentis, & quæ præterea insignem habebunt usum, non ignoraverit.

Discip. 7.) Clarissime Domine, placéne nobis tale aliquod Chronicorum omnium tradere Breviarium? In vasta enim Historicorum volumina nondum forté immittendi sumus nos, studio huic demùm initiari.

Hist.) Faciam, ut omnium Historiarum ex me habeatis medullam, annô unô perdiscendam. Interim brevissimum illud breviarium quod Janua L. L. Cap. LVII. habet, percurrite, & Vobis reddite familiare. Hodie initium esse Collegio Historico datum, satis fuerit.

Disc. 8.) Acquiescimus, & agimus gratias.

ACTUS II. SCENA VII.

[Logicus *cum quatuor Discipulis.*]

Logice igitur artis penitiorem quæritis cognitionem?

Disc. 1.) Quærimus profectò ad accuratè pervidendum Cogitationum processum, & non permittendum eas evagari, intra cancellos duas.

Log.) Necessaria utique ars, si ulla, propter Mentis nostræ volubilitatem, quâ per rerum superficiem vagabundè serpendo se & res obscurat, intricat, incertat. Sed est

est ars cæteris difficilior: quia Mens alibi objecta suæ ante se posita speculatur: hîc autem se in se reflectere, propriásque rerum imaginationes spectare, & normare, necesse habet. Quod prænonco, ut singulari attentione hîc opus fore (si verum Logices usum percipere vultis) memineritis.

Discip. 2.) Securum te reddimus, Domine: non passuros nos aliquid in diligentia nostra desiderari.

Logic.) Eja igitur rem aggrediamur! In omni cogitatione tria concurrunt: Mens cogitans; Objectum cogitabile; & aliquid de illo cogitandum. Objectum Cogitationis vocant *Thema*; cogitatum verò *Argumentum*. Thema rursum, de quo cogitandum est, & cogitatur, est aliquid aut *Ignotum*; aut *Incertum*; aut *Inordinatum* seu Confusum. *Ignotum* est quod nescitur, num sit, vel quid sit, vel quantum, quale, ubi, &c. *Incertum*, de quo dubitatur An sit, vel An id quod esse dicitur, vel putatur; aut num tantum, tale, ibi, &c. *Confusum* ubi se multa simul offerunt! mentémque obtundunt. Dialecticus igitur Ignotum evestigare, Incertum probare, Confusum in ordinem redigere quærens, omnia pertentat tribus viis. I. *Sensu* propriô, si res haberi potest coram. II. *Ratiocinatione*, si rei non clarè prostantis aliqua tamen prostant indicia. III. Si nihil horum potest, demùm *aliena* advocat *Testimonia*, quibus juvetur.

Disc. 3.) Ergò hæc tria, *Sensus*, *Ratio*, & aliena *Relatio*, ubique Logicum juvant?

Log.) Prorsus: sive Cogitationes numerat, sive mensurat, sive ponderat.

Disc. 4.) Quid hoc est, Cogitationes numerare, mensurare, ponderare?

Logic.) Voces has è Matheſi mutuamur: Logici dicunt *Invenire*, *Ordinare*, *Judicare*: quæ sunt

tria

tria Logices officia, treſque partes.

Dic. 1.) Et omnia *Senſu, Ratione, Teſtimonio*?

Log.) Omnia. Nam quod *Inventationem attinet*: *& Senſus*, per res ductus, multa cogitanda reperit; & *Ratio*, rem quamque ſeorſim examinans, longè plura invenit: & *Teſtimonio* eorum, qui jam ante nos res veſtigârunt, infinita offerent. Dives prorſus Cogitationum erit, quiſquis multa & varia Senſibus uſurpaverit, Ratione diſquiſiverit, apud Authores legerit. Rurſum a. *Rerum ordinem docere* poſſunt, tum Res, ſenſu benè inſpectatæ; tum Ratio, res inter ſe conferens; tùm aliorum quandóque conſilium. Et *quando Veritas rerum inventarum, aut diſpoſitarum, quæritur*: poſſunt & Res benè Senſu examinatæ, quid verè ſint aut non ſint, fateri; tùm ſicubi Senſus aberrat Ratione emendari, aut ſi non aberrat, ſtabiliri; ſicut & alienò fido *Teſtimonio* veritati addi robur.

Diſc. 2.) Valdè hæc ſunt harmonica.

Log.) Debent enim eſſe. Cæterùm quia Logicæ propriiſſimum eſt Ratiocinationi ponere leges: hîc ſiſtamus, Ratiociniique leges recognoſcamus. Inventionis locos vocant certos rerum Titulos, quorum admonitu quidvis invenire liceat. Ut ſunt *Cauſa, Effectum, Subjectum, Adjunctum*; *Simile, Diſſimile*; *Diverſum, Adverſum, ſeu Contrarium, &c.*

Diſc. 3.) Quid autem cum inventis argumentis faciendum?

Log.) Exſtruenda eſt inde plena Rei *Deſcriptio*: aut brevis & accurata *Definitio*. Tum ingrediendum ad *Diviſionem*, bimembrem, trimembrem, quadrimembrem, *&c.* prout res dividi requirit. Sive Diviſio fuerit rei à re, quam *Diſtinctionem* vocamus, ut Homo doctus ab indocto: ſive totius in partes, Homo in Corpus & Animam; quæ *Partitio* dicitur: ſive generis in ſpecies, ut Homo in marem & fœminam; quæ *Diſtributio eſt.*

Diſc.

Disc.) Hæc intelligimus: perge!

Log.) Ex inventis cogitatibus fiunt Theſes, ſeu Ennunciationes, quibus aliquid de aliquo affirmatur, aut negatur. Ubi tria ſemper occurrunt (ſeu apertè, ſeu ſubintellectè) *Subjectum*, de quo aliquid dicitur; *Prædicatum* quod dicitur; & *Copula*, per quam duo iſta cohærent: ut *Logica eſt diſcenda.* Tu, dic ubi hîc eſt ſubjectum? ubi prædicatum? ubi copula?

Diſ. 1.) *Logica*, eſt ſubjectum: *Diſcenda*, Prædicatum: *Eſt*, Copula.

Log.) Rectè: Sed notate; *Prædicatum etiam dici terminum majorem*; *Subjectum terminum minorem.* Jam ſi cui dubitare venit, *utrum Prædicatum illud de Subjecto illo affirmari debeat?* quærendus eſt tertius terminus (quem *medium* vocant) qui cùm illis duobus bis tranſpoſitus litem dirimat. Ex. gr. Si dubitetur An *Logica* ſit (1) *Diſcenda* (2): reſpondeo, Eſt, quia eſt (3) *Utilis.* Exſurget inde Syllogiſmi (hoc eſt ratiocinii) ſtructura trium propoſitionum. Quarum prima ponit baſin: *Utilia ſunt diſcenda.* Altera ſubſumit: At *Logica eſt utilis.* Tertia concludit: *ergò Logica eſt diſcenda.*

Diſc. 2.) Semper igitur ex præmiſſis & conceſſis duabus infertur tertia, qua incertitudo tollitur?

Log.) Semper. Diſſimulatur tamen aliquando altera præmiſſarum, & fit *Enthyméma*: ut, *Logica eſt utilis, Ergò diſcenda, &c.*

Diſc. 3.) Quid fit, ſi Queſtio incidat valdè controverſa? & in utramque partem diſputabilis?

Log.) Diſputatio exſurgit. Ubi alter argumentatur pro affirmativa parte, alter pro negativa: altérque ſolvit alterius argumenta & objectiones, donec Veritas pateſcat. Tametſi captioſi Diſputatores (*Sophiſtæ* dicti) aliquando argutari, tortuoſiſque argumentationibus Veritati illudere pergant: urgèndi tamen ſunt, donec obmuteſcant.

Discip.4.) Quid autem si quando materiæ multæ, indiscretæ, confusamque se oggerentes, discernendæ, & in ordinem redigendæ sint; quomodo faciendum?

Log.) Methodus advocanda est in auxilium. Cujus lex summa trina. I. *ut notiora ubique præmittantur ignotioribus:* nempe, *Priora* posterioribus, *Totum* partibus, *Genus* speciebus, *&c.* II. *ut omnia disponantur & cohæreant sic, quomodo ab invicem descendunt:* ut notio notionem trahat, sicut in Catena annulus annulum. III. Ut omnia exprimantur verbis perspicuis, nihil ambiguitatis relinquentibus.

Disc.1.) Totumne hoc Methodi artificium?

Log.) Omnia huc reduci possunt. Nam & aliena confusa secundùm has Regulas examinat, & emendat, Logicus. Atque si sophismata latitare animadvertit in verbis, declarat Voces obscuras, distinguit ambiguas, limitat indeterminatas, restringit generales nimis: & si quid sumi queat largiùs, excipit nominatim, evincítque omnia rationibus, ut conceptus sint clari: sic potenter dilucidans tenebrosa, refutans paralogismos, digerens inordinata. Sed contexere tam perspectè cogitata propria, *Synthesis* est: retexere aliena, *Analysis:* conferre plura cum invicem (propria vel aliena) *Synthesis.*

Disc.2.) Utinam hæc jam sciamus?

Log.) Exercitiis accuratis tota hæc res constat; quæ nostro in Collegio urgebimus strenuè. Hodie fundamentum posuisse ne pœniteat.

ACTUS

ACTUS II. SCENA VIII.

Eloquentiæ Profeſſor, cum Auditorum turba.

Humaniſſimi Auditores, Eloquentiæ profeſſio mihi demandata eſt, meam ornabo Spartam. Et quidem, primo hoc provinciæ novæ aggreſſu, Eloquentiæ, Arborem coram Vobis expandere decrevi, unâ cum detectis radicibus ſuis: ut quid & quantum ſit quod proponimus, ſimul pateat; deinde vel gradatim eamus, ab uno ad aliud. Hodie itaque dum in generalibus verſamur, nemo mihi interloquatur: profeſſoriô more agam, ſermonéque inabruptô Sermonis artificia exponam.

Cujus artificii gradus ſex ſunt.

1. *Primus*; Intelligere Vocum ſignificationes veras: quod docent LEXICA.
2. *Secundus*, Eaſdem Voces ſcire, flectere, & nectere aptè: quod tradit GRAMMATICA.
3. *Tertius*, Sermonem ornare ad elegantiam: quod facit RHETORICA.
4. *Quartus*, Ornato ſermone ſcire uti potenter, ad quidvis perſuadendum: ad quam artem informat ORATORIA.
5. *Quintus*, Sermonem innectere numeris & menſuris; quod monſtrat POETICA.

(6) *Sextus*, Sermonem ita ligatum proferre (majorem ob suavitatem) modulatè, quam artem docet MUSICA.

Habetis Eloquentiæ fundamenta, structuram, fastigium. Sed audite de singulis istis sigillatim.

LEXICA, seu *Dictionaria*, sunt repertoria Vocum alphabeti seite digestarum, & per etyma sua sic explicatarum, ut significatio cujusque rectè pateat. Notate autem, Lexicon tanto fabriùs erit, quantò *plenior* ibi *Vocabulorum collectio* fuerit, ut reperias quicquid quæris: & amussitatior collocatio, ut suo loco reperias: & dilucidior explicatio, ut legenti ultrò diluceſcant.

Lexico studio proximum est stadium Grammaticæ: Ubi discimus, quomodo rectè fiant ex Literis Syllabæ, è Syllabis Voces, è conjunctis Vocibus Phrases & Sententiæ; & ex his Periodi, sermonisque Contextus: ne admittantur *barbarismi*, aut *solœcismi*, juxta *Idiotismos* cujusque Linguæ, *Analogiamque* & *Anomaliam* (quippe quædam formantur regulariter, alia irregulariter.) Habetis Grammaticæ *Breviarium*; *Systema* stat suo loco.

Ut autem Sermo sit non tantùm intelligibilis, sed etiam suaviter delectabilis, & acutè penetrabilis, Rhetor *colorat*. Verba *Tropis*, Sententias *Figuris*, Pronuntiationem Gestu. *Tropus* est, cum vox transfertur à nativa significatione, ad significandum rem aliam, similem aut contrariam, aut saltem diversam. Cum enim *stupidum* voco *Stipitem*, vel *Asinum*, est *Metaphora*: quâ res similis appellatur nomine rei similis. *Bone Vir*, pro *Nequam*, est *Ironia*: quâ res nomine rei contrariæ joculariter insignitur. *Homo est pulvis*, est Metonymia: quâ causa ponitur pro effecto, & vice versâ: *Homo est mortalis*. Synechdoche, quâ pars pro toto sumitur, & contrà. Accedunt Tropis, *Allegoria*, *Hyperbole*, *Miosis*; simplici exornationi Verborum, *Epitheta*,

Epitheta, Antitheta, Synonyma, Periphrasis. Mali corvi malum ovum (id est, improbi patris improbus filius) est *Allegoria*; quâ semel positus Metaphoræ Tropus continuatur: *Homo homini Deus*, est *Hyperbole*, quâ res ultra verum extollitur. *Homo est umbra*, vel, *nihil*, *Miosis*, quâ res infra verum extenuatur ac minuitur. *Eloquens* Orator eloquitur *potenter*, *Epitheta* sunt, quæ Nominibus & Verbis ornatûs causâ adjiciuntur. Non *loquitur*, *sed fulminat*, *non commovet*, *sed dejicit*; sunt Antitheta, quibus plus quiddam dicere videmur quàm dicimus. *Sollicitat*, *suadet*, *persuadet*, *captivat*, *perducit quo vult*, *sunt* Synonyma, ideò adhibita ut velut iteratô ictu idem adigatur forcîùs, & hæreat firmiùs, *Romanæ Eloquentiæ parens* (pro Cicero) est Periphrasis, quâ rem non nominamus, sed circumloquimur. Cùm a. mutamus modum efferendi Sententias à simplici in elegantem, cognominant *Figuram*; sive quidem variando totam Sententiam, *emphàseos causâ*; sive collocando ejus partes quasdam lepidè inter se, *suavitatis ergò*, Ibi dicuntur *Figuræ dictionis*. *Figuræ Sententiæ* sunt octo præsignores. (1) *O Tempora, ó mores!* est Exclamatio, quâ sermo intenditur exclamando. (2) *Siccine fieri oportuit?* est Interrogatio, quâ auditorem interrogando ad attentionem concitamus. (3) *Sed de his tacebo*, est Reticentia, quâ sermo redditur aculeatio ipsâ abruptione. (4) *Tacebo? imò loquar*; est Correctio, qua revocatur quiddam jam dictum ut dicendum excipiatur attentius. (5) *Dicat aliquis, &c. sed regero*: est Præoccupatio, quâ audito is compellatio præoccupatur. (6) *Sit impius, sit humilis ortu, at est probus*, Concessio, quâ conceditur quod oggeri posset, ut auditor concedere cogitur aliud. (7) *Audite Cœli, Vos tibi eritis testes*, est Apostrophe (Adversio) quâ sermo ab auditoribus alioversum convertitur. (8) *Non in hoc luceo ego Sol, ut Vos somnolenti altum stertatis*;

Est Prosopopœia, personæ loquentis fictio: omnia hæc ad exciendam intentionem. Inter *Figuras dictionis* antecedunt totidem (1) *Vicimus, vicimus*, Est Epizeuxis, iteratio continua. (2) *Nobis id cedit solatio, nobis honori, nobis utilitati*; Anaphora, repetitio in principio sententiarum. (3) *Ibimus, pugnabimus, triumphabimus*: Epistrophe, ejusdem soni in fine geminatio. (4) *Multa promittis, præstare teneberis multa*: Epanalepsis est, congeminatio in principio & fine. (5) *Causa bona addat nobis animum, animus industriam, industria Virtutem*; Climax est, connexio plurium gradata. (6) *Non vivo ut edam, sed edo ut vivam*; est Epanodos, inversa conduplicatio. (7) *Quæ docent docent* Paronomasia, allusio soni ad sonum, & rei ad rem. (8) *Memorem facit immemorem, qui memorat quod ille meminit*; Polyptoton, repetitio ejusdem vocis, variatô casu. Sunt & accessoria Ornamenta sermonis, *Gnomæ, Adagia, Apophthegmata, Parabolæ, Apologi, Comparationes & Exempla*: è quibus omnibus fit *tersus Sermo*, si res enuntiantur purè & emendatè: *floridus*, si tropicè & figuratè: *nervosus*, si strictim ac sententiosè. Observate & diversitatem stili, qui brevis & argutus dicitur *Laconicus*; copiosus & diffusus, *Asiaticus*; rebus exquisitè attemperatus, *Atticus*. Character stili itidem triplex, est: *humilis*, in efferendis rebus quotidianis; *sublimis*, seu *grandis*, in rebus arduis; & *mediocris*, in mediocribus.

Hinc *Orator* pertractaturus aliquod Thema oratoriè reducit illud primò ad certum *statum*, quem facit triplicem; 1. *Demonstrativum*, quô fiunt rerum laudationes & vituperationes; 2. *Deliberativum*, quô suasiones & dissuasiones; 3 *Juridicialem*, quô absolvuntur accusationes & defensiones. Ubique as. facit sibi ingressum accommodô *Exordiô*, quô captat benevolentiam, attentionem, docilitatem; tùm devenit ad *Propositionem*, quam

quam confirmat *Argumentis probantibus*, illuſtrat *explicantibus*, dilatat *amplificantibus*: premítque adverſarium *Conſectariis*; tandémque perorat appoſitô *Epilogô*. *Geſtus* perornantes Elocutionem ſunt in *Vultu*, *Voce*, *Motúque* corporis. *Vultum* refert, prout res exigit, ſubmiſſum erectum, hilarem aut triſtem, frontémque caperatam aut exporrectam. *Vocem* adhibet flebilem & interruptam in concitanda miſeratione; acutam & incitatam in ira; lætam & blandam in gaudio. *Motu* tandem utitur variô: nempe ad obteſtandum, *complicatione manuum*; ad læta, decenti *compoſitione* earundem; ad indigna, *diſpoſitione* pedis. Cui oratio benè fluit, diſcitur *Diſertus*; Qui jucundè effatur, *Facundus*; qui ſcit eloqui res potenter, *Eloquens*, ſive illi Eloquentia veniat ex tempore, ſive præmeditatè: maximè tamen, ſi promptus fuerit uſque ad extemporalitatem: abuſus Oratoriæ facit Rabulam.

Poëta adhibet artificia eadem *ſtilô ligatô*: hoc eſt, adſtricto ad leges *Rhythmi*, aut *Metri*. *Rhythmus* eſt rudimentum Poëſeos: ubi ſpectatur tantùm numerus Syllabarum, cum ſimili cadentia ultimæ: ut, *Vos edatis, horis ſtatis; ſi non dente, ſaltem mente*. *Metrum*, ubi omnes Syllabæ numerantur, menſurantur, ponderantur, certô numerô & genere pedum Poëticorum: nam pedes fiunt è ſyllabis: ut, ex duabus longis *Spondæus* (Cōn-ſtāns;) *Iambus*, è brevi & longa, (Bo-nī;) *Trochæus*, è longa & brevi (Sēmper; *Dactylus*, è longa unâ & duabus brevibus, ut (Flēctere.) E pedibus fiunt *Verſus*, è verſibus *Carmina* ſeu *Poëmata*; quorum genera (à diverſa dimenſione pedum) aliâs diſcetis. Ab argumento verò vocantur, Nuptiale carmen, *Epithalamium*; Funerale, *Epicedium*; Sepulchrale, *Epitaphium*: paratum abiturientibus, *Propempticum*; feſtiviter joculare, *Epigramma*; acriter invectivum, *Satyra*, &c. Arguti

Poetæ habentur in tanta æſtimatione, ut ſoleant coronari à Regibus laureâ, & decorari titulo *Laureati Poëtæ*.

Tandem Muſicus addit Carmini *modulationem*, ut poſſit (pro auribus magis oblectandis) non tantùm recitari, ſed & cantitari; ſive voce aſſâ, ſive admodulando tibiæ, vel citharæ; & ſive ſimplici modulatu & ſonore unô, quod eſt *Euphonia*; ſive commodulatione plurium (per ſuavem conſonantiam) quod eſt *Symphonia*. Ubi voces quatuor conſonant harmonicè, ſupremam vocant *Altum*; mediam, *Tenorem*; imam, *Baſſum*: ſed cantandam voce puerili (antequam hirquitalliant, ſeu gallulaſcant) *Diſcantum*. Conſonant autem ſuaviter, tertia, quinta, octava; aliâs faciunt diſſonantiam abſonam. Ergò ad evitandam diſcrepantiam, dum quiſque *Concentorum* cantat ſuam vocem (depictam notis figurarum Muſicarum) unus præmonſtrat modulum percuſſione manûs: unde reliqui accipiunt menſuram *cantûs & pauſæ*.

Ita vobis Philologiæ, ſeu Artium ſermocinatricum, expoſui ſummam. Quas ſi perdidiceritis rectè, ſermonis Artifices evadetis.

FACTUS

ACTUS II. SCENA IX.

Philoſophiæ moralis Profeſſor ſolus prodibit, Cathedramque conſcendens.

Præcellentiſſima Philoſophiæ pars *Ethica* eſt, informans Hominem de moderamine ſuiipſius: quomodo ſcilicet vivere & mori queat, imperturbatus Animo, ſanus Corpore, lætus Conſcientiâ, nec ſibi gravis nec aliis, & ſine omni damnoſa indiligentia, ſub favore Numinis. O Glorioſam Philoſophiæ colophonem! ô præclarum literarii laboris præmium! Collegiſſe Eruditionis ſupellectilem talem, quæ non vanæ oſtentationi ſerviat, ſed tranſeat in Vitam. O Artem Artium, Regere ſeipſum! Rectè dixit qui dixit: *Si vis eſſe Rex, dabo tibi Regnum*, REGE TEIPSUM. Hanc regnandi artem vultíne callére dilectiſſimi? Spero velle. At eam docere Verbis tantùm, non ſatis efficax fuerit: vivis coloribus depingenda ſunt, & vivis actionibus demonſtranda omnia. Quæ res cùm tempus requirat, differamus nonnihil. Sequenti menſe omnes Vos, Auditores & Spectatores eximii, ad Philoſophiæ moralis delicias invitabimus. Ultimini patientiâ: interímque alios, qui modò reſtant. Actus ſpectate.

ACTUS

ACTUS III. SCENA I.

Medicus pro gradu disputans, cum Professoribus Theses ejus ventilantibus.

[Prius tamen Pedellus veniat, Theseſque ad disputandum propositas (quarum titulum in Theatri medio clarè præleget) inter Patronos & Pastores primarios destribuat, ita scriptas.

THESES De Diæta.

Quas pro consequendis in arte Medica, summis honoribus, sine Præside defendas, suscipit Asclepius Machaon loco horisque consuetis.

Thesis. I. Boni Medici est *Homines à morbis præservare potiùs, quàm liberare.*

II. Idque *Diæta* potiùs ope, quàm *Pharmacorum.*

III. Diæta consistit in Naturalium facultatum *Fomentis, Nutrimentis, Roboramentis.*

IV *Fovendi* sunt in corpore primùm Spiritus, deinde Humores.

V. *Spiritus fóventur* Aëre purô, & Odoribus, spirituosisque alimentis. Itémque præcavendis vehementioribus Affectibus.

VI. *Humores foventur* calefactivis, externè & internè. Calor enim naturæ amicus.

VII. *Nutrimenta sunt Cibus & Potus.*

VIII.

VIII. Cibus sit è rebus salubribus, concoctu facilibus, simplicior potiùs quàm condituris variatus, tempestivéque ac temperanter sumptus.

Coroll. 1. *Multi Cibi, multi morbi.*

2. *Quotidie Cibis saturari, ad morbum iter est.*

3. *Sæpè, parùm, lentè, nunquam satis, aurea lex est.*

4. *Si varietas adhibetur, mollia, tenuia, acida præcedant: dura, crassa, dulcia sequantur.*

IX. *Potûs* quantitas non accedat Cibi quantitatem: sitque tenuior potiùs quàm crassior, sive sit Aqua, sive Vinum, aut Mulsum, vel Cerevisia.

X. *Aquæ potus naturalis est: sed non omnis Aqua æquè utilis est.* De quo magni nominis Medicus, Gorræus, ita scribit. *Aqua bibendo utilis est, imprimis Pluvia: deinde Fontana, tum Putealis; postea Fluviatilis; postrema Lacustris & palustris: deterrima omnium ex glacie & nive.*

Coroll. 1. *Ergò qui Glaciali aquâ utuntur ad potum, omnium pessimè valetudini suæ consulunt.* 2. *Estque talis aquæ potus inter brevioris Vitæ causas indubitatè ponendus.*

XI. Vinum bonum modicè usurpatum medicina, immodicè venenum.

XII. Calidis anni mensibus potu uti frigidô (seu Aquæ, seu Zythi aut Vini) valetudini noceniissimum.

XIII. *Roboramenta* Valetudinis sunt. 1. *Motus & Quies.* 2. *Vigilia & Somnus.* 3. *Balnea:* omnia moderata.

XIV.

XIV. Summa tamen consilii Diætetici ex mente primi Latinorum Medici, Cornelii Celsi, hæc erit, Qui constanti vult esse valetudine, adsuefaciat se ad contraria, ut possit frigus ferre & calorem, saturitatem & jejunium, vigilias & somnum, laboresque multos. Ita enim natura omnibus adsueta non lædetur facilè.

Ad his Theses acriter ventilandum Clarissimos *D. Professores amicè invitat idem qui suprà, Medicinæ Candidatus.*

[*Tum prolibit Medicus, cum turba.*]

Medicus de suggestu.] Amplissimi Auditores; Medici nomen & officium gloriosum est, esse in propellendis Morbis & Morte, prorogandáque Mortalium Vita, administrum Dei. Quod qui posse volunt, exercent se in noscendo subjecto Valetudinis, Corpore humano, per *Anatomiã*: & remediis, per *Botanicem & Chimiã*: & in modo applicandi ea, per visitationes Ægrorum, & sanationes collectivo Medicorum collegio. Artis hujus incunabula Æsculapio deberi, & dehinc Hippocrati natum est. Et quomodo qui postea Medicinam profitebantur *Empirici* essent, sola experientia freti, Deinde *Methodici* solas morborum indicationes respectantes, experimentis posthabitis. Tandem prodierunt *Dogmatici* rationes experientiæ jungentes; qui se à primario suo duce Galeno, *Galenicos* vocant. Hodie inclaruit Medicina *Spagirica*, seu *Hermetica*: admirabilis Medicamentorum præparatione, ac subtilitate, formidabilis tamen simul ob summum discrimen, si tractetur incautè. De me qui Medicinam faciendi hodie posco licentiam, si quæratis, cujus me partis affeclam fecerim, respondebo: *Nullius, nisi Naturæ.* Omnia bona observata, cujuscunque partis fuerint, nostra facimus

facimus communi naturæ jure. Hoc tamen negare non poſſum, eô me propendere magis, quæ ſecurioris ſunt usûs. Quo etiam nomine hodiernæ Diſputationis materiam offerre volui quam Theſes exhibent, *de Bono Diætæ*. Quas ſi expendere dignati eſtis, ut etiam allatis in contrarium argumentis ventilare dignemini, orto: ego ad illarum defendendam Veritatem intrepidus adſum.

Primus opponens.] Præſtantiſſime D. Candidate: mihi prima & 2. Theſis tua non ſatis facit (*Legantur*) oppugno primam hôc ariete.

Impoſſibilia ſibi proponere, non eſt boni & ſapientis Viri.

At perſervare homines à Morbis omnibus, eſt impoſſibile.

Ergò præſervare homines a Morbis omnibus bonus & ſapiens Medicus ſibi non proponit.

Reſp.] Quid ſi concedam totum? Nec enim Theſis noſtra impetitur, quæ non dicit *ab omibus morbis*, ſed tantùm *à Morbis*. Illud enim utiq; ſanus nemo præſumet quod à mortalium nemine præſtari poteſt. Sed reſpondebo ad præmiſſas ſigillatim.

Majorem infringo exemplo in contrarium. Legem Dei hâc in vita perfectè implere poteſt nemo: & tamen id ſibi proponere debet bonus quiſque. Si non proponit, non eſt bonus.

Opp.] Deus facta æſtimat ex voluntate: in Medico facta ex factis æſtimantur.

Reſp.] Etiam Medici eſt laudanda voluntas, ſi quicquid optimum fieri poſſe ſperat; optet & conetur. Nam ad Aſſumptionem tuam (additamentô tuô liberandam) veniendo: aſſeveranter aſſevero, plurimos morbos, imô pleroſque, ſi non omnes, præveneri poſſe, ſi ſemina Morborum rectè noſcantur, maturèque excludantur. Hoc negare, eſſet Artis fundamenta negare.

Opp.]

Opp.] Mitto hoc. Thesis secunda in Medicinæ contemptum tendit. Si enim Diæta pharmacis præstat, quisque idiota sibi Medicus erit: & tùm ad quid Medici & Pharmacopæi?

Resp.] Ad quid? Ad Valetudinem præsentem conservandam, præmonstratâ Diæta bonâ; amissam verò reparandam, adhibitis Pharmacis bonis. Ecce utrinque locus est! Sed quia *Diæta* blandum quid est, & suave; *Pharmaca* violentum quid, & molestum: præterea Diæta Vitam unô tenore fluere finit, Pharmaca violentiâ suâ semper de naturæ viribus abradunt: tandem quia Diæta ubique haberi potest, non item Medicus & Pharmacopæus: omninò præeligenda sunt suaviora, tutiora, certiora. In Arabia, India, China, temperantissimè homines vivendo ad annum centesimum, ducentesimum, trecentesimum etiam, perveniunt: dum nos apud nos intemperantiâ Morbos nobis accersentes, iterúmque cum admisso in viscera hoste pharmacis confligentes, rarò sexagesimum, sæpè non quinquagesimum aut quadragesimum, attingimus.

Opp.] Video D. Candidatum sua benè defendere posse. Laudo: illúmque exercendi aliis locum relinquo.

Opp.] Ego Theseos VIII, Corollarii quarti, veritatem voco in dubium: *Mollia præcedant.* Sic argumentor contrà. *Omne primum est cæterorum in suo genere fundamentum. At fercula mensæ prima sunt in Ventriculo prima. Ergo cæterorum ingredientium fundamenta.*

Resp.] Quid inde?

Opp.] Pergo. *Fundamentum esse debet firmum & solidum. Primi in Ventriculo cibi sunt fundamentum. Ergò esse debent firmi & solidi.*

Resp.] Peto definitionem Fundamenti.

Opp.

Opp.] Thesaurus Definitionum ita habet: *Fundamentum est rei firmiter stabiliendæ substratum sustentaculum.*

Resp.] Respondisti Tibi Domine, solvisti argumentum tuum.

Opp.] Quomodo?

Resp. Non eandem esse Alimentationis, quæ est Ædificationis, rationem. Non enim cibos Ventriculo indimus, ut ibi perstent, sed ut diffluant, & ex se quàm citissimè sanguinem generent. Quod non potest, si primæ viæ duris obstruantur: potest, si mollia, facilè liquescentia & vaporantia, præcedant; duris, ut lentè quoque se resolvant, & sequantur, à tergò relictis.

Opp.] Solvisti nodum. Acquiesco.

Opponens tertius.] Thesis X. gradus Aquæ potabilis recensetur, ex Gorræo. Non oppugnabo ista: Sed quia sententiam Gorræi D. Candidatus videtur facere suam, peto rationes istius gradationis: & *Cur aqua Pluvia potioni esse saluberrima, Glacialis insaluberrima, credi debeat?*

Respon.] Ut reddi queat ratio, duo supponenda sunt. I. Id in Cibo & Potu, quod nos nutrit, non esse materiam, sed spiritum, seu spirituosum & vitalem materiæ inhærentem vim, quæ spiritum nostrum adventu suo refocillat, transitu verò in ejus substantiam roborat & auget. II. Inclusum illum materiæ spiritum amare calorem, fugere frigus. Quod patet, si hieme acerrimâ vinum in doliis congelascat. Quid enim congelascit? Non spiritus, sed humor tantùm æquæ. Glacie enim per dolii ambitum concrescente, Spiritus ad dolii centrum fugit: unde hausturn vinum fortissimum est, propemodum ut spiritus vini sublimati: glacies verò resoluta nihil nisi purum putum phlegma est, sine sapore, sinéque Virtute omni. Aqua igitur Pluvia, cùm operatione

Solis

Solis deſtillata, ſpirituque Mundi imprægnata ſit, quemadmodum ſata hortorum longè fœcundius rigat, quàm aqua fluviatilis; ita nutricationi noſtræ longè plus vitalitatis confert, atque ulla alia. Et quemadmodum glacies vini omnem amittit ſpiritum vini, mortuúmque relinquit phlegma, ita neceſſe eſt glaciem aqueâ ſuâ ſpirituoſitate exui, nihilque eſſe niſi aquæ cadaver, crudiſſimumque phlegma.

Opp.] Hæc ſi vera ſunt (videntur autem veriſſima) facilè jàm intermediorum ſalubritatis Aquæ graduum pateſcit ratio. [Neque dubitandum relinquitur, peſſimè ſibi noſtros Glaciei potores conſulere, tóque pallorum, morborum, immaturarum mortium, hîc non poſtremam reſidere culpam. Utinam rationabiliùs agamus!

Opponens quartus.) XII. Theſin (*legatur*) ratione oppugnabo, ſic. *Contraria contrariis temperandu ſunt. At qui Calor & Frigus ſunt contraria: Ergò per invicem temperanda.* Et per conſequens, ſicut hieme utimur calidis, ut caleſcamus: ita æſtate frigidis, ut refrigeremur.

Reſp.] Fallit argumentatio: eô quòd Vitæ baſis, æquè hieme ac æſtate, *innatum calidum eſt.* Non ergò contrariis temperati, ſed ſimilibus foveri, æquè hîc ut illic, opus habet. Sed æſtate tantò magis, quantè interior Corporis calor per ambientem aeris fervorem evocatur magis. Ubi quia interiora langueſcunt, ſi calidum affundis, debilitatum calorem retines, roboras, auges: ſi frigidum, diſſipas. Innumera ſunt eorum exempla, qui cùm ingentem æſtum ſubitò refrigerare vellent, ſubitò exſtincti ſunt, aut in morbos inciderunt graves: nullum autem exemplum eſt, calida tum bibenti ſimile quid accidiſſe.

Opp.]

Opp.] Ita est, experientiâ convincimur. Maneat ergò Thesis Tuæ veritas. Tu autem qui Tui tam Ibonum dedisti specimen, exspectabis Amplissimæ Facultatis de Te decretum.

[*Descendet ille de Suggestu.*]

ACTUS III. SCENA II.

Pedellus procurrens, subsistet.

Disputabunt alii duo Doctoralis Corollæ rivales. Juris-consultus & Theologus, quorum propositas ad disputandum Theses ad Academ æ valvas affigere jussus sum. Sed eas primùm percurram : facturus periculum, an ego quoque fortè talia conscribillare, & Doctor fieri queam. Si quis auscultare vult, & mecum discere idem, non invideo.

Juris-consulti Positiones ita se habent.

[NB. Legethas è Charta.]

I. *Juris-prudentiæ finis est, salvam præstare humanam societatem â dissidiis.*

II. *Hæc facultas comparatur per notitiam trinam* Primò *Vinculorum* quibus humana societas continetur. Secundò, *Casuum* quibus labefactatur. Tertiò, *Remediorum*, quibus restituitur.

III. *Vincula sunt JURA triplicia ; Personarum, Rerum, Actionum.*

IV. *Jus Personarum*, est potestas personæ in personam : cujus vi una præest, dicitúrque *sui Juris* ; altera subest, eóque existit *Juris alieni.* Ergò huc

ſpectat *Maritalis* poteſtas, ſuper Uxorem; *Patria*, ſuper Liberos; *Tutoria*, ſuper impuberes pupillos; *Curatoria*, ſuper puberes; poteſtàſque Magiſtratûs, ſuper ſubditos.

V. *Jus Rerum* eſt, quô Perſona quæpiam poteſtatem habet in rem quampiam. Eſtque vel *Dominium*, cum res tenetur à *Proprietario*: vel *Poſſeſſio*, cùm tenetur ab *Uſufructuario*: vel *Servitus*, cùm eſt in manu Miniſtratoris.

VI. *Jus Actionum* eſt, factum quoddam illum obligans qui illud admiſit: ſive ſit *Conventio*, ſeu Pactum, ſive *Delictum*.

VII. *Conventio* eſt, quô duo (vel plures) conſentiunt in aliquid dandum vel fugiendum, & ſe obligant ad præſtandum. Summa enim pactorum ad hæc redit: *Do ut des*: *Facio ut facias*. Vel, *Do ut facias*: *Facio ut des*. Qualia aut ponuntur expreſſè, aut intelliguntur, in omni Pollicitatione, Stipulatione, omnique Contractu.

VIII. *Delictum* eſt, quô admiſsô oritur jus pœnæ inferendæ.

IX. *Caſus*, à quibus humanæ ſocietatis labefactio venit ſunt, aut *Invaſio* juris alieni, aut *Deſertio* proprii; aut *Violatio* contractuum. Ex hoc enim trino caſu omnium litium origo.

X. *Remedium* eſt, ut reſtituatur unum quodque in locum ſuum, ſecundùm præſcriptum Juris: ſive *Jus Naturæ* intelligatur, ſive *Jus Gentium*, ſive *Jus Municipale*, à propriis ſtatutis cujuſque loci collectum.

XI. Ergò ſi quando inter ſe aliqui de Juris ſuo, aut ejus ſenſu, controverſantur, itur ad Juris-conſultum, aut ad Collegium Juris-conſultorum in Academia, qui dubietatem explanent legali reſponſo.

XII. *Juris-conſultus igitur cùm Legum tantùm interpres ſit, ſine Lege loqui erubeſcat.*

[Tùm

[Tùm Pedellus oculos elevans, & capite nutans dicet.]

Sublimia hæc sunt, nescio an omnia intelligam: [Et *mox projectâ manu,*] Mittam illas de Doctoratu cogitationes. Videbo jam quid meus Theologus habeat.

[Leget denuò]

I. *Theologia* est DOCTRINA de DEO, rebúsque divinis,

II. Fundatur tota super factas divinitùs Revelationes Scripturis S. comprehensas: quarum ignorare nihil, sensum omnium tenere Catholicè, possèque in hæreticum sensum detorta vindicare orthodoxè, Theologica perfectio est.

III. *Theologia Positiva* optima est, quæ in dilucidatione Scripturarum per scripturas consistit.

IV. *Catechetica* utilissima est, quæ Effatorum DEI ad captum simplicium accommodationem habet.

V, *Didactica* pulcherrima est, quæ in reductione singulorum ad Corpus Doctrinæ occupatur.

VI. *Polemica*, quæ resolutionem habet Scripturarum in Quæstiones de quibus dimicetur, propter adversariorum importunitatem colitur.

VII, *Prophetica*, quæ proferendi populo verba Dei divinè modum docet, divina est.

VIII. *Casualis*, quæ Casus Conscientiæ, seu scrupulos, solvere instituit, maximi usûs est.

IX. *Cabalistica*, quæ mysticos sensus è quibusvis Scripturæ apicibus eruere captat, multum habet aut vani, aut suspecti.

(*Finitâ lectione dicet* :) Hæc qualia sint, patebit cùm ventilabuntur publicè. Ego mandata exsequar: Ista Valvis affigam.

Affixione peractâ ingredietur: móxque regressus Cathedram sternet tapetibus, seu exsultabundus nuntians, *Promotionem Baccalaureorum, Magistrorum, Doctorúmque futuram solemnem, in facie totius Reipub. Academiæ.*

[*Hæc sciat rectè, gestu & sonó decoró.*]

ACTUS III. SCENA III.

Promotio Philosophorum.

[Ingredientur solemniter *Cancellarius, Rector, Professores, Studiosorumque turba*, dispositique sedilibus consident. Tum è Professorum numero exsurgens unus, *Philosophus*, conscendet Cathedram, & sic effabitur.]

Inclyta Sapientum Virorum & Juvenum Corona! Ad non quotidiana confluxistis hodie spectacula? Academiam ad Academicos honores quorundam è medio Vestri, qui in Academicis studiis laudabiles fecerunt progressus promotionem spectatum. Nihil novum inceptamus? Sed sapientissimorum Majorum reverenter prosequimur instituta, quibus in Academia Baccalaureos, Magistros, Doctoresque, subinde creari visum, tres ob causas. *Primo*, ut vere industrii de perfuncto strenue Studiorum cursu condigna acciperent honorum præmia. *Secundo*, alii Studiosi inde haberent alacritatis stimulos. *Tandem*, ut solemni hac Academiarum testificatione Reipublicæ caveretur.

Cum igitur ex decreto Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, & Medicæ, in quosdam bene meritos [illegible]

nores conferendi sint hâc die, ut id authoritate non aliâ quàm publicâ liceat, Te, illustris & Nobilissime D. Cancellarie, cujus honorata præsentia summam nobis Majestatem, quâ Academiarum honor & libertates stant & conservantur, repræsentat, dignis modis oramus, ut quod agitur publicâ authoritate agi permittas, jubeas, mandes.

Cancel.) Cedat Reipubl. saluti, Academiæ verò honori, quòd hinc tanquam ex Equo Trojano subinde prodeant viri publicè utiles, Patriæ futuri lumina & columina. Quòd ergò nunc etiam reperiantur, inter quos post feliciter superata cum ignorantiæ & barbariei monstris prælia, brabea, tanquam victoriæ præmium distribuenda sunt, gratum ratúmque habeo: illudque authoritate supremæ Majestatis Regiæ fieri volo, jubeo, mando.

Philosoph. Promot.] Quod igitur felix faustúmque sit, vos egregiæ indolis Juvenes, qui post lustrata Philosophiæ vireta studiis liberalibus animum ex toto addixistis, adeóque præliandi pro Veritate initia jam cum laude fecistis, prodite ordine quô Vestra renunciabuntur Nomina.

[*Quæ alter Philosophus ex Catalogo leget.*]

1. *PETRUS MUSÆUS.* 2. *JOHANNES PHILOMATHES.* 3. *HENRIC. ATTENTIUS.* 4 *GREGORIUS SEDULIUS.* 5. *MARTIN. SPUDÆUS.* 6. *SIXTUS LABOREUS.* [Prodibunt, & ante Cathedram consistent; adquos *Promotor*] Ecce dignum virtute Vestrâ theatrum! ecce in Vos omnium conjecti oculi! Gaudetisne diligentiam Vestram sic in speculo poni? Tacetis? erubescitis? Color hic Virtutis est. Jam ex vobis quæro (1.) Promittitisne nihil de diligentia remissuros?

Bacc.) Promittimus.

(2.) Studiorum palæstram, Academiam, ante absolutæ studia non deserturos?

Bacc. Promittimus.

(3.) Et literarum studia Morum honestate ornaturos?

Bacc. Promittimus.

Prom.) Ego igitur Vos iterum primò Academici honoris gradu orno, *Vosque Philosophiæ Baccalaureos* salutos pronuncio, & ab omnibus agnosci, haberi, salutari, mando. Atque libertatis insigne, Bacillum album (quem honoris causâ gestabitis) Vestrum singulis dono. Abite, & obligationis memores Studiorum stadium strenuè decurrite.

[*Honore exhibito ad sua loca redibunt.*]

Prom.) Jam prodite Vos qui salebras superastis, scientiarúmque & Artium attigistis culmina; digni quorum Virtus præconia audiat sua.

[Alter Philosophus nomina leget:]

1. *Stephanus Polymathes.*
2. *Andreas Epistemon.*
3. *Tobias Pantechnus.*

Prom.) Virtuti deberi præmium, & ipsa lex æquitatis dictat, & agnoscit omnis humana ratio. Vos igitur, strenui Musarum Athletæ, qui Vos præ cæteris adeò exercuistis, ut jam de omni scibili Philosophico disputare posse certis experimentis ostenderitis, accipite Virtutis Vestræ præmium, *Philosophi* titulum! Ego enim Vos tanta hoc in Theatro *Philosophiæ Magistros & Doctores* creo & pronuncio! potestatem Vobis dans Philosophiam publicè in Academiis, & ubicunque docendi.

Quam

Quam in Vos collatam potestatem admissione ad hanc Philosophicam Cathedram primùm confirmo. Conscendite! [*Conscendent ad illum: ad quos, à latere sibi jam constitutos, porro dicet:*] Salvete, Collegæ jam dilecti, Philosophiam posthac de publica Cathedra docturi! Sed Philosophiam veram, non opinionum deliria. En singulis Vestrûm dono aureum Annulum! [*Distribuet*] sine triplici. *Primùm*, ut quemadmodum annulus in seipsum redit: ita Vos totum Scientiarum ambitum. Encyclopædiam Vobis habeatis commendatam. *Secundò*, ut sicuti Annuli hi purum aurum sunt, ita Vos purum Veritatis aurum, sine errorum scoriis, doceatis. *Tertiò*, non unum Vobis dedi sed trinum: ut quisque proprium habens pro se, libertatis Philosophicæ memor, in nullius verba Magistri juret, nihil præter Veritatem; & quærat, & sequatur, & defendat. Promittitisne hæc facturi fideliter?

Promoti) Promittimus.

Promotor) Firmate promissum dexteras jungentes Vestras meæ. [*Jungent.*]

Tum denuò Promotor.) Ite jam, & Philosophiam docete. At non magis verbis quàm factis! Nempe ut omnia dicta & facta Vestra Vos rectè res intelligere, eôque docere posse, adeôque docere, etiam cum tacetis, ostendant. Sic demum harmonici futuri, si cogitata, dicta, facta vestra, ad virtutis chordam consonent.

[*Insonabit Musica: illique omnes discedant.*]

Bacc.) Promittimus.

(2.) Studiorum palæstram, Academiam, ante absolutè studia non deserturos?

Bacc. Promittimus.

(3.) Et literarum studia Morum honestate ornaturos?

Bacc. Promittimus.

Prom.) Ego igitur Vos iterum primò Academici honoris gradu orno, *Vosque Philosophiæ Baccalaureos* salutos pronuntio, & ab omnibus agnosci, haberi, salutari, mando. Atque liberatis insigne, Bacillum album (quem honoris causâ gestabitis) Vestrum singulis dono. Abite, & obligationis memores Studiorum studium strenuè decurrite.

[*Honore exhibito ad sua loca redibunt.*]

Prom.) Jam prodite Vos qui salebras superastis, scientiarúmque & Artium attigistis culmina: digni quorum Virtus præconia audiat sua.

[Alter Philosophus nomina leget:]

1. *Stephanus Polymathes.*
2. *Andreas Epistemon.*
3. *Tobias Pantechnus.*

Prom.) Virtuti deberi præmium, & ipsa lex æquitatis dictat, & agnoscit omnis humana ratio. Vos igitur, strenui Musarum Athletæ, qui Vos præ cæteris adeò exercuistis, ut jam de omnicibili Philosophico disputare posse certis experimentis ostenderitis, accipite Virtutis Vestræ præmium, *Philosophi* titulum! Ego enim Vos tanta hoc in Theatro *Philosophiæ Magistros & Doctores* creo & pronuncio! potestatem Vobis dans Philosophiam publicè in Academiis, & ubicunque docendi

Quam

Quam in Vos collatam potestatem admissione ad hanc Philosophicam Cathedram primùm confirmo. Conscendite! [*Conscendent ad illum: ad quos, à latere sibi jam constitutos, porro dicet:*] Salvete, Collegæ jam dilecti, Philosophiam posthac de publica Cathedra docturi! Sed Philosophiam veram, non opinionum deliria. En singulis Vestrûm dono aureum Annulum! [*Distribuet*] sine triplici. *Primùm*, ut quemadmodum annulus in seipsum redit: ita Vos totum Scientiarum ambitum. Encyclopædiam Vobis habeatis commendatam. *Secundò*, ut sicuti Annuli hi purum aurum sunt, ita Vos purum Veritatis aurum, sine errorum scoriis, doceatis. *Tertiò*, non unum Vobis dedi sed trinum: ut quisque proprium habens pro se, libertatis Philosophicæ memor, in nullius verba Magistri juret, nihil præter Veritatem; & quærat, & sequatur, & defendat. Promittitisne hæc facturi fideliter?

Promoti) Promittimus.

Promoto) Firmate promissum dexteras jungentes Vestras meæ. [*Jungent.*]

Tum denuò Promotor.) Ite jam, & Philosophiam docete. At non magis verbis quàm factis! Nempe ut omnia dicta & facta Vestra Vos rectè res intelligere, eôque docere posse, adeôque docere, etiam cum tacetis, ostendant. Sic demum harmonici futuri, si cogitata, dicta, facta vestra, ad virtutis chordam consonent.

[*Insonabit Musica: illique omnes discedant.*]

ACTUS III. SCENA IV.

Promotio Medici.

Promot.] Industrius Juvenis, Asclepius Machaon Academiæ nostræ per multos annos alumnus, tantum in Philosophiæ naturalis artisque Medicæ cognitione profecit, ut non tantùm privatis in Collegiis utiliter studiosos informando, sed ut nuper de Diæta publicè disputando, egregium Sapientiæ Medicinalis dederit specimen. Quare illi meritis suò ab Amplissima Medica Facultate honores in medicina summi decreti sunt, hâc horâ in illum (Vobis testibus, qui Eruditionis ejus estis testes) conferendi. Tu proinde, egregie Vir, assurge, & Te huic præsenta.

[*Sistet se ante Cathedram.*]

Prom.] Medicinam faciendi Licentiam, authoritate duplici stabilitam, conferri Tibi petisne?

Promovendus.] Peto.

Prom.] Concedi ea Tibi aliâ conditione non potest, nisi ut Tuam obstringas, & nostram liberes, Conscientiam; Te concessâ hâc licentia nusquam abusurum suscipisne hanc conditionem?

Promov.] Suscipio.

Prom.] En, lege obligationis formulam! quæ Tibi juramenti erit loco.

Promov.] Scientiâ meâ Medicâ ad nihil nisi Creatoris laudem, & hominum commoda utar.

II, A

II. Ad nocendum cuiquam Hominum, amicò vel inimico, non abutar.

III. Vitam & Valetudinem omnium mihi se committentium, ſancta fide commendatam habebo.

IV. Venena nemini propinabo.

V. Profeſſionem meam nullâ morum ſpurcitie dedecorabo.

VI. In cæteris etiam omnibus me, ut Dei & Naturæ miniſtrum decet, geram. *Ita me juvet Deus!*

Prom.] Dei & hominum reportabis gratiam, ſi hæc ſervaveris. Sed veniamus ad conſuetos & ſolemnes ritus, quibus Tibi honor tuus publicè confirmetur.

[*Tum extensâ ad illum manu, dicet:*]

I. Conſcende Cathedram Medicam; Tuam Tibi functionem & authoritatem deſignantem.

II. En, trado tibi *Librum hunc (apertum)* ut Authores bonos, experientiâ celebres, perpetuò Tibi evolvendos eſſe memineris.

III. Trado *eundem clauſum*, ut etiam tandem ſint Libris ſapere, conſiliumque ex Teipſo *(præſertim in caſu ſubitaneo, quales Medicis obveniunt)* depromere ſcias.

IV. *Pileus* hic Tibi libertatis teſſera erit (*Imponit illum.*)

V. Et *Annulus* hic honoris: quem Tibi exhibebunt, ſi benè curabis, parvi & magni, juxta illud Sapientis; *Honora Medicum propter neceſſitatem.*

VI. Et *Oſculum* amoris Tibi do [*Oſculabitur*]: ut non rixas & odia exerceas, ſed concordiam colas cum omnibus Artis profeſſoribus.

VII. Addo votum: ut te Deus proſperet, felicémque Sanitatis cuſtodem, Morborum profligatorem, faciat.

Promot.]

Poëmat.] Honoratiſſimo Dominorum Medicorum Collegio, & inclyto Academiæ Senatui, omnibus denique Academiæ Civibus, pro omni exhibito mihi amore, favore, benevolentia, quas debeo ago gratias.

[*Exibúntque Academici omnes.*]

ACTUS IV. SCENA I.

[Studioſi duo, *Initiatus & Academicus*, prodibunt, & in ſcena obambulantes, liberè (quaſi nec Regem nec alios viderent) inter ſe colloquentur.]

Initiatus.] Quòd te, amice, ad prodeambulandum invitaverim, cauſa eſt deſiderium quædam ex te diſcendi meum. Meminiſtin', ab ineunte ætate inter nos fuiſſe notitiam: ſed tu me ut annis & eruditione, ita experientiâ literariâ antecedis: quippe qui ex Academia reverſus es, quò ego demùm cogito. Quod facit ut conſilium in quibuſdam Tuum requirere audeam.

Acad.] Fac ſciam quid velis. Dum ſoli ſumus, conſidenter inter nos agere poſſumus.

Init.] Primùm oro, informa me ſuper eò: *Num aliquis comparatò ſibi Trivialis in Schola Linguæ Latinæ uſu, privatâ item Authorum bonorum lectione evadere queat vir doctus?*

Acad.] Equidem id in quibusdam *Autodidactis* non improbiere ceſſiſſe ſcio; ordinariè tamen plus præſtat ſocium cum eruditis converſatio, quàm ſolitaria illa maceratio.

Init.

Init.] Cur macerationem vocas? etiam ſuavitates inſunt.

Acad.] Sane, quia etiam lectioni Librorum vacans converſationem habet, ſed cum abſentaneis, nos per ſua ſcripta alloquentibus: plus tamen omninò viva vox eruditi amici poteſt: quia ut cos cotem acuit atritu, ita vir virum.

Init.] Dic, tamen, ſi omnino privatim ſtudere velim, ut id cum uſu fiat, quid mihi opus erit?

Acad.] Si Autorum bonorum ſuggeſtionibus egregiè vis imbui, hæc obſervato. I. Vide ut Muſæum habeas in ſolitudine, à turba remotum, ne quid interturbet. II. Tum ne admittas Autores promiſcuos, ſed ſelectos. III. Eóſque mundè tracta, lituris ne macula; niſi fortè notabiliora ſubnotando, reminiſcendam velis ſublevare. [In tranſcurſu monebo, Antiquos fuiſſe ſolitos probanda notare *aſteriſcis* *, improbanda *obeliſcis* ÷] IV. Quartò memineris accommodatiſſimas ſtudiis horas eſſe matutinas: adeoque hiemali tempore ante-lucanas. Ubi ceteus ſervit præ ſebacea: (tædæ a lucubrationibus inſigniter officiunt, quia fumigant.) Candelabrum ſit elevatum; Umbraculum viride, Emunctorium præſtò, ad ellychnium identidem emungendum: ſed fungum mox opprime, ne fæteat.

Init.] Hæc externa ſunt: ego de interiori diligentiæ regimine quæro.

Acad.] Jam dicturus eram. Quicquid legis (ſive ordinariis horis, ſive ſuccisivis) *ter legito*. Primum, ut intelligas. Deinde, ut ſeligas, & enotes. *Demum* ut ſelecta memoriæ imprimas.

Init.] Quid hoc eſt, *Seligere* & Enotare?

Acad.] Eſt utiliora excerpere, ſeu exſignare, h. e. exſcribere: non in rejectaneas ſchedas, ſed in *Diarium* (etiam *Diurnale* vocant) ſeu Adverſaria: indéque in

Locos

Locos communes ; ut quicquid unquam didiciſti, omnem in uſum depromere queas, quâcunque invitante occaſione. Verum enimverò ſi progreſſiones cupis majores, quære Tibi ſtudiorum ſocium cui lecta & excerpta communices: ſive ille ſit te intelligentior, qui non intellecta tibi enucleare poſſit : ſive à te demum diſcat. Tu enim docendo alium erudies teipſum : nunquam proindè cum ejuſmodi ſodali verſari pigratoa. Sed & hoc monendum. Ubiubi es, *Pugillares* tecum habe (*aut certè plumbuginem cum chartula*, ut quicquid fortè incidet (*referendum pòſt in Diarium, aut inquirendum in Authoribus*) ne rurſum excidat.

Init.] Quid de *Peregrinatione* literarum causâ ſuſceptâ ſentis?

Acad.] Eſt res plena utilitatis & voluptatis, ſi rectâ ratione inſtituatur (*tametſi peregrinaturum neceſſe ſit habere duos faccos ; patientiæ unum,) pecuniæ alterum,* ut aiunt.) Nam ſi adieris Academias, poteris tùm publicè audire profitentes Viros doctos, & diſputantes de Controverſiis, diſſerentéſque de quibuſlibet ; tùm privatim contari quidvis modeſtè (inſinuando te in eorum familiaritatem honeſtè) & ſic proficere in dies. Nec ibi deerit gnavum ſodalitium : ubi partitis inter Vos Authoribus, quod quiſque legiſſet ſeorſim, totum id fieri poterit commune per collationem : quotieſque ibi videbis diligentiæ præmia diſtribui (*Baccalaureatûs, Magiſteria, Doctoratus*) toties te inſtigari ſenties ad Virtutem.

Init.] Utinam emergendi occaſionibus non obſtaret res anguſta domi! Utinam Deus excitet Patronum aliquem, qui peregrinationi ſuppeditet ſumptum!

Acad.] Si te pulchrè geſſeris, ne dubita. Sed audi quod reddam. Venuſtulum eſt abſentium

quoque

quoque ſapientiâ ſcire uti ad tuos profectus.

Init.] Quâ id ratione?

Acad.] Per literas ad Eruditum aliquem utrò citroque ſcriptas, & quæſtiones quaſcunque pulchrè agitatas.

Init.] Anne ſtyli exercendi cauſâ?

Acad.] Non hoc tantùm, exercendi judicii, locupletandæque Eruditionis cauſâ.

Init.] Loquemur ea de re aliâs: nunc prandii tempus inſtat, regrediamur.

ACTUS IV. SCENA II.

Rex.] Ecſtaticos crediderim iſtos deambulatores adeò præter ſe neminem intuiti, nec rerum quidquam præter ſuas imaginationes ſenſiſſe, videntur.

Socr.] Solet id Philoſophis accidere, ut ſpeculationibus abſtractis immerſi nihil circa ſe videant, olfaciant, vix uſtionem aliquando ſentiant.

Rex.] Iráne à ſeipſo abire quis poteſt? Evadunt ergò hi profundos in Philoſophos! Nos autem quid agimus? Equidem cenſurâ eſſe nonnullas Academicorum actiones dignas, animadverto: Sed cauſæ nimis ſunt cur nifferam. Benè illis interim ut ſit, opto!

Plato.] Privatorum eſt optare: Principum, & qui cum poteſtate præſunt, providere. Ut ergò Scholis & Academiis, Reíque privatæ & publicæ ubique per tuum Regnum benè ſit, à Te, poſt Deum, exſpectatur, ſereniſſime Rex. Noſque publicam rerum ſalutem, ut & nos ipſos Tibi commendamus.

[*Omnes*

[*Omnes assurgent & se incurvabunt.*]

Rex.) Voluntas mihi nusquam deerit: sed ut homines sumus, non omnia semper quid ex usu sit animadvertere licet. Uni præsertim soli: *plus vident oculi quàm oculus.* Vos proinde quos mihi ad secretiora elegi consilia, quicquid usquam ex usu fore videritis, monete. Consiliis bonis semper erit locus.

[*Surget, & omnes, excibúntque Musicâ resonante.*]

Epilogus.

Epilogus.

Eximii ſpectatores; Jámne ſatiati ſunt Ludis noſtris oculi Veſtri? Jámne aures? Metuo ne etiam laſſatæ ſint. Ignoſcite! Rerum prolixitas fecit nos prolixiores: Speramus tamen non vanos etiam aut futiles. Cæterùm, cùm Judicia Veſtra ſcire noſtrâ interſit, (*Excitat enim Auditor ſtudium, laudatáque Virtus creſcit*) exquirere auſimus, Actio hæc noſtra quid placeat?; Quid Sermones? Nos proficere nos in melius ſentimus DEI gratiâ, eôque nobis non diſplicemus, cur diſpliceamus Vobis? Paulò ante fuimus muti, & ecce jam loquimur! Fuimus timidi, & ecce Theatra jam ſuſtinemus! *At Luditis*, inquiet aliquis. Ludimus ſanè: ſed Ludos tales, per quos rebus ſeriis, & magnis, applicare nos conſueſcimus. *Favete* igitur! Atque ſi meremur, Laudate. *Ingratus Labor eſt, quem præmia nulla ſequuntur*, ajunt. At nos laudis etiam præmiolo erimus contenti. Si ne hanc quidem meremur, etiam vituperium tempeſtivum calcaris habet vim. *Valete*, Studiorum Patroni! Atque ita *Valete*, ut Nobis, & Scholæ, diu præſitis, & proſitis!

VALETE.

JA-

Epilogus.

JANUÆ

LINGUARUM

PRAXIS COMICÆ

PARS VI.

Vitam Hominum Moralem ad vivum repræsentans.

PROV. 1. v. 2.

Ad intelligendum verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, juſtitiam & judicium: ut detur Adoleſcenti ſcientia & intellectus.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Amphithus.
3 Licentiosus.
4 Curiosus.
5 Ambitiosus.
6 Opulentus.
7 Voluptuosus.
8 Philosophus Moralis.
9 Prudentiæ Professor.
10 Discipulus primus.
11 Discipulus secundus.
12 Discipulus tertius.
13 Sedulitatis Professor.
14 Rusticus Corydon.
15 Discipulus primus.
16 Discipulus secundus.
17 Discipulus tertius.
18 Temperantiæ Profes.
19 Helluones duo.
20 Avarus.
21 Studiosus avarum exag tans.
22 Ambitiosus.
23 Ardelio.
24 Curiosus.
25 Fortitudinis Profess.
26 Studiosus primus.
27 Studiosus secundus.
28 Humanitatis Profess.
29 Justitiæ Professor.
30 Benignitatis Professor.
31 Pietatis Professor.
32 Perfectionis Professor.
33 Epilogus.

PROLO

PROLOGUS.

Generoſi & Reverendi Domini Scholarcha, totâque Illuſtri Spectatorum Corona.

CONſpectus Veſter gratiſſimus eſt nobis, Literariæ Veſtræ turbæ, qui ſub Dei & Celſiſſimæ Principis umbra, in hoc Parnaſſo Veſtro, cum Muſis & Gratiis deliciamur: Quid autem veniſtis denuò ſpectatum? Noſtroſne in ſtudiis hoc iterum menſe progreſſus? Hanc eſſe Veſtram mentem agnoſcimus, meritoque Voluntati Veſtræ paremus, & coram Vobis comparemus, ſeu examinandi ſigillatim, ſeu ſpectandi conglobatim, ludentes iterum eruditum aliquem Ludum in conſpectu Veſtro. Ecquid autem hoc erit? Summam hodierni Actûs exponere Vobis hoc præloquio mihi eſt injunctum: ut, quid futurum ſit præſcii, oculatiores adſitis.

Rex Ptolomæus hodie non prodibit: Nullam hodie videbitis pompam, ſed videbitis rem ſeriam, ſi unquam. Prodibit Adoleſcens eâ conſtitutus ætate, quæ aliquo rerum in mundo guſtu accepto, ad boni vel mali optionem aſpirare ſolet; ſed ambiguo, quemadmodum imperitis accidit, conſilio. Huic obviabit turba profani ſodalitii, Voluptates illi, & Vitæ licentiam, commendantis. Sed interveniens Philoſophus moralis, Vir gravis & honeſtus, increpabit iſtos, hunc autem melius informare incipiet: deducens eum inde per omnia Virtutum & Vitiorum Theatra: eo effectu, ut Adoleſcens concepto Vitiorum odio, Virtutum viam ſibi calcandam electurus ſit.

Habetis Ludi ſummam. Præmoneo autem: Ne quiſquam ſpectaculo huic tanquam alieno negotio intereſſe velit. Mutato nomine de Te Fabula narratur, & narrabitur. Suum ante ſe quiſque Veſtrûm hodie habebit ſpeculum: in quo, qualis eſſe debeat, aut non debeat; & numtalis ſit, aut non ſit, videre poterit. Ubi ſi ſe vitioſum,

sum, ignavum, temerarium, lascivum, avarum, ambitiosum, injustum, aut aliquid his simile, videbit: emendandi sui, fœditatemque Vitii sui in oppositæ Virtutis speciosum decus commutandi, habebit occasionem. Adeste animis, qui adestis corporibus!

ACTUS I. SCENA I.

Amphiéithus adolescens. (Αμφίηθος, *id est, ad utrosque Mores, bonos & malos, adhuc indifferens.*)

[*Prodibit, lentè obambulabit, subsistet identidem, jam humi oculos figens, jam ad cœlum elevans, veluti profundè meditabundus. Tandem voce & gestibus ad rem accomodatis:*]

Quid agam? Quid non agam? Quo me vertam in hoc bivio, imò multivio, constitutus? Exii è potestate Pædagogorum: mei factus sum juris: regendi mei arbitrium me penes est. Sed hujus phantasiæ Navi [*ostendet manu capitis cranium*] gubernandæ, & ad aliquem Felicitatis portum dirigendæ sufficiámne? Vix: non fido mihi, homullulo nullâ experientiâ instructo. Quærendus mihi erit alius viarum dux, quo indice ad ea cuncta, quæ Homini accessa sunt, penetrate queam. Nihil enim angustum est, quod mihi propono. Totius Humanæ sublimitatis (de qua in Scholis toties commonitus sum, nos esse ad divinæ Majestatis imaginem factos) particeps esse volo: non autem jacere humi, ut sordida illa plebs, quæ homines se esse obliviscuntur, & pecuinam agunt vitam. *Multum scire, multum posse, multum eminere, multa possidere, multisque frui, sub Dei favore, desiderum mihi est: quia me, Naturæ meæ, quæ humana est, divinæ proxima, istuc incitant stimuli.* Sed quis hominum, in ea multitudine & diversitate, mihi eligendus erit, cujus conciliis me regendum committam? aut cujus vitam, mores, studia, imitando, ejus quoque Felicitatem assequar? Neminem video. Sed ibo, circumspectabo,

cumspectabo, quætam, donec inveniam tuo sub conductu, ò Numen! Tu mihi propitium, me in Errorum labyrinthos incidere non permittes. Tu Felicitatis hortos me invenire facies!

[*Incipiet ire: & mox oculis sublatis, chorum appropinquantem videbit, consistétque*]

ATTUS I. SCENA II.

[*Sodalitium mundanum: Licentiosus, Curiosus, Ambitiosus, Opulentus, Voluptuosus: omnes benè comti, splendide vestiti, frondibus (si haberi possint) coronati, manibúsque se invicem tenentes, & in exultantium morem incedentes.*]

Amphiethus) Quos ego in occursum mihi venientes habeo? Adibo, alloquar. Salvete viri eximi, quibuscunque titulis vestris honorandi.

Licent.) Salve & tu florentissime Juvenis. Eja, unde nobis, & quo?

Amph.) E domo paterna exii, Mundum petagraturus, & quicquid in eo pulchrum, suave, amœnum, circumspectaturus. Sum enim benè natus, & in re laura, & freni jugíque impatiens, Scientiæ tamen avidus, & Famæ studiosus, & Elegantiarum cupidus, & corpore agilis, & Ingenio curiosus, & exerciatione indefessus. Quæ Naturæ munia interire mihi nolim, surgere potiùs in altum, sempérque in majus. Sed dux mihi fidus ante omnia opus est, qui me ad desideriorum meorum metam promoveat.

Curiosus) Felicem ergò te qui in nos incidisti, fidos tibi ad hæc tua desideria consiliarios, duces, comitésque futuros.

Amphiet.) Quinam vos estis?

Amb.t.) Non agnoscis nos? quæ tua hæc simplicitas? Nonne ipse vultus noster qui simus indicare tibi potest? Tuere nos acriter,

Amphiethus

Amphiethus faciet, perque singulorum vultus oculos circumferens, tandem) Nullus Vestrum fronti inscriptum video nomen.

Ambit.) Sed sortem nostram tot significationibus sese prodentem, non vides? quam, quod Tu quærere Tibi proposuisti, nos jam possideamus, non attendis? Fortunæ in nobis munera, & vitæ felicitatem, non observas?

Amph.) Non observo. Facite ut videam.

Opulentus, lævâ Torquem à collo pendentem ostentans, dextrâ verò marsupium quassans, & nummis concrepans. En aureæ Felicitatis tesseram!

Voluptuosus, craterem depromens) En quotidianæ suavitatis hederam!

Licentiosus) Freni jugique te impatientem dixisti. Adolescens; veni ergò! Ego te licentiam vitæ docebo.

Curiosus.) Ingenio te dixisti curiosum; Veni! Ego Tibi curiositatis artes docebo.

Opulentus.) Ego artem diteſcendi, & multa possidendo ostendam.

Volupt.) Ego artes cuticulam curandi, genioque suo viter indulgendi, monstrabo.

Amphiethus circumspectans tacitè per omnes.) Quid hic? Somnianti an vigilanti mihi hæc eveniunt! Atque si vigilanti, quis vos mihi tales consiliarios obtulit? Et consilia vestra jocúsne an res seria sunt?

Licen.) Quid tibi suspicari venit in mentem? seriò agimus.

Amphi.) Cur igitur nemo Vestrûm DEI, aut *Virtutis* facit mentionem?

Curios.) Hem te intempestivè religiosum! At qui in Mundum prodiisse dixisti, hic quicquid pulchrum, suave, amœnum venaturus: cur non perstas in proposito? Quæso te, ne nimis citò tam altum sapere occipias. *Qui sapit ante pilos, haud sapit ille diu.*

Opul.) Nondum tu in schola versiculum hunc, mundanæ prudentiæ medullam continentem, didicisti? *O Cives, Cives, quærenda pecunia primum est, Virtus post Nummos.*

Post

Volnp.) Et Canonem illum, *Priora agenda sunt prius*, non assecutus es? non praxi exerces? Nunc ecce vivimus! Vivamus ergo! deliciisque nostris fruamur, dum Tetra finit.

Licent.) Tunc homuncio ipse compedes, quas tibi impingas ipsi, quæris? Nam quid est phantasticum illud, quod Virtutem vocant, aut honestatem, nisi constrictum esse & ligatum? ut te mente, oculis, linguâ, manibus, pedibus etiam, movere non audeas, nisi quantum, & quomodo, lege permittunt. Delirii species, juvenem ad cæteres festinare, non verò solutâ agendi libertate gaudere.

Amph. caput quassans.) Talibus audiendis non assuetæ fuut aures meæ. Nihil simile Parentes, nihil in Schola Præceptores docuêre.

Ambit.) Semperne sub ferula esse? semper alieno arbitrio agi, volupe tibi erit? Hem semper puerum! imo infantem!

ACTUS I. SCENA III.

Philosophus Moralis.

Salvêre viri boni. Quid Vobis cum adolescente istoc negotii est?

Curios.) Casu convenimus, sermonemque cum illo miscuimus, de re cujus ipse dedit ansam. Dictitabat enim sibi scientiæ, opum, honorum, verbo felicitatis, adesse desiderium, exisseque ut sibi eo ducem quæreret. Sed dum illi ductum & consilia offerimus, aspernatur.

Amphiet.) Domine, ostendunt mihi felicitatem, ad quam fine DEO & VIRTUTE veniatur: quam esse posse veram felicitatem ego non credo, eoque illos mihi duces eligere trepido.

Philos.) Quâ id ratione?

Amph.) Promittunt mihi Opes, honores, voluptates,

si me sibi associare vellem. Rogavi, an cum DEO & Virtute aliâ simus quæsituri? Et irriserunt me, tanquam religiosulum, tanquam præmaturè sapientulum, tanquam alieno potiùs quàm meo arbitrio vivere cupidum, & mihi libertatis loco vincula & compedes quærentem.

Philo.) Virilem geris puerili in pectore animum, mi adolescens. DEUS te fortunet! DEUS tibi det cordis tui desideria! Et dabit, confide qui sic DEO & VIRTUTI te junxisti, ut quicquid sine his offertur suspectum sit, sordeat. Rectè ne concepi animum tuum?

Amphiet.) Rectè, Domine: Mori malim, quam vivere sine DEO, vel contra DEUM: sine Virtute, aut contra Virtutem.

Philosophus mundanis obversus.) Vos ergò profana turba, quibus collubuit, posthabito DEO & VIRTUTE, Gulæ, Ventri, Metallo, Phantasiæ, &. Vanitatibus cæteris, mancipare studia, innocentem hanc animulam turbare desistite.

Curio.) Nos turbare desistemus, tu incipies: & plus fortasse quàm nos turbabis. Nos reddere voluimus liberum, hilarem, benè peculiatum; verbo, hominem elegantem, hominumque delicium. Tu verò illum redde severum, tristem, mendicum, morosum. Nam quales Vos Philosophi estis ipsi, tales reddere quæritis alios.

Philos.) Quid sus supra furfures, aut oleta, intelligat?

Volupt.) Dolendum, Juvenculum hunc ipso ætatis flore, cùm primum suavitates vitæ gustandæ illi essent, a tetrica duci.

Philo.) Melius scilicet esset exemplo vestro, Floren juventuris offerre Diabolo, senectutis fæces servare DEO. Abite vos Epicuri de grege porci, qui in malo inveteratis, & ad malum indu ruistis, ut Vobis in rectum reducendis nihil sit spei. Abite inquam in voluptates vestras: Virtutis hunc alumnulum, ab inquinamentis vestris liberatum, aliter DEO formari necesse est. Tu adolescens, visne Te ductui permittere meo? Ego Te *Nosse teipsum*, & *Moderari teipsum*, & *Frui teipso*, ita docebo,

ut ſit unde exultes, Deúmque laudes. Placéne meæ fidere Virtuti, quòd te non circumducere, ſicut iſti, ſed ad ſcopum deſiderii tui rectâ ducere: nec tibi bracteatâ fœlicitate illudere, ſed veræ beatitudinis fontes ante te recludere, ſolidiſque te gaudiis implere, proponam?

Amphi.) Video Te mihi benè velle, mi Pater: Mihique Te divinitùs dari ducem, credo: Tuæ proinde fidei me totum trado! Duc me quovis, & quâ vis, ſequacem habebis; dummodò me rectè duci videre potero.

Philo.) Videbis. Non enim te ut cœcus cœcum, ſed ut videntem videns, ducam. In clara ubique luce eris, ope DEI.

Licentioſus ad ſuos) Contemnimur hic; Abeamus.

Reliqui.) Abeamus.

[Ibunt etiam, nullo dato reverentiæ ſigno.]

Philoſ.) Gratias age DEO, mi fili, qui te ab inſidiatoribus iſtis animæ tuæ liberavit, eoque terriſſimo exemit exitio.

Amph.) Agnoſco gemmum DEI beneficium: qui & iſtos proditores ſaluris meæ abegit, & te mihi pium ducem dedit. Laudem inde habeat miſericordia DEI noſtri! Te autem oro, Pater, jam me ſuſcipe informandum.

Philoſ.) Ita faciam fili. Conſtituimus nos *Philoſophi morales Scholam* aperire *Ethicam* in hoc proximo Gymnaſio, inter amœna nemora erecto. Ubi Virtutum ſplendorem, Vitiorúmque turpitudinem & noxam, ſelectis verbis, viviſque exemplis, ponere cogitamus bonæ mentis Juvenibus ſic ob oculos, ut Fœlicitatis ſuæ metam, ad illámque rectâ ducentes vias, claro in lumine ante ſe videant. Tu ergò peropportunè, proviſúque bono tuo fato, ades: quia actio illa Collegialis hodie inchoabitur, & abſolvetur. Te igitur introducam, & omnia ſpectare atque audire faciam. Sed conſilium do! tacitè ibi aſideas, etiamſi alii fortè Juvenes loquantur: ſive interrogati, aut juſſi, ſive ſuâ ſponte. Tu inquam interloqui abſtine: dum ſis poſt aliis, nos inter nos agemus. Placetne?

Amphi.) Perplacet Domine.

Philoſ.

Philos.) Introeamus igitur: nam & illi jamjam congregabuntur.

[*Introibunt, sub arborem Mori, in Area Scholæ media. Móxque eos insequentur Professores cæteri novem; Studiosorum autem cohors, 20, aut 30. si intrare potuerunt.*]

ACTUS II. SCENA I.

[*Idem Philosophus primò assurget, & Auditorium sic affabitur:*]

Præcellentissima Philosophiæ pars ETHICA est, informans hominem de moderamine suiipsius: quomodo queat Vivere & mori imperturbatus animo, sanus corpore, lætus conscientiâ, nec sibi gravis nec aliis, & sine omni damnosâ indigentiâ, sub favore Numinis. Vultisne, o flos juvenum, qui in hunc sapientiæ hortum confluxistis, hanc *Artium artem, Beatitudinis veræ viam veram* vobis monstrantem, addiscere?

Studiosi.) Volumus, & doceri petimus.

Prof. Rectè dixit qui dixit: *Si vis esse Rex dabo tibi Regnum*; REGE TEIPSUM. Hanc Regnandi artem docendi nobis estis hodie. Cujus ego fundamenta ponam; Collegæ autem mei superstruent. Vos autem præbete vos attentos. Primùm compendiò dicam: SAPIENTIA, VIRTUS, INNOCENTIA, sunt quæ hominem tranquillant & lætificant, amabilémque & laudabilem reddunt. STULTITIA contrà, VITIUM, NOXA perturbant, meritoque odibilem & vituperabilem faciunt.

Studiosorum nonnemo.) Clarissime Domine, Explica nobis ista, ut quid *Sapientia* sit, quid *Virtus*, quid *Innocentia*, plenius intelligamus, fervidiúsque in eas exardescamus.

Phil.)

Phil.) *Sapientia*, est bonorum & malorum omnium discrimina nosse: *Virtus*, agnita bona persequi, mala fugere, seriò: *Innocentia*, Boni facti, & mali declinati, conscientia recta,

Studiosorum alter.) *Ad comparandum Virtutum studium, & Vitiorum odium, quid requiritur?*

Phil.) Non obtinent hoc illi, qui nudis præceptionibus & interdictionibus, laudationibus & vituperiis, aut etiam præmiis & pœnis, agunt. Penitissime perspectum habere necessum est, quàm in nobis Virtus perficiat imaginem Dei; quàm eandem destruat Vitium. Et quomodo Virtus quem debito suo splendore ornat, simillimum Deo reddat: Vitium quem deformat, in diaboli similitudinem transformet.

Stud. 3.) Avertat Deus degenerare ab imagine Dei! Sed cedo, quâ in re consistit *Virtus*?

Phil.) In aurea *Mediocritate*: quâ quicquid cogitas, desideras, prosequeris, recti limites observes, neque ultra eos prorendendo neque citra illos subsistendo. Excedere namque decori metas, Excessus est: deficere ab illis, *Defectus*: quod utrumque in *Vitio* habetur: sicut & *Non servare actionum ordinem, agitéque res præposterè.*

Idem.) Hoc me doce quæso (imò quæsumus omnes nos) Quomodo principiis malorum obsistam?

Phil.) Tibi loquar: sed sibi audiat quisque. Si te in potestate habere, teque ipsum a principio & semper regere aptè vis, *tria præcognoscas necesse est.*

I. *Fabricam naturalium Inclinationum tuarum*, ut non ignores quò te illæ rapiant: & quomodo illis obsequendum aut resistendum sit, ne citra, vel ultra, vel extra limites abeant.

II *Objecta in quæ tuæ propensiones* feruntur: quæ tria sunt, (1) *Tu ipse*, (2) *Proximus*, (3) *Deus*.

III Tandem, *Invitamenta & irritamenta*, quæ te, inter bona & mala vitæ constituturum, huc & illuc trahunt. Summa summarum erit, ut sis in omnibus quæcunque occipies *Prudens*; erga Teipsum sedulus *Cautus*: Erga proximum

proximum *Æquus*; erga Deum *Pius & Reverens*. Denique in omni bono *Integer, Sincerus, & Constans*.

Philos. Cathedrâ descensurus dicet.) Introitum dedi Philosophiæ practicæ. Tu dilecte Collega, *Prudentiæ Professor*, incipe tua explicare mysteria; ut Adolescentes optimam Vitæ ducem, prudentiam, optimè ex te discant.

[*Descendétque, & alter ille ascendet.*]

ACTUS II. SCENA II.

Prudentiæ Professor.

Aliquot vestrûm Juvenes, nuper in campum Stultorum exspatiari, incircumspectáque, temerarias, vanas sine usu Actiones spectare jusseram; factúmne est?

1. *Discip.*) Factum Domine.

Prof.) Quid ergò ibi vidistis? Edisserite: Tu primum.

[*Ostendet unus ex illis.*]

Disc.) Vidi Sagittarios, qui sine scopo jaculabantur. Vidi, qui cùm se scopum petituros jactarent, sagittas in aversissima mittebant. Vidi, qui sagittarum loco stramenta, funiculos, plumas, lutum, & quid vis, Arcui imponebant, magnoque nisu, & spectantium risu, emittebant. Erant denique qui quum conspectam in arbore Avem dejicere minarentur, tam diu tamen & cunctanter rem egerunt, donec avis avolaret. Et sim lia multa inepta.

[*Hæc gestibus ad vivum repræsentabit omnia & singula.*]

Professor.) Verissimam Hominum Imprudentum imaginem vidisti: qui actionibus suis aut no n præstituunt Metam; aut non provident ad scopum Media; aut mediis nesciant uti, donec effluat occasio. Pro certo itaque habere charissimi PRUDENTIAM, oculum vitæ, in

eo

eo esse, *Vt homo rationalis Creatura, nihil unquam cogitet, loquatur, agat, in cassum, aut incertum, omnia circumspectè: æstimando rem quamlibet ex sua dignitate, magnam magni, vilem vili; bonáque prosequendo sic, ut assequatur: mala fugiendo sic, ut effugiat.*

Disc. 2.) Bonum concupitum semper assequi, Malum formidatum semper effugere, hoc v. magnæ esset artis. Doce nos hanc artem, quæsumus.

Prof.) Docebo in quantum res hæc arte constat, post auxilii divini fiduciam. Sic ergò habendum, *Quisquis non excidere vis bonô, non insidere in malum, tria age:*

1. *Prospice semper & ubique Finem.*
2. *Dispice semper & ubique Media ad finem.*
3. *Attendo Occasioni, ut ne elabatur.*

Hoc est, quotiscunque tibi aliquid cogitandum, loquendum, agendúmve obvenit, semper expende tria illa.

1. *Num tale quid optandum, aut inceptandum sit.* 2. *Num sic an secus aggrediendum.* 3. *Et quid impedimenti obvenire possit, ni præveniatur. Finis* a. semper sit aliquid vere *utile*: sed & *honestum*, simulque si fieri potest *jucundum*; quod te adeptum esse pœnitere non possit. (Perniciosis semper abstine; supervacaneis semper supersede; atque si datur optio inter plura, præfer bono melius, meliori optimum.)

Media provise quantum potes, I. *Certa & infallibilia.* II. *Vsurpatu facilia.* (Difficile pro impossibili habetur) III. *Pauciora* potius quam plura; necubi se diurnò impediant. Postquam v. sic præstitueris *Finem*, & denotaveris *Media*, ut ne hæc frustra fiant, etiam prægita *Modos utendi* rectè Mediis. Ubi si quid impedimenti præcognoscis, anteveni tempestivè: rùm auspicare celeriter: & perge cautim, absolvéque matura tenuè. Hoc est, ab initio te ne præcipita (præpropèrè agendo) in cursu te ne remorare, nec desiste ante ne finis adeptionem.

Disci-

Dis. ip. 3.) Hæc si observaverimus, sempérne jam ex voto negotia succedent?

Profes.) Si in hisce observandis fueritis providi, tamen si ob rerum lubricitatem circumspectio nostra quandoq; nos frustretur, non tamen poterit semper: sicut potest illos *vecordes*, qui appetunt illicita; & *deliros*, qui suscipiunt impossibilia; & *inconsideratos*, qui occasiones agendi negligunt; & *stolidos*, qui occeptant multa perficiunt nihil. Sufficiant verò pauca hæc theoriæ: cætera dabit praxis.

[*Descendetque.*]

ACTUS II. SCENA III.

Sedulitatis Professor, cum Rusticissimo quodam Corydone.

Quisque Homo *sibipsi primùm attendere, Seipsum primò amare & colere*, debet. Nempe quia proximum diligere debet sicut seipsum: seipsum ergò priùs, quia *Mensura est ante mensuratum*. Demùmque, postquam *seipsum & proximum* verâ mensurâ diligere sciet, quomodo *Deus* diligendus sit super omnia vere intelliget, transcensione sacrâ super proximum, & seipsum.

Sibi autem ipsi Homo ante omnia debet *Observationem*: hoc est *pro conservatione sui cautum assiduumque studium*. Quod in Moderatione *Laborum, Cupiditatum, Adversitatumque* positum est. *Homo enim ad motum & labores nascitur*: sed moderatione opus habet, ne aut ociò torpescat, aut se nimio labore frangat, corrumpat, occidat, vel rursum in res inutiles vires profundat. Cujus rei cura & attentio cùm sit commissa mihi: ego verò Vobis nuper homines conquirere mandavi, qui hic aut *excedunt, aut deficiunt*, aut res *inverse ac perperam* agunt, adduxistisne aliquos?

Ris. 1.) Vidimus Domine morbos hic hominum deficientium, excedentium, sineque ordine & usu occupatorum

torum: ſed adducere nobiſcum, præter ignavorum unum, non potuimus.

Prof.) Dicite primùm de illis quos vidiſtis: deinde illum qui adductus eſt examinabimus.

Diſc. 2.) Domine, vidimus hominem qui Aquam piſtillo rumperet, lapidem facturus. Et vidimus qui Ceram igne coqueret, in chalybem. Et vidimus qui fabricaret Scalas quibus ad Lunam ſcandi poſſet. Et vidimus qui Ædificia exſtrueret magna & ſplendida, moxque diruere ipſemet: & ſimiles vanas occupationes varias.

Prof.) Oh! Si talibus obſervandis atque recenſendis vacare volueritis, non dies vos deficiet, ſed vita. Dicite, an aliquem qui ſe laboribus Vocationis, eoque laboribus per ſe bonis, licitis, debitis, frangeret, videritis?

Diſc. 3.) Vidi ego ruſticum mercenarium, avarum, qui meſſis tempore diurnâ mercede locare operam ſuam non contentus, ut plus lucrari poſſet, demetiendum conduxit integrum agrum, diurnoque & nocturno labore ita ſe fregit, ut animam exhalaret. Et vidi Studioſum impenſè Libris inhiantem, nocturniſque lucubrationibus continuis ita ſe emaciantem, ut nihil niſi curis oſſibus hærens eſſet, tandémque in deſirium, morbos, mortem, incideret.

Prof.) Nocet ecce omne nimium! cavete. Sed quia hic frequentiùs peccatur in contrarium, date exemplum hominis Ignavi, vitam, valetudinem, vocationem ſine iſtu habentis.

Diſc. 1.) Adduximus Corydonem iſtum, ibi jacentem, ignaviſſimum pecus. Placéne illum probare, eâque occaſione nobis bonorum aliquid documentorum ſuggereret?

Prof.) Quid ſi te cum illo committam? Experire aut emendare illum, aut nobis facere delicias

Diſc. 1 *ſubridens*) Expetiar; Heus tu Corydon, ſurge, [*Iacebit enim, humi ſtratus.*] Heus inquam, ſurge! [*Ille caput lente circumvolvens reſpiciabit.*]

Diſc. 1.) Surge!

Coryd.) Ad quid?

Disc. 1.) Ad jentaculum.

Corydon. Lentâ voce scalpensque caput) Estne paratum?

Disc.) Est: surge tantùm.

[*Cumque surrexeris, lentè & cum pandiculatione, dr-ducet illum ad ligilla aliquot disjecta, eáque illi ostendens dicet:*]

Mereri priùs debes merendam. Tolle ista ligna, & compone huc in struem!

[*Ille aspectabit diu, scabet caput, tum se demittens prehendet tolleréque tentans; gemet*, Ah, Ah! *tandémque dimittet, ipsis verbis*: Esurire malo quàm laborare. *Et projiciet se ad sedendum.*]

Disc. 2.) Mihi verò laborare cibus est; otiari, intolerabile. Laboraboque dum vivam, lætus: sperans divinam benedictionem, ut fit unde impertiri queam egentibus. Tu verò plumbeus homo, unde dabis Eleemosynam, ipse egenus?

Coryd.) Eleemosynam? quærant alibi.

Disc. 2.) Et si fames urgeat, quid facies? Quid taces? furaberis fortè!

Coryd.) Minus hoc molestum, quàm laborare.

Disc. 3.) Et pendere in patibulo, etiámne minus adhuc molestum? Ista enim eodem sic se consequuntur ordine.

Cory.) Si quis me suspendendum dabit, pendebo illi horam unam, reliquum totum mihi.

Disc. 1.) Inutilissimum terræ ponduś, non pane tantùm tu, sed aquâ & aëre indignus es. Viden' cœlestem Solem? quam ille perpetuò in motu est! quàm semper servit! Cæteræ etiam Creaturæ quanto quæque excellentior tanto activior: quin imitaris?

Cory.) Mihi sic benè est.

Disc. 2.) Quin tu ergo lapis fias, aut lutum! ñ æquè ut ista sine usu jacere vis.

Prof.) Laterem lavaris, Abstistite, & truncum illum ex hominum consortio exturbate. [*Exturbabunt.*] Videritne

derisne pessimæ educationis fructum? & à teneris non assuescere labori, quàm noxium sit? & quàm ignavum otium nihil sit nisi vivi hominis sepultura! Discite proinde hoc exemplo moniti, semper esse in opere aliquo bono. Quisque vestrûm laboriosus esse incipe maturè, & desine serò, in extrema senectute: omnia erunt salva. Dumque alii industrii rerum suarum satagunt, tu tibi deesse noli. Parum est non fugere laborem, posce; alacriterque suscepto fungere sedulò, & constanter, donec defungaris. Ignavis semper sunt feriæ, ut proverbio ajunt, etiam profestis diebus. Tu contrà etiam in otio negotiosus esto: hoc est dum recreationi vacas (lasso enim permittitur interquiescere, at non segnescere) ne torpeas, sed lassas vividè recolligas viriculas. Verumenimverò redigam omnia, dicta & dicenda, in sententias aliquot.

Quisquis de Angelica participas natura, & imitari gaudes Cœlos, hæc observa.

I. Nunquam inerter otiosus esto.

II Semper boni aliquid age, aut loquere, aut meditare.

III. Quicquid per te fieri posse vides, alios ne exspecta.

IV. Quicquid peragi potest hodie, in crastinum ne differ.

V. Quicquid actu & tractu uno perfici potest, in plures ne distrahe.

VI. Quicquid inceptisti, absolve. Omne opus tuum fine coronatum esto.

Pautas istas regulas si observas, Puer, Adolescens, Juvenis, insignis evades Vir.

Disc. 3.) Pro tam aureis monitis reverenter agimus gratias.

ACTUS. II. SCENA IV.

Temperantiæ Professor prodibit.

Amor sui humanæ naturæ ingeneratus est, cum appetentia eorum quæ nos oblectant. Sed temperare sibi oportet

portet ab illecebris Sensuum: quæ illectare solent Concupiscentias nostras & eò abductare, ut intricemur rebus ad veram beatitudinem non pertinentibus, dementemúrque fucosi bonis. Et dehinc, agendo ea primariò, quæ agenda erant secundariò, Vitâ non utamur, sed fruamur; imò ne fruamur quidem, sed inquietemur. Quod fit, dum immoderatè obsecundantes cupiditati *Voluptatum*, aut *Opum*, *Honorum*, & *Scientiæ*, prolabimur in tetra vitia, *Hellvationem*, *Lasciviam*, *Avaritiam*, *Ambitionem*, *Curiositatem*.

[*Tum prodeant Helluones duo, ventrosi & buccosi: alter patinas gestans, alter urceos tres vel quatuor cingulo appensos habens, unum v. maximum in manu: titubans uterque & lapsans, amplexantes tamen se interdum, cum jubilo incondito; rursúmque rixantes, & pugnos sibi intentantes, aut etiam ingerentes. Quos aliquamdiu spectans Professor cum suis, tandem dicet ad suos.*]

Videtisne istas belluas? Voraces istos, & bibaces *Epulones* & *Glutones*, quàm vorando sua absumant? & gulosos *Lurcones*, quàm se vel quotidie potando ingurgitant, insaturabilesque pantices effarciunt! Inebriati vero brutè bacchantur, vociferantur, conferunt manus, titubant, lapsant, scteant, spurant & (cum bonâ venîâ) mejunt, visiunt, pedunt, vomunt, & tantùm non resorbent quæ evomuerunt, belluli homunculi! Quid præterea? Ut mens est perspicax absteniis, sic amentia hebetat & furiat potos. (Temulenti enim fiunt turbulenti; vinolenti violenti): tùm crapula hesterna molestat postridie ebrios; ebriosos v. tremor, vertigo, arthritis, & alii dolorifici morbi, divexant, & cruciabiliter è vita exturbant. Ecce suavitudines voluptuantium!

[*Tum istis helluonibus egressis continuabit.*]

Tu adolescens esto temperans & sobrius, abstine à superflua alimonia: cùm esuris, ede; cùm sitis, bibe, quantum satis. Tu Studiose, & quicunque agis vitam sedentariam, esto contentus prandio & cœnâ, relinque jentaculum

jentaculum & merendam Operariis: quia corpus nimiâ saturitate pigrescit & ægrescit, animus v. ad obeunda munia sit inhabilis.

[*Mox immittatur in theatrum Canis, totus si haberi potest scabiosus.*]

Prof.) Videte hanc impuram bestiam! cujus fæda scabies vobis homines libidinis pruritu fædè contaminatos ob oculos ponit. Lascivire enim, & se à libidine non continere, plusquam belluina turpitudo est: quia belluæ non coëunt nisi prolis causa: Quam pudenda igitur fœditas, quòd *Adulter* alienum polluit torum, *Scortator* suum; *Concubinus* pellicem alit, *Ganeo* per Lupanaria grassatur, *Meretrix* pudicitiam prostituit, *Leno & Lena* alios seducunt, & inquinant. Vah propudia! omnes detestabiles & exsecrandi, atque nisi resipiscunt, infernali cum Sodoma & Gomorrha igne absorbendi. Cæterùm non solùm adulteria (aut incestus, stupra, scortationes, illegitimi concubitus;) sed & omnis Venerea salacitas, indecoræ basiationes, amatoriæ cantilenæ, inverecundæ collocutiones, imò obscœnæ cogitationes, impudicitia sunt, fœdantque animum. Tu sis castus, pudicus, impollutus; absit procacitas in gestibus, obscœnitas in dictis, petulantia in factis, & ne te ulla spurcities contaminet, tua castitas expectet matrimonialem vitam; ne insanias depercundo fœminas efflictim.

[*Hòc finitè sermone, prodibit Avarus cinctus catenâ & compeditus, manúque sinistrâ baculos 4 aut 5 ferens, dextrâ v. trahens cistam aliquot seris obseratam, alteram v. illi adjunctam vacuam, & ad cingulum pendentes aliquot crumenas, & marsupia, & saccos; partim turgentes, partim inanes. Trahet v. suam illam supellectilem anhélus, & gemens: veniensque in medium Theatri consistet, & super arcam suam considebit, tanquam lassus, detergens sibi de vultu sudorem, inspectantibus eum tacitè Professoribus & Studiosis. Tum incipiet conqueri:*

Avarus,) Quàm molesta mihi est migratio hæc! dum me ex ædibus angustis, opes meas jam non capientibus, transfero in empras nuper ampliores. Possem quidem ad mea hæc transportandum alienâ uti operâ: sed non audeo cuiquam fidere, adeò furaces sunt hoc ævo facti mortales. Præterea carè vendunt operam suam isti sanguisugæ: præsertim cùm nobis, quos esse nummatiores sentiunt, locanda est. Vel hæc migratiuncula quot mihi grossos exhausisset? Malo ego hos in marsupio servare.

Professor ad Auditorium.) Immodica habendi cupido gignit *Avaritiam*, inexplebile malum. Ecce hic vivam ejus imaginem! Tu, examina hunc, quid sibi velit cum tanto baculorum, saccorum, cistarum, &c. apparatu.

Studiosus accedens ad Avarum.) Heus tu bone Vir! Unde huc tam visendo ornatu?

Avarus circumspectans.) Quid tu tibi vis? annon de prædatum me venis?

Stud.) Arqui solus sum, & inermis: quid metuis?

Avar.) Te: ne mihi fureris aliquid.

[*Attrahétque sibi sua arctius*.]

Stud.) Ne metue: alias ego quàm furandi artes didici. Discere aliquid ex te volo.

Avar.) An me doctorem putas? Dic tamen quid vis.

Studiosus baculos tangens) Ad quid isti fustes?

Avar.) Non fustes sunt, scipiones.

Stud.) Ad quid tamen eos gestas?

Avar.) Nescis utiles esse viatori? ad se fulciendum ad canes abigendum, & alia.

Stud.) Non sufficeret huic usui unus?

Avar.) Quid si unum amitterem, alios non habens?

Stud.) Quasi non possis æquè facilè amittere omnes.

[*Avarus caput tantum projiciet, quasi respondere nolens, aut nesciens*.]

Stud.) Quid Marsupia ista sic turgent? & saccus iste adhuc vacuus ad quid est?

Avar.

Avar.) Tua quod non interest percontari desine.

Stud.) Discendi causâ quæro. In Arca illa quid habes? facisne inspiciendi copiam?

Avar.) Ideò clausa est, ut tu quid sit intus nescias.

Stud.) Quorsum tot appensæ seræ?

Avar.) Adversus insidiatores.

Stud.) Et quorsum ista inanis?

Avar.) Quia adhuc divinam benedictionem spero, ut sit quo recondam.

Stud.) Vah quantum tibi in ista supellectile tua colligenda, gestanda, custodienda, laboris esse oportet! quantum curæ, & solicitudinis! Solésne dormire? etiámne cibi aut potûs aliquid sumis?

Avar.) Ride quantumvis: Beati tenentes.

Stud.) Habesne in terra etiam aliquid defossum?

Avar.) Deprædari quærit, qui thesauros publicè gestat.

Stud.) Et quis te catenâ istâ ferreâ constrinxit? quis compedes impegit?

Avarus illum limis intuens) Quid? catenam dicis ferream? Compedes? O te cœcum, qui aurea Fortunæ dona ignoras! Deliciæ sunt hæc, ad quas te video non admissum.

[*Prehensámque Catenæ suæ partem pendentem, osculabitur*]

Professor.) Hem miserum Plutonis mancipium! In hoc discite quæso Vos omnes, quàm se inquietet Avaritiæ deditus, dum sibi necessaria defore semper metuens, ultra omnem necessitatem corradit, per fas & nefas ditescere quærens, & tamen opibus saturari non valens. Quamvis enim Marsupia pecuniis conferta, & Cistas vestimentis, Scriniáque Cimeliis, & omnifariâ supellectile plenissima, possideat: egestatem tamen timet, adeoque in copia inopiam experitur, novosque Saccos, Cistas, Horrea, parat, nocte diéque irrequietus, & præ

tenacitate de bonis suis nec sibi nec aliis benefaciens Quæ res quorsum tandem exit? In animæ, corporis opum ipsarum, exitium: dum tandem malè parta malè dilabuntur, per hæredes prodigos. Tu qui sapis, Frugalis esto! ut æquè Tenacitatem fugias atque Prodigalitatem. Opes nec appete immoderatè, aut coacerva anxiè, nec sperne insipienter, nec prodige, sed comparce; & quicquid accipis & expendis, refer in codicem acceptorum & expensorum; affatim divitiarum eris, si non egeas, parsimoniaque ipsa tibi thesaurus erit.

Avar.) Habere Vos sapientiam, ego Opes.

[*Cúmque Oneribus suis movere se perget.*]

Prof.) Ita sit! Porco siliquæ optimè sapiant, & furhores, & lutum; dum sapientia filios suos melle & lacte saginat.

[*Studiosi avarum oculis comitentur; &* Mancipium, Mancipium, *clamando exsibilent.*]

[*Quidam delicatè vestitus, sub pileo plumato, gladiòque deaurato accinctus, & in manu clavam argenteam gestans, ingressus Theatrum, Pavonis instar se & sua illa omnia, aspectabit, complacens sibi, & seipsum admirans, dicit tandem, obambulans.*]

Omnia mea pulchra sunt; non facilè mihi reperietur similis. Quid v. si quis interiora mea videre posset? Sapientiam meam, prudentiam meam, magnaminitatem meam & virtutes cæteras, quid demùm diceret? Miraretur certè. Sed norunt me jam ex parte: idèque mihi ab obviis honor defertur, promotúsque sum ad dignitates nonnullas. Verumenimverò ego mihi conscius intimè, majores me scio meteri: ideò non exspectandum puto, dum mihi major offeratur amplitudo (quando id foret? nesciunt æstimare virtutem stupidi) ipsi mihi circumspectandum puto, quomodo me humo tollam, & ad altiora honorum fastigia promoveam. [*Tum suspectabit sursum, conspectòque loco editiore, Pergulâ, sed suo solis, dicet:*] Eò me promovebo

ut magis conſpicuus reddar. Sed quærendæ mihi ſunt ſcalæ per quas aſcendam.

[*Circumſpectabit igitur, conſpectâque ibi humi jacente ſcalâ, eriget eam exultabundus, tametſi debilem & vacillantem (quod ille præ gaudio & feſtinatione non animadvertet) aſcendereque incipiet. Sed ſcala tertiõ gradu diſſoluta ruere ipſum faciet. Qui ſe citò recolligens, & per omnia circumſpectans.*]

Eho, quis ridet? num me cadentem vidit aliquis?

[*Et quaſi demùm an animadverſâ turbâ, pudore auſugiet.*]

Prof.) Ecce ſpectaculum habuiſtis, Quomodo Eminendi appetentia homines in *Ambitionem*, *Faſtum*, *Jactantiam*, præcipitet! ut ſibi arrogando nimia, aut ſuperbiant tacitè, aut ſe & ſua jactent, oſtentent, immodicè tollant propalàm: ambiántque honores & dignitates impotenter, & affectent præconia vulgi inſolenter, quandoque etiam ridiculè, vani gloriatores: donec confuſi recedant, & vulgi fabula fiant. O quam ſæpè ambitioſis evenit juxta id quod Poëta cecinit, *Volvuntur in altum, ut lapſu graviore ruant!*

Vos proinde virtutum ſtudioſi attendite monitis, & cavete! Quemque Veſtrùm commendet *Modeſtia*, virtus ſuaviſſima, tetro vitio Superbiæ oppoſita. Poſſides boni aliquid? Habe id tibi citra oſtentationem, Deum laudans. Utque honorabilis ſis potiùs quàm videaris, cura. Honorum faſtigia cave affectes! *Qui jacet in terra, non habet unde cadat.* Si tamen contingat, ut Honor te dignus offeratur, admitte cum reverenter, tanquam Virtutis præmium: aut, ſi res tuæ non ferunt, recuſa moderatè. Honoris tibi ſatis erit, apud Bonos in exiſtimatione honeſta eſſe.

[*Procurret Ardelio quidam, & verba ſic faciet.*]

Ardelio.) Quid mihi jam dabitur, ex quo novi cognoſcum aliquid? Diſtinebar me hodie domi negotium, nec exire potui, neque nanciſci aliquem congerronem. Hinc nihil

nihil scio quid hodie actum sit in foro, vel in platea alicubi; imo ne quidem quid in ædibus vicini gestum, aut aliunde nuntiatum sit. Præter morem meum est, tàm vacuum à nuntiis gestare cerebrum. Quærendus mihi est, qui vacuitatem hanc expleat.

[*Prodibit alter Curiosus, Libellum gestans, & chartas quasdam.*]

Ardelio dextram illi offerens) Salve Amice. Non poterat optatius accidere quidquam, quàm quòd Te nunc accipio.

Curios.) Salve & tu. Quid ita adventui gratularis meo?

Ardel.) Totus hic dies sine Voluptate mihi transiit: adeò nihil penitùs, quid rerum usquam fiat, rescire potui, domi, tanquam claudus sutor, affixus. Tu igitur (quem non more torpidi Vulgi rerum esse incuriosum, sed vividè per omnia oculos circumferre, scio) narrabis mihi quicquid hodie apud nos & per vicinam, actum esse audivisti, vel vidisti: si quis item peregre veniens aliquid rumoris attulit. Sed à Te incipe, res tuas primùm narra.

Cur.) Ego verò ex te talia scisciturum venio: nam neque mihi vacavit hodie.

Ardel.) Occidis me: quid mali impediit?

Cur.) Nactus heri sum aureum hunc libellum, in quo inauditæ curiositatis, infinitæque arcana, descripta sunt: avelli non potui à lectione.

Ard.) Non me facis participem?

Cur.) Lubens, audi quorundam secretorum titulos saltem interea.

[*Aperiet Librum & leget.*]

1. *Circuli*, quorum beneficio omnes Scientiæ & Artes sine labore ingredi possunt Cerebrum.

Ardel.) Hoc intelligo, Artificium est *Raimundi Lullii*.

Cur.)

Cur.) Ita sanè ille inchoavit, sed nunc est ars hæc ad perfectionem deducta: sed audi cætera.

2. *Memoriæ liquor*, quo quisquis aspergitur, millena millia rerum lectarum comprehendere, rursúmque reddere, potest.

3. De fabricando Compasso duplici: per quos amici duo absentes (*vel per centum milliaria*) colloqui certis horis possunt.

4. Quomodo quis Thesauros olfacere possit, sive supra terram sint, sive infra terram.

5. De speculo sic fabrefacto, ut noctu etiam, & per tenebras, in eo videri possint omnia.

6. Quâ ratione quis seipsum reddere queat invisibilem.

Ardel.) Ah, hoc pulchrum.

Curio.) Pulchriora sequuntur.

7. De construendo ex certis metallis, & ad certos Astrorum positus, Annulo, quem quisquis gestaret, infelix esse non posset.

8. De inveniendo Fuco, quo omnes colores pingi queant.

9. De extruendo Propugnaculo, cui quicquid se includeret (*seu verum seu falsum*) inexpugnabile esset.

10. De reperta Navicula, quæ sub aquis velocissimè currere, omniaque maria penetrare, valeat.

11. Item, de reperta volatili Arca, cui sese includens aliquis per aërem, quocunque velit, volare possit, in *Asiam*, *Africam*, & per totum Terrarum Orbem, aut etiam ad ipsam Lunam.

Ard.) Satis, satis, abrumpe! cerebrum mihi emovebis.

Cur.) Adeone tibi angustum est cranium?

Ard.) Obsecro, sùntne hæc vera?

Cur.) Verissimè scripta sunt: an verò respondeat res, experimentis opus est. Visne mihi te socium dare?

Ard.

Ard.) Ebo, dubitas? Quid verò charta ista continet?

Cur.) Secretissimum arcanum, quod Tibi nisi jurato committere non possum.

Ard.) Iuro, modò, sciam quid sit.

Cur. Chartam mirîs lineis & characteribus descriptam explicans) Ecce hîc arcanissimum arcanum; quomodo cum separatis *Mentibus* quas *Genios* vocamus colloqui eósque ad ministeria advocare possimus.

Ardel.) Horresco! Hæc magica sunt.

Cur.) Magica utique: sed è Magia Philosophica depromta. Nolim tamen nos audiat aliquis, dum tibi hæc mysteria enatro: ingrediamur!

[*Egredienturque theatrô*]

Prof.) Audivistis duos istos curiosulos, quam circa nugas & res nihili occupati sint? ô ingenium humanum ad inania proclive! *Aviditas sciendi* per se bona ei à bono Creatore nobis indita. Culpabilis tamen est tùm, cùm Ardelio præter modum multa & inutilia res scisscere avens, exsaturarique scisscitationum non valens, omnibus se immiscet, rumusculos undique captat, & omnia quæ celantur elicere quærens, sibi & aliis inquietem affert. Quæ nimia Curiositas quosdam eo, ut Omniscientiæ appetione cum Satana paciscantur (nefarium dictu!) impellit. Tu, qui seriò sapere cupis, scientiæ desiderium tempera. Disce non multa, sed necessaria: non futilia, sed utilia. Quæ ad te nihil spectant, ea nescire præstat: ita tibi & aliis quies erit. Servate hæc, & benè Vobis erit.

[*Descendit.*]

ACTUS

ACTUS II. SCENA V.

Fortitudinis Professor.

Didicistis jam, dilecti, Quomodo cavendum sit ne nos res *jucunditate allicientes* à via Virtutum seducant: jam discetis *Quomodo præstandum sit, ne nos aliquando illa, quæ Difficultatibus, Periculis, vel Adversitatibus quibuscunque conterrent. Fortitudine* nimirum animi hic opus, quæ omnia Vincat partim per *Æquanimitatem*, partim per *Magnanimitatem*, partim per *Patientiam*. Quæritis quid hoc sit? Docebo, attendite!

Æquanimus est, qui ad omnem eventum indifferenter se habet: hoc est, neque se rebus prosperis effert, neque calamitosis subsidit.

Magnanimus est, qui ad casus repentinos, quibus se & res suas periclitari videt, non consternatur: sed viam quærit, aut declinare prudenter, aut si quid est inevitabile, perrumpere intrepidè.

Patiens tandem, si elabi non potuit infortunio, perfert fortiter: nec propterea de manire recti cedit, occalescens ad omnia, sibique regulam condens, *Ferendum, non culpandum, quod mutari non potest.*

Stud. 1.) Domine, *Fortitudini quale vitium opponitur?*

Prof.) In defectu *Pusillanimitas*, in excessu *Audacia* & *Temeritas*. Quod ex eorum actionibus discite. *Pusillanimis* rebus secundis intumescit, in adversis animum despondet: ad casus inopinos percellitur, tremiscit, quo se vertat nescit, ad quemvis strepitum effœminatè trepidus. Obrutus verò calamitate intolerabile deputat, omniáque implens querimoniis indecenter plorat, ejulat, lamentatur, ægrimoniâ se emaciat, & sic impatientiâ suâ miseriam sibi conduplicat, tandémque succumbit,

Stulte

Stultè tamen *audaculi*, pusillanimitatis defugientes notam, audacter se ad ardua negotia, quibus impares sunt, offerunt; temeritatéque freti pericula, quæ evitare possent, ultrò provocant, nec aliquid inausum relinquunt. Sed fit, ut plerumque recedant confusi, & postea vix mutire, vel hiscere, audeant.

Stud. 2.) Platétne nobis differentiam inter *Fortem*, *Pusillanimem*, & *Temerarium*, specificè ostendere?

Prof.) Inter *Fortem*, *Ignavum*, & *Temerarium*, hoc interest. *Ille* vocationis suæ munia agit, *iste* deserit, *hic* inardescit alienis: *Ille* agit res sollicitè, *iste* socorditer, hic præcipitanter: *Ille* sedulò, *iste* remissè, *hic* perfunctorie; *Ille* quietè, *iste* oscitanter, *hic* tumultuariè: *Ille* nihil cunctando, *iste* omnia procrastinando, *hic* desultoriè negotia pervagando: *Ille* denique nullibi non viget, *iste* nullibi non friget, *hic* nullibi non variat: jam restigans, jam resultans, intermissaque resumens.

Tu, si fueris (confisus DEO) ad honestum impiger, ad obstacula impavidus ac imperterritus, & ad tristia accidentia infractus, ubique perviceris.

ACTUS II. SCENA VI.

Humanitatis Professor.

Dilecti Auditores: Nemo nostrum nascitur sibi uni, necessitas cohabitandi consociat omnes, trinâ lege; unâ quisque obligatur.

I. *Nocere neminem.*
II. *Tribuere suum cuique.*
III. *Prodesse insuper cui quis datur.*

Erit hoc, si quisque nostrûm operam dederit: Primò *Humanitati*, ut ne quem offendat. Secundò *Justitiæ*, ut ne cui in jure noceat. Tandem *Beneficentiæ*, ut beneficiis insuper afficiat quemcunque potest.

Offensiones

Offensiones evitabimus, si servemus erga invicem

I. *Modestiam.*
II. *Affabilitatem.*
III. *Candorem.*
IV. *Veracitatem.*
V. *Vrbanitatem.*
VI. *Concordiam.*
VII. *Mansuetudinem.*

I. *Modestum* vocamus, qui humilis est, non arrogans; verecundus non procax: comis, non morosus aut torvus: maiturnus tamen magis quàm loquax: & severus potius quam frivolus; nam garrulus Nugator ingratus est, qui facta infecta loqui non veretur: sicut & aniles inepcias blaterans Blatero; & arcana sibi concredita effutiens futilis loquutulejus; & qui aliis interloqui solet inopportunè. Quicunque igitur Modestiæ laudem affectas, ubi loqui non est necesse, tace: Silentii nulla pœnitudo. Magis a. cave, ne quem contemnas, neve cui adversere sine causa, aut convitieris, & inferas contumeliam, vel lacessas molestiam, aut carpas cum præsumptione, vel diffames, traducas; seu cavillando præsentem, seu calumniando absentem (calumniæ recidunt in calumniatorem:) parcè lauda, parciùs vitupera.

Si quid inaudivisti quod abscondi debet; ne divulga, abstrude potiùs quàm obtrude: quod tibi certò non constat, ne affirma aut nega, nedum ut asseveres, aut inficieris: contrà, siquid dispalescit rumore, aut alius quis narrat, suadet, diffundet, adhortatur vel dehortatur, ne repugna præfractè, aut contende obstinatè: nam æquè diffidentia, atque credulitas, est detrimentosa; omnisque audacia contradicendi exosa.

II. Jam si præter Modestiæ decus *Affabilis* quoque dici & haberi vis, hæc observa. Conversari cum quolibet bono (nobili & ignobili) ne dedigneris. Et quemcunque adis, aut præteris, aut obvium habes, amanter saluta, salutantem comiter resaluta; discedentem à te aliquousque comitare. Si quis te compellat, vel aliquid inter-

interrogat, responsa placidè: saltem annuendo, vel abnuendo. Ita omnibus esse poteris amicus, etiamsi non omnibus familiaris.

III. *Tertius* Humanitatis gradus *Candor* est, & animi *Sinceritas*, pulchertima Virtus, Nempe, ut erga quemlibet, quicum tibi versandum est, rectum, planum, simplicem te exhibeas, citra vafritiem & versutiam; nihil mali facilè suspicando, nullius mali alium insimulando. Si quid amiculus deliquit, ne dissimula, dic apertè quod res est, & citra amarorem mone, cotrip[illegible] corrige: assentationes, dolos & fucos, relinque hyp[illegible] critis. Adulator simulat candorem palpo & ossuciis; [illegible] amicus, re fraudulentus insidiator, versipellisque ve[illegible]tator.

IV. Quartò, *Verax* ut habearis accura. Quod ob[illegible] nebis nunquam mentiendo, nihil cuiquam affingend[illegible] nihil verborenus promittendo, non facilè jurando [illegible] autem jurasti, juramentum servando. *Mendax* enim [illegible] qui dejerat, ac pejerat) habet hanc perjurii pœna[illegible] ut tandem amplius non credatur, nec jurato, nec j[illegible]ranti: eos verò qui mendacia comminiscuntur, de[illegible]stamur.

V. *Vrbanus* ut sis, vide ubique quid te deceat & de[illegible]deceat: Compone te ad elegantiam, fuge rusticitatem: inter mœstos mœre, inter hilares hilarescè, inter jocantes etiam exorna dicta & facta tua facetis leporibus, festivisque jocis. *Tetricus* est, qui nec ipse jocos liberales proferre, nec aliorum jocationes ferre potest. Cavebis tamen esse protervè dicax, & lacessere alios scommatibus & *dicteriis*, & arridere ineptè omnibus, vel cachinnari inficerè motionum ritu, sed subridendo & renidendo blandulè, contestaberis civilitatem. *Derisor* derider alios stolidè; *Scurra* scurratur sordidè; *Sannio*, quem contemptim habet, ei despicientiam & subsidia exhibet distortis labris, vel exsertâ linguâ, aut digitis in ciconiam formatis; aut nudatione natium, aliisque sannarum generibus.

VI. *Sexto*,

VI. *Sextò*, ut in *Concordium* habearis numero, vive tranquillè cum Convictoribus, Contubernalibus, Convivibus, Conterraneis; ſucceſſus fortunatos nemini æmulare, potius congratulare: ſimultates ſuborras inveteraſcere ne ſinas, ut ne in odium & inimicitias tranſeant. Rixoſorum eſt contendere, altercari, in jurgiis diſcordia vivere; querulorum quiritari, & ſemper de aliquo conqueri.

Mansuetus denique fueris, ſi nec ſis irritabilis, nec inexorabilis: non effervescens in iram, ſed eam cohibens: non retalians injurias, ſed ſufferens. Læſit te quis? utere conniventiâ, & pudefacies illum: ſi pœnitet feciſſe, dà veniam, ignoſce & condona culpam. Si offendiſti ipſe, ne pudeat agnoſcere offenſam; offenſum verò affari & precari, non ſimulatè, ſed ex animo; ita tibi devinxeris omnes oppidò.

VII. At *Iracundus*, & ſui impos, excandeſcens illicò, fremens, furens, minitans, maledicens, imprecans diras, minantem recriminans, verberantem reverberans, quid proficit? perturbat res magis, & exaſperat alios ad beſtialem ſævitiam, quæ vix reprimi poſſit, ut homicidia oriantur: ſed apage furias ejuſmodi! Generoſus animus impos eſt ſui, tametſi indignatur indignè factis, & obloquitur malevolis, non tamen ſtomacharur: infenſus eſt aliis, ſed non infeſtus: mavult eſſe mitis quàm trux; benignus quàm dirus; pacare omnes, irritare neminem: ſine ita concordare cum omnibus, diſcordare adverſus nullum.

Ita expoſui *Humanitatis* leges, unà cum Vitiorum exitiis & delectibus quibus in eas peccatur. Quæ probè obſervate omnes, ut contra ſuaviſſimam hanc virtutem ne peccetis. *Nihil tam convenit Homini, quam eſſe Humanum.* Valete!

ACTUS

ACTUS II. SCENA VII.

Justitiæ Professor.

Sociatæ hominum Actiones potissimùm in commutandis Rebus, & distribuendis inter Personas officiis præmiis, pœnis, consistunt. Utrobique directrix est JUSTITIA, commutativa & distributiva; tanquam observatrix competentiæ (seu congruentiæ) inter Res & rem, Personam & personam.

Vultis hoc specialiùs Vobis ostendi? Dabit licet audire! *Justus* non vendicat sibi quidquam, quod alterius est, nec usurpat insciente illo. Si quod habet apud se depositum, reddit fideliter, non abnegat, minus abjurat; fraudare enim est æquè scelestum ac tari: Quod commodatò accepit, idem redhibet, aliud; & quidem, quoad fieri potest citra damnum pro eo vero quod est mutuaritium, & usu absumi solet restituit quidem aliud, paris tamen æstimii.

Ergò & Tu, quisquis glorioſum Viri Justi affectitulum, similiter age. Si quis à te mutuatur, ei mutuo maximè si stipulanti spospondisti, & aliquis adstipulatus est: postula tamen chirographum, aut pignus, vel hypothecam, aut aliam cautionem: quia opus est cautelâ & mortalitatem, & lubricam hominum fidem. Cùm debitum exsolvitur, expunge debitoris nomen, tradéque ei *apocham*, quâ testeris esse tibi solutum, & te accepisse solutionem: aut trade *acceptilationem*, quâ testificeris tibi esse satisfactum, quocunque tandem inter vos convento modo. Injurius est sibiipsi, qui se obruit alieno ære, ut tandem bona sua Creditori cedere cogatur: aliis verò injuriosus est, qui (fœneratoris more) illicita fœnora supra sortem exigit. Sed qui debitorem *anatocismis* (id est usura ex usura) pauperat, nequissimus usurarius est.

Brevi et

Breviter: Age juſtè, appete nihil alieni, ſta firmiter tuis promiſſis & pactis (ſive ultrò quidpiam condixiſti, aut tranſegiſti cum quopiam, ſive exoratus, & quibuſcunque conditionibus aut exceptionibus): neque da cuiquam anſam expoſtulandi tecum.

In diſpenſandis bonis ſerva iridem æqualitatem: collauda, commenda, promove, laudabiliter agentes; reprehende, objurga, floccipende illaudabiles: miſereſce delinquentium inſcienter, aut præter voluntatem, impuráque errores imperitiæ, nec exprobra rigidè, aut impropera. Sed ſuâ ſponte facinoroſis ſuccenſe: eos verò qui alieno inſtinctu, vel impulſu peccant, non excuſa omninò. Pro impetrando beneficio ne pigeat obnixe petere, aut etiam ſubmiſsè ſupplicare: ſuperbus enim mendicus nihil emendicat, & importunus flagitator odioſus eſt, nihil obtinet. At verò ſi petitum tuum juſtâ de causâ negatur, ne obtunde, ne admurmura, ne maledic.

Si adſint beneficii competitores, da digniori majus, indigniori minus. Ipſe verò pro collatis in te abs quovis beneficiis gratitudinem declara: quod fit, benefactum agnoſcendo, deprædicando, penſando, redhoſtiendo; aut ſaltem agendo gratias, ſi non liceat referre. Munera enim remunerari, & eſſe munem, ſæpenumerò haud licet.

Quod ſi quis tibi aliquid largitur non rogatus, haud reſpue pertinaciter, ne videaris aſpernari, tibique ingratitudo objecterur.

Sequimini has paucas Juſtitiæ leges omnes Vos *Virtutum cultores*, nihilque niſi quod fas & jura ſinunt admittere ſtudete!

ACTUS II. SCENA VIII.

Benignitatis Professor.

Et meum est de Virtutibus Vos docere aliquid, charissimi, quò plenior sit, & ad similitudinem Dei propriùs accedens, Integritas Vestra. Audite igitur me quoque, & quæ dicturus sum probè expendite.

Vir frugi non satis *Obesse* nemini, *Prodesse* quærit cui cui potest: gratuitorum nempe officiorum præstatione Idque imitatione Dei, qui gratis dat omnia omnibus Quare tu, qui abundare Virtutibus vis, non deficere, quis consilio indiget, *consule*: si solatio, solare; *si subsidio, subveni*; si ope, *opitulare*; si patrocinio, *patrocinare*; nescienti aliquid, suggere, si tibi succurrit: eum qui te opperitur, ne morator: & cuicunque gratificari potes ulla re, ne gravator: sic demereberis gratiam. Inofficiosi est velle rogari aut exspectare.

Dives es? Esto igitur erga amicos munificus, strenuus & donativis: erga peregrinos item hospitalis; impertiamen etiam de modico; si non largiter, at liberaliter. Erga miseros denique sis misericors: non irridendo infortunium cujusquam, sed commiserando: & sic non afflictionem afflictis addendo, sed adimendo. Si praterea fueris erga superiores obsequiosus, erga pares officiosus, erga inferiores lenis & placidus, parabis tibi amicitias veras: nec eris aliis contemtui, ut solent fastuosi, tumidi, parasiti: quin & osores ipsos tibi conciliabis. Desumque ipsum habebis tanto magis propitium, quanto magis Illo te Bonitatis suæ videbit esse instrumentum.

ACTUS II. SCENA IX.

Pietatis Professor.

Exhibitum vobis hucusque fuit, Quid Homo quisque *sibiipsi* debeat, & *Proximo*: restat cognoscere quid Omnes debeamus *Illi qui super Omnes est*, & à cujus solius gratia nobis, rebúsque nostris benedictio; ab indignatione verò maledictio & interitus, venire possunt. Hunc O revereamur omnes unice! & deamemus summe! & invocemus perpetuò! & nunquam ac nusquam in in conspectu ejus peccemus! & nostra omnia Illi fidenter credamus! Næ Ille nos beabit pulchrè, & per lucis semitas deducet in æterna sua Regna. O infelices qui Deum potiùs deserunt, quàm suas consuetudines pravas! Verum de commercio Mentis nostræ cum Deo alibi erit dicendi locus: neque tamen fileri hîc potuit, ubi Virtutes ex objectis suis distinguendæ erant.

ACTUS II. SCENA X.

Perfectionis Professor.

Verum equidem est, *Perfectionem sub Cælo non dari, Cælo eam servari*: & nos hîc nonnisi errando discere, si tamen discimus, utique proficimus. Proficiamus igitur, euntes de Virtute in Virtutem, & contendentes nihilominus tamen ad perfectionem: comparando nobis habitum omnimodæ probitatis, & coaddendo Virtutum coronidem trinam, *Plenitudinem*, *Sinceritatem*, & *Constantiam*. Repeto: Virtutum studium coronandum est coronâ triplici: I. *Plena* undique cohærente *Virtutum Soliditate*. II. *Sincerâ* sine alieni mistura *Puritate*.

III. *Conſtantiſſi náque* in finem uſque in bono *Perſeverantia.*

Plenitudo requirit, ut tu, quiſquis es, nullam tibi abeſſe velis virtutem, quæ te honeſtare poſſit & integrare, ullo ſtatu aut gradu ætatis vel conditionis tuæ: ut nimirum ornet te Adoleſcentem modeſtia, taciturnitas, auſcultatio, agilitas, mundities; te Juvenem verecundia, caſtitas, impigritas, obſequentia, fidelitas; te Virum operoſitas & prudentia; te Senem gravitas, ſapientia, morris proſpectatio & deſpectatio. Ita undique eris pulcher, formoſa verè imago Dei.

Sed addas neceſſe eſt *Sinceritatem*: quæ à te hoc requiret, ut ſis *quod videri vis*, ſine fuco & larva. Ergò nihil age affectatè, ſimulatè, apparenter, dicis causâ omnia ſincerè, ex vero, & bonâ fide; ut etiam incuſtoditus incontaminatus ſis, & inculpatus. In quod ut fias & tu ſis conſummationi proximior, conſcientioſus eſto: quicquid vides fieri oportere (etiam minimum) cave unquam ſciens volens prætermittas.

Conſtantia denique ultima tibi, fulgentiſſimáque Virtutum erit corona hoc à te depoſcens, ut in tam excellenti propoſito, Angelicam imitandi puritatem, immota perſiſtas, etiamſi labefactare te mille quis tentet. Tu ſta! paratior mori, quàm ſpurcari, & amittere decus tuum.

Ego verò jam Collegium hoc, & morales hoſce ſermones atque actiones noſtras claudens, horror Vos Adoleſcentes, Videre, & videndo etiam atque etiam expendere, *Quàm penes vos ſit, Felices eſſe!* ſi plenè ac ſincerè virtutes coluerit, ſique in ſancto illo ſtudio perſeveretis. Inæſtimabile bonum eſt, SUUM FIERI; irreparabile contra damnum, SUI AMITTERE GUBERNACULUM. *Regnum amiſit, qui regere ſeipſum deſiit.* Præſeſtinate igitur, ô Adoleſcens, aſſerere te Deo & Tibi! ut ſis in poteſtate tua, nec volvaris aut rapteris alieno principio; urque tibi benè conſcius in omnibus, permaneas illæſus & indemnis, exultéſque continenter.

Animi enim Tranquillitas Virtutis præmium est, & conscientia bona perpetuum convivium. Datisne Vos Deo, & Virtuti? Sic demùm futuri felices. Datisne?

Studiosi omnes.) Damus, damus damus, &c.

Prof.) Audiat Deus & impleat desideria Vestra!

[*Descendet, exibuntque Theatrô Omnes: exceptô Philosophô primô, cum Amphietho suo.*]

ACTUs III.

HABENS SCENAM UNICAM.

Philosophus cum Amphietho adolescente.

Phil.) Vidisti fili actiones nostras, audivisti sermones: sic jam quid hæc placent?

Amph. O mi pater, mi pater, quàm felix ego, qui hodie in te incidi! quàm fidus tu mihi dux, qui me huc introduxisti!

Phil.) Concepistine serium Virtutis amorem, Vitiorum odium?

Amph.) Ah serium, verè serium! Flammesco totus desiderio beatæ illius perfectionis, de quâ audivi: *ut Rex fiam Regni mei, Animæ meæ, omniúmque actionum mearum, per totam vitam.*

Phil.) Rectè hæc proponis, & fervidè, ut video. Sed annon metuis, ne tibi eveniat quod solet, juxta illud: *Principium fervet, medium tepet, ultima frigent.*

Amph.) Deum orabo, ut à me avertat frigus illud, & peporem, conservétque in me spiritum suom bonum, quo agitante calescam.

Phil.) Hoc prudenter, piè, sanctè. Sine afflatu enim Dei nemo Vir magnus existit unquam. Magnum dico illum, qui aliena seposuit omnia, nihil præter se & in fontem Deum, respectans: Qui sibi Pacem facit,

nihil timendo: facit Divitias, nihil concupiscendo: facit Honores, nulli rei te mancipando: facit Delicias, aliena onera suámque libertatem spectando. Verè magnus, rex, triumphator.

Amph.) Deo meo gratias ago, agámque dum vivam, qui me hodie discere id posse fecit, quomodo Magnus, quomodo Rex, quomodo Triumphator, evadam. Et ecce, jam triumpho, jam exsulto in Deo.

Phil.) *Ne triumphum ante victoriam*, fili mi! Bellum tibi demùm instat, & pugna multiplex, tota vitâ depugnanda; & tu jam Pæana canis? Bonum est te Virtutis suavitatem degustasse, & illius amore inebriari: bonum Vitii agnovisse turpitudinem, exitialémque noxam, unde tibi Odium ejus surgit. Sed an ideò jam hostes succubuisse, aut fugâ sic dilapsos ut non redeant, credis? Decipit te, & decipiet, opinio hæc, si eam corde foves. Redibunt sæpiùs hostes, varioque impetu, nisi caves. Quod igitur ego de viro magno, heroicâ Virtute prædito, bellorúmque & victoriarum usu roborato, & triumphatore jam crebrò dixi: hoc tu tiro præproperè ad te trahis. Ah humilitate hîc, & timore, & vigilantiâ opus, non præsumtione.

Amph.) Virtutum decurrere stadium sincerissimâ mente propono: non defuturum mihi divinum auxilium spero.

Phil.) Spera. Non ideò ista monui, ut animum despondeas: sed ut præmonerem, cautè omnia esse agenda, meliora speranda, pejora timenda. Verum enim est quod ajunt, *Prudentem plus metuere quam sperare: Temerarium contrà.* Nam qui omnia sperat, nihilque timet, fit securus & negligens, opprimitúrque facilè. Tu verò sic jam adversus malorum exemplorum venena, quibus scatet Mundus, præmunitus, quid porrò ages?

Amph.) Fugiam otia, sectaborque labores honestos sedulò: Olympum imitatus, qui gaudet semper esse in motu. Tum verò me ab illicita Voluptatum, Opum, Honorum, Scientiæque concupiscentia cohibens, *Tem-*

perantia

perantiæ totâ vitâ ſtudebo. Et in tolerandis proſperis adverſisque æquanimiter, *Fortitudinem & Patientiam* exercebo. Et ad *Humanitatis, Juſtitiæ, Benignitatis* leges me componens, dabo operam ut *Neminem unquam ſciens lædam*, aut contriſtem: & *ſuum cuique tribuam*: inſuperque *Prodeſſe*, cui cui dabitur, quæram. Deum inſuper intimâ *Pietate* colam. Nec obliviſcar virtutum hoc ſtudium coronare *Plenitudine, Sinceritate, Conſtantiâque*, cum Deo.

Phil.) Rectè omnia obſervaſti, & ordine bono expreſiſti. Quæro autem ex te, quâ potiſſimùm ratione Proximis tuis ut proſis laborabis?

Amp.) Omnibus quibus potero, & occaſiones dabunt, modis. Imprimis autem communicando, & commendando, Virtutis viam. *Non enim mihi ſufficiet, Soli eſſe Bono*: alios efficere bonos exemplo & monitis annitar, auxiliante Deo. Rogo autem Pater, antequam à Te diſceſſero, impetri mihi aliquid adhuc de Ipſe Tua: quid præſertim in peragenda reliqua peregrinatiuncula mea obſervandum mihi ſit.

Phil.) Etiam novum poſcis aliquid? Habe: Sequentia obſerva.

Noli omnia
- experere, quæ vides.
- credere, quæ audis.
- dicere, quæ ſcis.
- facere, quæ potes.
- audere, quæ placent.

Non omnibus
- te fac notum, qui tibi obviant.
- notis te fac familiarem.
- familiaribus committe omnia.

Præterea, Res
- amiſſas obliviſcere.
- præteritas dimitte,

Agium nunquam age, ſed agendum:

Et eris ſapiens.

Amph.) Pro hoc tam liberali viatico Tibi, Pater mihi æternâ memor â colende, ſummas ago gratias. Tuus ero dum vivam, ſanctæ tuæ informationis & diſciplinæ ſemper memor. En dextra fideſque! [*Offeret dextram*] Vale.

Phil. dextram ejus tenens.) Non mihi ſic dimittendus, ſed cœnulâ philoſophicâ excipiendus es. Diverte ad me, mecum aliquandiu manerò, melioribus fortè adhuc imbuendus: ut tanto magis in te roboreſcat Virtus tua.

Amph.) Tam liberalis es in me? Deus Tibi benefaciat. Ejà ſequor.

[*Ingredientur*]

EPILOGUS.

Quotquot adeſtis, cujuſcunque ordinis & dignitatis, Viri honoratiſſimi! Totus Scholæ noſtræ grex per me Vobis gratias agit, quòd hodiernis noſtris Exercitiis intereſſe volueritis. Sed & orat per me tria hæc inſuper. *Primum*, ut attendere nobis in poſterum velitis (& quidem ſeriò atque conſtanter) Num nos deinceps ita nos geſturi ſimus, quomodo Pietatis ac honeſtatis requirunt leges: noſque hodie & informati ſumus, & compromiſimus. *Alterum* eſt quod petimus, ut eadem Virtutum documenta, & leges, non minus Vos atque Nos conſtringere certi, duces Vos nobis dare, & tanquam majores minoribus exemplo præire, ne didignemini. Faciliùs ſiquidem Juvenes Virtutis iter inveniunt & tenent, ſi præire ſibi prudentiâ, ſedulitate, continentiâ, humanitate, juſtitiâ, omniqne morum decentiâ, videant Vi-

ros ſenes. *Tandem* orant, ut nobis utrinque revocemus in memoriam illam Moſis ad populum vocem: *Poſui hodie in conſpectu Tuo bonum & malam, Vitam & mortem! Elige vitam ut vivas.* DEUS nos juvet, ut hæc talia non parietibus, aut tectis, vel aëri, dicta velimus, ſed Cordi noſtro! *Mementote, & Valete!*

[*Monendi ſunt Cenſores, in hoc Moralium Theatro non pari amœnitate peragi omnia, & cur ita ſit factum. Quædam nimirum exemplis vivis ſatis repreſentata ſunt (ut* Mundanum ſodalitium, *Actu* I. *Scena* II. *&* III. Ignavus, *Actu* II. *Scena* III. Intemperantes, *Scena* IV.) *alia nuda tantum recitatione proponi, ab Actu* II. *Scena* V. *ad finem ferè. Quod non ſtudio ita eſſe factum, ſed feſtinatione (cum abiturienti ex Hungaria mihi emblematibus excogitandis tempus non ſufficeret) fatendum eſt. Si quem ergo Præceptorum magis oblectare diſcipulos delectabit, perſonas aliquas (ad Vitiorum reliquorum abſurditates, Virtutúmque pulchritudinem, penetrantius ob oculos ponenda) fingere licebit. Nos hîc etiam (ad infirmam, & ludicris adhuc detentam ætatem condeſcendi) exemplô præeuntes, nullum cujuſquam induſtriæ ſufflamen ponere voluimus: potius ad imitandum ſi quid hîc ineſt boni excitaſſe optamus. Quod idem de præcedentibus & ſequentibus intellectum volo Actibus, ſupplendi, demendi, mutandi (tantummodò in melius) plenam cuique relinquendo libertatem.*]

JANUÆ

JANUÆ

LINGUARUM

PRAXEOS COMICÆ

PARS VII.

Res in Regimine Familiæ & Urbis occurrentes repræsentans.

SIRACH 17. v. 12.

Dixit hominibus Deus, Cavete ab omni iniquitate! Et commendavit unicuique Proximum suum.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Neocles Juvenis.
3 Enbulus.
4 Philogamus Juvenis.
5 Avunculus ejus.
6 Neogamus
7 Patruus ejus.
8 Malus Pater familias.
9 } duo filii ejus.
10 }
11 Caupo.
12 Herus cum famulis quatuor, Puero, Janitore, Mediastino, Rationario.
17 Quinque Patres familiàs. Migrans, Matrimonium iterans, Repudians, Exhæredans, Adoptans.
22 Hmandus adoptatus.
23 Egenius Pater ejus.
24 Publius Consul.
25 Urbanus.
26 Felicius.
27 Solon Philosophus.
28 Prudentius.
29 Anchinous (Ingeniarius.)
30 Nitellus (Ædilis)
31 Hydaleus (Aquilex)
32 Decem Senatores, mutæ personæ.
43 Notarius.
44 Dicastus (Prætor.)
45 Assessores quatuor.
49 Advocatus.
50 Curio Fabrorum.
51 Mercator.
52 Tabernarius.
53 Propola.
54 Auctionarius.
55 Medicus.
56 Pharmacopola.
57 Chymicus.
58 Chirurgus.
59 Rusticus.
60 Mercenarius.
61 Tribunus plebis.
62 Baucus.
63 Comœdus.
64 Puellus.
65 Sybarita
66 Libitinarius.
67 Amanuensis.
68 Epilogus.

PRO-

PROLOGUS.

Magni Patroni & Fautores,

REvocare nobis in memoriam ſolent Præceptores noſtri feſtivum Philippi Melánchtonis, Literarum per Germaniam Reparatoris, apophthegma: qui Scholas triviales ingredi ſolitus, pubem literariam aperto capite ita ſalutabat; [*Hic ſe à Spectatoribus avertet ad cœtum Sholaſticum.*] *Salvete Domini Baccalaurei, Magiſtri Doctores, Syndici, Conſules, Senatores, Secretarii, Cancellarii Reverendique Paſtores, Superattendentes, Epiſcopi!* [*Hic ſe rurſum obvertet Theatro.*] Quúmque adſtantium aliqui riſu hoc excipèrent, reſpondit; *Non jocor, ſerium mihi ſermo eſt. Talibus enim Viris, poſt deceſſum noſtrum opus habebit Reſpublica, Eccleſia, Scholæ: quorundæ niſi ex hac Literaria turba exſpectabimus?* Quod ſapientiſſimi Viri judicium nobis quoque, qui Veſtro hoc in Lyceo Literis & bonæ Menti navamus operam, ſtimulo eſt, ut qualeſcunque videamur nunc, olim tamen *Regum aut Principium Conſiliarii, Secretarii, Cancellarii, Legati, Belli duces, Comites aut vice-Comites, Judices: Eccleſiarum item Præſides & Patroni, Scholarumve Rectores, Magiſtri, Doctores*, audire queamus.

Ad quam ſpem quomodo ſapienter in hac Schola inſtituris Exercitiis diſponamur, & intellexiſtis jam nonnulla, & intelligeris porrò plura. Hodie Vobis oſtendemus, *quomodo ad ea, quæ in Vita Oeconomica & Politica geruntur, intelligendum rectè, & agendum pulchrè, præparemur.*

Quod dum è medio noſtri quidam Veſtro in conſpectu ad vivum repræſentabunt, Vos ſpectatores togam & animos placidè componite.

ACTUS

ACTUS I.

Res Oeconomicas adumbrans.

SCENA I.

Neocles Juvenis prodit, de Vitæ ſtatu ſecum ipſe delibe-rans.

Puer fui, Scholam frequentavi, Literas ad frugalem uſum didici: inde me peregrinationi dedi, varios hominum Mores luſtraturus & Urbes, Sequutus etiam non nihil militiam, vitámque deguſtavi Aulicam. Ubique aliquid inveni boni & mali! quælibet res aliquid habet ſuavitatis, aliquid amaritudinis. Atque ita fortè per totam erit vitam, quocunque nos fors aut ſors deferet, ubique erit quod oblectet & quod moleſtet. Verumenimverò ego, re undique benè penſitatâ, vidêo mihi non ſemper vagam eſſe agendam vitam: certum aliquem vitæ ſtatum eligam neceſſe eſt, in quo Deo & humanæ ſocietati ſerviam. Didici namque in Scholis, & obſervavi jam ipſâ praxi, *Hominem eſſe animal ſociabile*, à Creatore ita factum, ut ſolitaria vita triſtitiam habeat & tædia. Unde eſt, ut jam inde à Rerum exordio homines ſeſe pro adjutoriis mutuis, in *Familias*, *Reſpublicas*, *Regna*, conſociare gaviſi ſint: ad communia commoda unanimiter procurandum. Ego autem quid occipiam? Cuinam iſtarum ſocietatum me aggregabo? In Regni aut Reipublicæ membrum coaleſcere quomodo tentabo? Neſcio. Gradatim tamen fortaſſis eundum erit: ut à Familia gubernanda incipiam, domeſticumque mihi Regnum ſuper Uxorem, Liberos, Famulos, Inquilinos, primùm conſtituam. Nempe didici Conſociationem domeſticam eſſe trinam, *Conjugalem*, *Parentalem*, *Herilem*,

ritè coaliram in familiam unam: quam regit Paterfamilâs cum Matrefamilâs; quibus ſubſunt Filiifamiliâs cum Filiabusfamiliâs, univerſoque Famulitio. At enim, qui Equos alere vult, Stabulum priùs paret neceſſe, ita mihi antequam paravero Familiam, domicilio fore opus video. Quæ res & impenſas requiret, & conſilium bonum, ut impenſæ ne fiant fruſtra. Et quia mihi non deſunt nummis benè inſtructi loculi, circumſpiciendus eſt aliquis, qui me conſilio juvet. Ecce autem peropportunè mihi obvium Eubúlum, Oeconomicâ prudentiâ celebrem! Hunc alloquar, ab hoc conſilium exquiram.

ACTUS I. SCENA II.

Neocles Juvenis cum Eubulo Viro prudenti.

Neocles.) Salute plurimâ te impertior, Vir mihi honoratiſſime Eubule.

Eubul.) Eandem impertio tibi Neocles. Unde tam lætus?

Neocl.) Meditatum prodieram in campum: intérque ſedeundum optabam mihi dari aliquem, à quo in propoſito meo inſtrui poſſem conſilio bono.

Eubul.) Quid opus? Ego te ingenioſum eſſe, doctrinâque non malè excultum ſcio. Alieno conſilio quid tibi opus?

Neocl.) Equidem nos Juvenes aliquando ſupra ſenes ſapere nobis videmur: ſapientia tamen noſtra revera cruda eſt, niſi ſenili aliquâ percoquatur prudentiâ. Id quod ego in hac juveníli ætate mea jam aliquoties expertus, propoſui non facilè mihi fidere, aliena nunquam aſpernari conſilia.

Eub.) Propoſitum hoc, de propriæ prudentiæ non facilè fidendo, magna prudentiæ pars eſt. Vide tamen, ne te nimis permittas aliis: regimen tui penes te ſit. Quem dux, qui in te conſilio velis uti? *Neocl.)*

Neocl.) Vitam Oeconomicam inchoare decrevi.

Eub.) Jámne tandem? poſt exantlatos tot peregrinationum labores? Grátulor: úrque quod agis proſpere agas, opto!

Neocl.) Gratiam habeo: atque ut pro amicitia illa, quæ tibi cum Patre interceſſerat meo, me conſilio ne deſeras, oro.

Eub.) Quid igitur vis?

Neocl.) Paternas ædes mihi eſſe amplas, ſed ruinoſas, non ignoras. Demoliri ergò à fundamentis omnia iſta vetera, & excitare à fundamentis omnia nova, conſtituti. Sed cum ipſe nec architectus ſim, nec Oecónomus, prænonſtrari mihi velim, quomodo non magnâ ædificiorum mole magna mihi ad habitandum parare queam commoda. Hoc ut me doceas oro: tu, cui domi ſuæ nihil commoditatum deeſſe partim ſcio, partim audio.

Eub.) Haud deſipis, qui Oeconomicæ Vitæ tationem inde auſpicaris, ut tibi & tuis bonum pares nidum: Aves enim cœleſtes, ſapientiſſimâ naturâ doctrice, præeunt exemplo. Attende igitur: docebo te id, & ſummatim & particulatim. Summa eſt: ut pro numero poſſeſſionum cùm familiæ tùm Oeconomicæ ſupellectilis, tibi pares copiam: ad hujus autem & illius multitudinem aut paucitatem proportionatè tibi exſtruas ædificia ſic, ut nullus neceſſarius locus deſit, nullus citra neceſſitatem extruatur. Particulariter hæc obſerva. Vide ut Domum tibi pares habitationi *commodam, tutam, ornatam. Commodam* facient Conclavia juſtæ amplitudinis, benè diſtincta, pro omnigeno uſu, ut jam dixi: *Tutam*, Januæ benè obſeratæ, & Feneſtræ benè cancellatæ, vel clathratæ: *Ornatam* denique parietes benè feneſtrati, albati, picturati.

Neocl.) Dic de Conclavibus in ſpecie, qualia requiruntur?

Eub.) Primarium erit pro cohabitatione & convictu familiæ, *Hypocauſtum*, (*ſeu Hibernaculum*) Fornace inſtructum vel Camino. Dehinc pro penore aſſervando,

Cella

Cella penuaria: & pro cibis parandis, *Culina*: & pro excipiendis convivio hospitibus, *Cœnaculum*, mensatiâ suppellectile apparatum: & pro nocturna quiete *Dormitoria* seu Cubicula, (*& hæc quidem distincta pro Liberis, pro servis, pro servabus, pro hospitibus*) Tandem pro aliis rebus rebus reconditoria, *Cellæ, Cameræ, Armaria, Arcas, &c.* Pro transferendis denique rebus *Sportæ, Corbini*, & similia. *Cubiculum* verò habeat necesse est, *Spondas* ligneas, & *lectisternia* plumea: & pro levanda noctu vesica *Matulas*, proque alvo exoneranda ad structos secessus, seu *Latrinas*. (*Delicati etiam sibi pro meridianâ reclinatione grabatos ponunt.*) Cætera usus dabit.

Neocl.) Nihilne præterea monebis?

Eubul.) Non video qu d adeò sit necessarium; nisi fortè ut de bona totius Contubernii ordinatione dicam aliquid. Quæ in accurata rerum & officiorum distributione sita est: nempe ut quæque res in domo habeat suum locum, & quivis locus suam rem; quo ex ipso mox adspectu pareat, quid adsit vel absit. Similiter quisque domesticus habeat suam functionem, & quæque functio suum agentem: ut ne respectando alius alium, omnes agant incuriosè. Vinculum denique omnis boni ordinis erit, ut tu ipse, tanquam bonus Oeconomus, omnium agas inspectorem, quotidiéque lustres omnia tua. *Domini oculus saginat Equum*, ut habet proverbium.

Neoc.) Memor ero.

ACTUS I. SCENA III.

Philogamus (*Nupturiens*) *Juvenis, cum Avunculo suo.*

Phil.) Dilecte Avuncule, quem inde à parentum obitu paris soliti loco, tuumque in me paternum vicissim

expertus ſum amorem : Venio nunc ad Te conſilii cauſâ, quod te mihi non negaturum ſpero.

Avunc.) Fidenter in ſinum depone meum, quicquid animo verſas : fidele tibi non defore conſilium meum, reipſâ ſentiès.

Philog.) Vides mihi ætatem eſſe ex legum *præſcripto* juſtam, eoque paternam capeſſendi hæreditatem adeſſe tempus : conſilium venio exquiſiturus, annon mihi de matrimonio ineundo ſuſcipiendæ jam ſint cogitationes?

Avunc.) Si ad rem familiarem animum adjicis : Familiæ utique baſis eſt Conjugium, ad generis humani propagationem divinitùs ſanctum. Inde enim veniunt legitimi Liberi, & propter liberos Famulatus, cum reliquo Oeconomico apparatu.

Phil.) Quæſo te Domine Avuncule, informare me ne pigeat, quid circa contrahendum matrimonium obſervari neceſſe ſit. Ego enim rerum iſtarum hactenùs incuriosus, nihil quomodo iſta ſuſcipi, vel agi, ſoleant, ſcio. Natra igitur mihi ritus in hoc negotio obſervari ſolitos, ut inde mihi aliquam formare queam ideam.

Avun.) Natrabo, quando ita vis, ordine. Matrimonio junguntur mas & fœmina : nec refert, utrum ille ſit Juvenis aut Viduus, illa Virgo aut vidua, dummodò ambo ſint cœlibes ac nubiles, nec prænimis diſpares ætate, aut ſe nimis tangentes Conſanguinitate, ne nuptiæ fiant inceſtuoſæ. Maſculus diſpicet ſibi de fœmella, ad nubendum habili (*nimium juvencula, nimiúmque exoletæ, & anus, ſunt illocabiles*;) quæ honeſtè nata ſit & pudicè educata, famâque illibatâ. Utrum inſigniter dotata, aut elegans, non adeò curandum : quæ dos & forma ſunt bona tranſitoria, & excitant plerumque rivales, quorum alterum ferre repulſam neceſſe eſt.

Philog.) Felix cui formoſa etiam, & benè dotata contingit uxor, nullo obſtante rivali.

Avunc.) Si ita vis, ut felix ſias Sponſus, Septem cir-

oumſpice

cumspecta Sponsæ requisita, à septem P. inchoata; nempe ut sit *Pia, Prosapiæ honestæ, Pudica, Patiens laborum, Par ætate, Pulchra, Pecuniosa.*

Philog.) Quàm pulchrè hoc! repete quæso.

Avunc.) Ut sit pia, prosapiæ honestæ, pudica, patiens laborum par ætate, pulchra, pecuniosa.

Philog.) Cur formam & pecuniam in ultimum rejicis?

Avunc.) Quia ultimo respectanda sunt: utpote quæ utut alliciunt, periculi tamen aliquid habent, atquæ ut plurimum adferunt. Pecuniosa siquidem uxor imperiosa est, regnare vult viro, quem ditavit: formosa verò etiam nupta insidias patitur, juxta Poëtam dicentem, *Lis est cum forma firma pudicitia.*

Phil.) Quid verò Sponsa in sponso respectare debet?

Avunc.) Tria S. potissimum; nempe ut sit *Sapiens, & Solers (res suas bene gerens.) Sobrius* denique & temperans.

Phil.) Sit ita: perge reliqua.

Avunc.) Postquam Juvenis adamârit aliquam, quamdiu hanc procat, vocatur Procus, (*sive procat per se, sive per conciliatricem*:) atque si uterque nupturientium *patrimus* est, aut *matrimus*, nihil tentant insciis parentibus: si his orbi, consulunt Curatores. Cùm Amasius obtinet, ut sibi Amasia desponderatur, celebrantur Sponsalia, confirmatúrque desponsatio sponsalitiis arrhis; alicubi etiam proclamantur desponsati publicè è suggestu, ne Connubia fiant clandestina. Tùm dies dicitur Nuptiis, quâ (*nisi forte repudium interveniisset*) copulantur à Parocho, ad amicabilem & indissolubilem cohabitationem; atque sic fiunt Conjuges juratâ pactione: quam solenniratem cohonestant utriusque paris necessarii: & Paranymphi, comitantes Sponsum; pronubæque concinnantes Sponsam. A nuptiis Sponsa ducitur in ædes Sponsi, hunque repotia; & tum illa recipit nomen Mariti; illa Maritæ: eos verò qui

qui sibi elocarunt natam & gnarum incipiunt vocare, Socerum & Socrum; ipsi ab eis appellandi Gener & Nurus. Qui vero *élocant* Nepotem vel Neptim, fiunt Prosocer & Prosocrus; qui duxit, Progener; quæ nupsit, Pronarus: sed Mariti frater, est Levir; ejusdem soror, Glos fratris uxor, Fratria; sororis maritus, Sororius: cæteri conjugatorum cognati fiunt inter se Affines.

Phil.) Maritorum verò quæ sunt erga invicem officia?

Avunc. Commune conjugum officium est, præstare sibi mutuò amorem & fidelitatem, ut neuter alteri sit inviſus, & infidus. Mariti seorsim est sustentare & protegere uxorem; hujus rursum accommodare se consorti, eumque venerari. Habes, fili, totum nubendi processum: vide jam quid ex re tua sit.

Phil.) Cogitabo de his: & ex consilio Poëtæ, dicentis; *Elige cui dicas; Tu mihi sola places*, talem mihi eligere Sponsam quæram, quæ sit Virtutum exemplar, verum vitæ meæ solamen.

Avunc.) Ita dilecte fili eo collima. Uxorem invenire facilè est: bonam invenire, non æquè. Hoc soli illi contingit, cui DEUS propitius est. Dum ergò hoc uxoriæ rei negotium mente versas, indefinenter Deum ora ut prosperet, ipseque Tibi de adjutorio Vitæ prospiciat, qui meliùs omnia novit, quàm nos in mente concipere possumus.

Phil.) Faciam, tibique mi Domine Avuncule pro bonis hisce monitis gratias ago. Vale.

Avunc.) Vale & Tu! resque tuas prudenter cum Deo age.

ACTUS I. SCENA IV.

Neogamus (nuper maritus) cum *Patruo* suo: intervenientéque postea *pessimo Patrefamiliâs, próligo, cum liberis esurientibus. Caupo debita exigens.*

Neog. Suavissime Patrue, auxime nuper, ut nosti, rei familiaris adjutorio, uxore: nunc, nescio spes dicam an metus nobis est, auctum iri familiam, novâ prole.

Patr.) Itáne? Laudare Deum, qui conjugatis benedicere solet sobole, masculâ vel fœmineâ: cujus intuitu à Conjugibus fiunt parentes, Pater & Mater.

Neog.) Informa me super his, si placet, ut ego uxorem possim meam.

Patr.) Illi quidem informandæ non deerunt Matronæ: Tu tamen quia domûs Tuæ inspecto rem agere debes, Educationisque liberorum partes primæ erunt tuæ, bonum est non ignorare te, quid parentalis requirat cura. Redigam igitur omnia in summam.

Quum gravidæ adest pariendi tempus, Deúsque avertit aborrionis casum, enititur filiolum seu filiolam: (*quandoque gemellos, raro tergeminos*) & postquam péperit, fit Puérpera, latitans domi tempore puerperii, totis sex septimanis à partu. Obstetrix excipit infantulum tepidulo balneolō, lætanterque (*si videt esse corpusculō salubri, & absque navo*) reponit in Cunas, involutum fasciis & religatum; vagientem autem délinit Cunarum prorsum rursum agitatione, & consopit. Alma Genitrix (*aut etiam conducta Nutrix*) fovet suum alumnum reclivem in sinu, amplexatur, osculatur, suaviatur, præbénsque ubera esurienti, lactat (*pusio ipse lactet:*) paulò tamen pòst satiat pappâ: præmansove cibò. Geraria abstergit sordidatum molliculis linteolis, & involvit plumeis

lectulis, ne algeat: sæpiusculè etiam impositum ulnis circumgestat, ut adsuescat sessitationi. A lactatione pervenitur ad ablactationem, & à cunabulis ad serperastra, ut condiscat ibi manducare cibos solidiores; hic incedere firmiter, bimulus circiter: quanquam generosioris naturæ quidam sub exitum jam primi anni lallare & cursitare incipiunt. Reliquum infantilis ætatis exigitur lusitando, pupis, crepitaculis, cæteriſque crepundiis: sed petulanter evagantem, aut flentem, solent territare *Manducô*, ficto terriculamento.

Neog.) Prognatorum ex eadem stirpe quinam sunt gradus & denominationes?

Patr.) Ex eodem utroque parente nati, vocantur germani, fratres & sorores: ex eodem patre duntaxat, semigermani; ex eadem matre tantùm, uterini: cæteri venientes ab eâdem progenie, Consanguinei, è paterna stirpe, Agnati; è maternâ, Cognati. Vitricus & Novercа habent privignos & privignas. [*Tum dicet*] Reliqua Tibi meliùs ostendero in hâc Tabulâ, quam *Arborem Consanguinitatis* vocant. *En!*

ARBOR

ARBOR CONSANGUINITATIS.



[*Tum in medium ejus circulum intendens digitum, dicet.*]

Ecce ſcriptum hîc, HOMO! nempe cujus Genealogiam inquirimus, ut in præſenti Tuam. Pone ergò reipſum hoc loco: videamuſque gradus aſcendentes per lineam rectam. Ecce, hîc eſt *Pater* tuus, & *Mater* tua! Pater verò tui parentis, utriuſlibet, eſt tuus *Avus*. ecce! mater ejuſdem, tua *Avia*: porrò, horum parentes, tuus *Proavus* & *Proavia*; iſtorum, tuus *Abavus* & *Abavia*; illorum, tuus *Atavus* & *Atavia*, rurſúſque horum, tuus *Tritavus* & *Tritavia*; qui ſuprà ſunt, vocantur *Majores*. Videamus lineam deſcendentem rectam. Tu ſi habebis liberos, erunt *Filii* & *Filiæ*, ecce! Liberorum verò tuorum Liberi (ſi eos dabit Deus) erunt *Nepos* & *Neptis*; iſtorum, *Pronepos* & *Proneptis*; illorum *Abnepos* & *Abneptis*; inde ſunt, *Atnepos* & *Atneptis*; *Trinepos* & *Trineptis*; qui intra hos erunt, appellabuntur *Pronepotes*. Collaterales videamus lineas! Ecce ad latus tibi *Frater* tuus, & *Soror* tua! Patris verò frater, eſt tuus *Patruus*; ut me tibi eſſe vides, & ita ſalutas. Matris frater, *Avunculus*; patris ſoror, tua *Amita*; Matris ſoror, *Matertera*: ſupra hos ſunt *Propatruus* & *Proamita*, *Abpatruus* & *Abamita*; *Proavunculus* & *Promatertera*, *Abavunculus* & *Abmatertera*. Duorum verò fratrum liberi (ut Tui, & Fratris tui) erunt ſibi *Patrueles*; duarum ſororum, *Conſobrini*; Fratris ac ſororis, *Amitini* & *Matruéles*; ſed horum omnium indiſtinctè *Sobrini*.

Neog.) In quàm multos & denſos ramos, quàmque ampliè ſurſum & deorſum, & ad latera, ſparſos, diffundit ſe iſta Conſanguineitatis Arbor!

Patr.) Ex uno ſanguine fecit Deus totam humanam Gentem, habitantem in facie terræ. Omnes iraque reverâ ſumus conſanguinei: ſed gradus Conſanguineitatis non numeramus niſi propinquiores iſtos aliquot. Imò plebis vulgus vix ultrà Patrem & Avum aſcendunt.

Neog.)

Neog.) Promisisti, ni fallor, de parentum erga liberos officiis aliquid me docere : transeamus eo.

Patr.) Transeamus. Parentum Officium primarium est, *Attendere Educationi* : hoc est, adsuefacere prolem ad Operositatem, Moralitatem, Pietatem : retrahere verò ab ignavia, morositate *(ne consuescant incedere incomti, impexi, illoti, squalidi,)* impietate : sed quædam matercullæ solent nimis blandiri, & indulgere filiis, præsertim unigenitis ; quâ corruptelâ illi fiunt immorigeri, tandemque degeneres.

Neog.) Hoc ego, si me & liberos vivere sinet Deus, non permittam.

Patr.) Sapies. Diligi possunt liberi, & debent : sed ita, ne illi hoc sentiant, metuant potiùs. Quàm noxia enim sit nimia liberorum dilectio, dissolutam secum trahens indulgentiam, ostendere velut in speculo Homini voluit Creator, in turpissima bestia, *Simia*, quæ catulos suos cùm hominibus ostentandi, tùm amplexibus comprimendi, adeò nescit modum, ut quandoque arctissimo complexu animum illis elidat, & sic stolido suo amore perimat. Prorsus idem faciunt, qui nimia indulgentiâ filios animâ & corpore perdunt. Quod ut præcaveatur, Ingenui liberi ita sunt Verbis & exemplis, disciplinæque metu formandi, ut obsequentes fiant suis Genitoribus, ad nutum ; fugiant impatientiam & murmura, multoque magis contumaciam & pervicaciam, ne illis moveant iram, aut sint dehonestamento. Attende aliud insuper Parentum officium, *Colligere Liberis hæreditatem* : cujus participes fiunt posthumi etiam (hoc est *post parentale funus nati*) sed spurios & nothos exhæredes jura volunt.

[*Hæc obsequente prodibit in Theatrum Paterfamilias rei suæ decoctor, totus pannosus & semipotus, ululabans : quem duo seminudi pueri insequendo clamabunt.*]

Puer.) Pater, panem : frustulum panis da, ò Pater.

Prodigus, respectans & restitans.) Non habeo : ite ad Matrem.

Pueri.)

Pueri.) Mater non habet.

Prod.) Nec ego.

Pueri.) Da vel unum groſſum, ut matercula panem emat.

Prod.) Groſſum? Ne obulus quidem mihi eſt.

Pueri, prehenſa ejus veſte.) Patercule, miſerere noſtri, mederè fami.

Prod. eos à ſe trudens.) Ite ad matrem, illa provideat.

[*Tum ſe non conſinens Neogamus, dicet.*] Tuine ſunt hi Liberi?

Prod.) Sunt.

Neog.) Cur ergò illis victum & amictum non præſpicis?

Prod.) Egeſtas non ſinit.

Neog.) Et quis Tibi egeſtatem attulit? Gula tua, ut video, profligatiſſime homo. Hocne eſt liberis colligere hæreditatem? ut patre etiam orbati patrimonio gaudere queant, & non probroſa mendicabula, aut fures & latrones, vel aliâs deſperati, fiant. Tu verò illorum patrimonium, quod labore manuum, tuarum, & frugalitate, creſcere debuit, ipſe dilapidas, & tuum in ventrem mergis, injuſtiſſime homo.

Prod.) Cur me injuſtum appellas? an tibi furatus ſum aliquid?

Neog.) Uxori & liberis furaris quotidie: illos depraedaris.

Prod.) Egone illis comparcendo genium defraudabo meum? Illorum causâ furim feram? ſi vivere volent, laborent ſicut ego.

Neog.) Appâret, quàm ſis laborioſus, pannucia hæc oſtendunt [*vellicabit laceras ejus veſtes.*]

Prod. eum à ſe retrudens.) Quid tibi mecum negotii eſt? Age tu res tuas, me fac miſſum.

Neog.) Ah Magiſtratus, Magiſtratus hîc invigilare debebat meliùs, leviſſimoſque id genus lurcones ſi non ſupplicijs, at carceribus coërcere.

Prod.

Prod. Sannas ille exhibens.) Bombax!

Patr.) Perditiſſime homo, itáne apud te nec tuorum preces & lacrymæ, nec bonorum virorum monita, quidquam proficiunt? Ecce, Magiſtratum adeo, impetraturus, ut mox ad carceres rapiaris.

[*Hîc ille conceptô metu fugiet: ſed incidet in Cauponem, qui prehenſum tenebit & alloquetur.*]

Caupo.) Jamne te ſum nactus, peſſime debitor? Solve quod in Cauponam debes.

Prodigus caput ſcalpens.) Nondum nummos habeo.

Caupo.) Ecquando habebis?

Prod.) Dum vendidero Domum.

Caupo.) Quis emet tàm laceram? Atque ſi emet, cui priùs ſolves? Audio enim te undique obæratum eſſe, animam debere. Veni ad Judicem.

Prod.) Dimitte me quæſo; laborabo jam, pane & aquâ contentus, donec & tibi & aliis ſatisfecero.

Caupo illum dimittens.) Eja, utar adhuc patientiâ, ſed cave ſi aliter faxis.

[*Exibuntque theatrô*]

Patr.) Interturbavit nos iſte infelix patrimonii gurges & Vorágo: aptè tamen ad rem. Habuiſti enim exemplum prodigalitate ſuâ ſe & rem ſuam, ſuoſque, perdentis, peſſimi Patris familiâs: ut ſit quod caveas magis. Redeamus verò in viam ſermonis noſtri de parentum officiis. Si præmaturè ſibi demoriendum vident, relicturi poſt ſe ſuperſtites orphanos minorennes, áddecet conſtitui teſtamento orbitatis præſidium, Tutores: qui debent vindicare ab injuriosis perinde ac ſuos, dumque tutèla eſt deponenda, reddere rationem pupillis, juxta Inventaria, nihil eſſe abalienatum. Quùm verò majorennes herciſcunt bona ipſi inter ſe, tributio comperit maximo natu, prælectio minimo natu, & ſic conſequenter: ſed alicubi primogenitus ſit hæres ex aſſe: alibi legatarii etiam litigant, legato non contenti; potiſſimùm ſi quis inteſtatò decedat.

Ita

Ita tibi primaria quæque, in parentali ſocietate obvenient a, enarravi. Tu his ad profectum tuum utere: ut ſi te Deus, & Dei ope dilecta conjux, pulchrâ prole Parentem fecerit, boni Patris perſonam ſcitè agas.

Neog.) Gratias tibi ſummas & habeo, & ago, & reddam quâ potero, mi Domine Patrue.

ACTUS I. SCENA V.

Herus cum puero & famulis tribus. Prodibit tamen primò ſolus, togatus, cum ſcipione in manu: obambulanſque ita ſecum loquetur.

Herus.) Non eſt exiguum quid, licet imperitis leve videatur, Patremfamiliâs agere. Habere ſcilicet ſua ſub cura, & cuſtodia, Uxorem, Liberos, Famulitium, Inquilinos, cum tota rei domeſticæ ſupellectile, omnique negotiorum circa Vineas, horros, agros, horrea, &c. mole. Adam primus pater cum ſola ſua Eva vixit concorditer: auctâ vero illi per ſobolem familiâ, nonniſi ſuos circa ſe habuit. Nos nunc extraneos quoque admittere, & ſervitiis conducere cogimur. Famulos & famulas: reſpectu quorum parentes fiunt *Herus* & *Hera*. Quæ nova ſocietas nova rurſum pacta, officia, leges, curam & attentionem, requirit: dum hi ſæpè infideles ſunt, aut ſaltem negligentes, quemadmodum experimur quotidie. Mihi cum meis denuò expoſtulandum eſt. Heus puer, ubi es?

Puer.) Adſum Domine, quid placet?

Herus.) Voca Famulos, omnes tres, huc ad me veniant. Adhuc ſtas? Vola!

Puer.) Volo.

[Pre-

[*Properipetque ſe tanquam volaturus, & mox cum illis redibit: quos Herus, interim in ſella conſidens, ſic alloquitur.*]

Herus.) Incidit quiddam, cur Vos accerſitos volui, ad redintegrationem ordinis boni in Domo: confuſionem enim ferre nequeo. Ordiar tamen altiùs, ut Vos officii Veſtri admoneam acriùs. Olim *Servi* dicebantur illi, qui in bello capti erant ab hoſtibus: & cùm occidi potuiſſent, ſervati tamen fuerunt ad ſerviria. Quibus & *Mancip.orum* erat nomen: quia *manu capti*. In hos vitæ & necis poteſtas fuit, ſi deprehenſi fuerunt infideles, aut negligentes. Servorum autem nati, dicebantur *Vernæ*, melioris paulò conditionis, quippe ad beneplacitum Herorum educari. Utrique tamen (Servi & Vernæ,) ſi ſe laudabiliter geſſeramt, fiebant liberi per manumiſſionem Dominorum, ritibus certis, & coram teſtibus idoneis: atque tùm dicebantur *Liberti*, & *Manumiſſi*. Apud nos (*in Chriſtianitate*) rigor iſte deſiit: pauperiores ſerviunt liberè, cui volunt, mercede conducti, habentúrque *Clientum & Clientarum* inſtar ſub *Patrenis* quos ſibi elegerunt. Sicuti Vos elegiſtis me, ego autem Vos conduxi, & in familiam aſcivi. Itáne eſt?

Famuli.) Ita eſt Domine, agnoſcimus.

Herus.) Ipſa igitur tolerabilior conditio Veſtra (quàm fuit in Gentiliſmo, & adhuc perſeverat apud Turcas) admonere Vos debet fidelitatis, ut ſerviatis liberaliter, ſi nolitis tractari ſerviliter. Anne?

Famuli.) Ita eſt Domine.

Herus.) Eſt utique ita. Mem ni ego probè, quod meum ſit munus: meminiſſe & Vos debebatis, quid Vos deceat. Meum eſt, tanquam Heri (1) præbere Vobis alimoniam (2) & diſtribuere quot diebus laborum penſa (3) tùm interviſere, an quiſque agat quod debet, & quomodo? (4) Defendere Vos ab injurii. (5) Tandem annuam reddere mercedem fideliter, & ornare teſtimonio bono. Itáne eſt?

Famuli.)

Famuli.) Ita ſperamus.

Herus.) Famulorum contra eſt (1) Diligere Heros ſuos, & honorare. (2) Demandatas operas exſequi fideliter. (3) Præcavere damna & incommoda. (4) Cum Conſervis vivere concorditer, non rixari, non oggannire, non hero aut ſibi invicem ægrè facere. Itáne?

Famuli.) Jure iſta exigi omnia agnoſcimus.

Herus.) Cur igitur tu Jánitor nocte præteritâ Domum reliquiſti inobſeratam?

Janit.) Condonari mihi peto Domine; oblivione factum.

Herus.) Tu Mediáſtine, quàm disjecta relinquis in atrio, & ubique, omnia?

Mediaſt.) Colligam ſtatim & componam.

Herus.) Inadmonitus facere debebas. Clavem hanc quis fregit?

Mediaſt.) Neſcio.

Janit.) Me fugit.

Herus.) Tu Rationarie ubi eras heri? Cum quo computabas?

Ration.) Invitaverat me Vicini cognatus ad hauſtum Vini: non tamen ibi diu ſum moratus, redire feſtinavi.

Herus.) Si quid ſecùs deprehendero, cave! Abire ad operas! *Otia dant vitia*: Domus boni Patrisfamiliàs, formicarum nidus eſſe debet.

[*Ibunt: ipſa verò ſurgens.*]

Herus.) Quàm ingenioſi ſunt ad fingendas excuſationes! Sed *manta modò*, attendam ego Vobis mélius.

[*Exibitque pariter.*]

[Nota. *Manta modò*, Plautinum eſt: pro eo quod vulgò dicimus, *Expecta tantùm.*

ACTUS I. SCENA VI.

In qua Patres familiâs quinque prodibunt, circumsidebúntque mènsam: Migrans, Matrimonium iterans, Repudians, Exhæredans, Adoptans, cum puero in Adoptivo.

Migrans.) Quàm nihil est firmum aut stabile in rebus humanis! etiam in Oeconomico nostro statu. Placétne, amici, rem illam sermone agitemus paululum!

Matrim. iterans) Mihi non displicet.

Repud.) Nemo fortè erit qui non querelæ aliquid deponere habeat in medium.

Exhær. Eheu! ego miserorum unus sum.

Adopt.) Ego miseriæ meæ remedium hodie venio quæsitum. Dicat ergò quisque, ubi suus eum urgeat calceus.

Migrans.) Felicem Poëta deprædicat illum, cui ture paterno consenescere contingit; ut quæ domus viderat puerum, eadem videat senem. Mihi tam beato esse non licet: migrandum est mihi, & habitatio transferenda aliorsum, Vobísque amici Vale dicendum.

Matrim. iter.) Quare? quid accidit?

Migr.) Transmigrationis causæ aliis aliæ solent esse. Aliquando si familia increscit, ut eam Domus una capere nequeat, aut sustentare locus unus; pars familiæ aliò se transferat necesse est. Aliquando ob malos Vicinos, aut duros loci Dominos, aut ob morbos; aue quia alibi rei familiaris speratur melioratio, commigratur aliò. Mihi meæ sunt causæ, quas tacebo.

Repud.) Quisque suos patimur manes. *Non autem fieri potest, ut nobiscum maneas?*

Migrans.) Non est ut fieri possit. Jam res immobiles, domum, hortos, agros, divendidi: mobiles autem *convasavi*, ut mecum unâ transferam. Valete amici!

amici! amicúmque abſentem etiam diligite!

Mat. iter.) Amica nobis tui recordatio erit, ne dubita. Sed mane, dum cæptum de mutationibus rei Oeconomicæ pertexuerimus ſermonem.

Migrans.) Si vulnera uſque refricare placet, eſto.

Matrim. iter.) Dulce eſt meminiſſe malorum, ſi tes tranſeant in melius: ſicuti mihi hodie. Quem enim nuper vidiſtis Viduum, mox videbitis Sponſum: ad ſecunda vota tranſibo brevi,& quidem cum lectiſſima matrona, & matre familiâs optima.

Repud.) O te felicem! ò me contrà ipſo infortunio infortunatorem! duplici jam Conjugii diſcidio mactatum. Cùm enim prima mihi ducenda erat Uxor, noſtis quàm neceſſe habuerim deſponſatæ jam *Repudium* mittere. Quam verò poſtea duxi, & adhuc in domo mea eſt, cum ea *Divortium* facere adigor.

Matrim. iter.) Quæ hæc tua morositas?

Repud.) Ah non meâ culpâ fit. Abominor ego barbaram iſtam quamundam Gentium conſuetudinem, vel nulla de cauſâ nuptam, niſi quòd connubialem cum illa vitam agere diſpliceat, repudiantium. Mihi ſejungendi mei meis, cauſa eſt quam ipſe Deus ſanxit, conjugalis thori macula. Sed!

[*Abrumpet ſermonem, complosis manibus, ſuſpiriosque & gemitu.*]

Exhæredans.) Fata tibi reducant meliorem ſortem. Ego propter degeneres filios angor. Quorum nam quaximum propter propudioſa facta jam exhæredavi, imò etiam è familia abdicavi: ut ſe à nomine meo ne cognominet, à filiiſque & filiabus meis frater non agnoſcatur.

Adoptans.) Nimium ſeverè.

Exhær.) Severitate fuit adverſus inemendabilem opus ut cæteri, mei & alieni, metu conſtricti emendarentur facilùs.

Adoptans.) Apud me in contrarium mutatur ratio. Ti pro

proprium ab hæreditatis jure excluſiſti: ego alienum in hæredituris jus admitto. Quia enim in ſterili matrimonio vivere me hactenus contigit, nec jam prolis ſpes ſupereſt, (*Conjugium autem ſine prole, eſſe Mundum ſine Sole*, id eſt triſte, noſtis) ut quis de bonis meis gaudebit (poſt fata mea) vivus adhuc ſciam, elegi mihi pauperiorum quidem parentum, ſed honeſtè natum, & perquam bonæ indolis, & perſpectæ mihi jam virtutis, adoleſcentulum. Hunc Vobis teſtibus adoptare volo. Placetne ut advocetur?

Migrans.) Fiat, ſi placet.

Adopt.) Heus tu puer, [*Stabit eminus in hunc uſum ſubornatus puer*] adeſto. [*Veniet*] Noſtine in hac vicinia habitantem *Petrum Egenum*?

Puer.) Novi Domine.

Adopt.) Curre, ſaluta eum nomine meo: atque ut cum Amando filio ſuo huc veniat ſtatim.

Puer.) Intellexi. [*Curretque.*]

Egenius, viliore veſte indutus, ut & filius) Salvete Domini & Vicini honorandiſſimi.

Adopt.) Salve & tu Amice. Aſſide nobis: eſt quod tecum coram his amicis amice agam. [*Aſſidebit ergo, & Adoptans pergit.*] Dilecte amice *Egeni*: tibi Deus hæredes ſine magna hæreditate, mihi lautam hæreditatem ſine ullo hærede, largitus eſt: improles enim vivo, ut noſti. Placerne ut hæc tam diverſa bona aliquomodo exequemur, defectiúſque utrinque noſtros expleamus? Nempe ut Tu mihi hunc filium tuum des hæredem: ego verò filio tuo, & poſthac meo, hæreditatem. Placerne conditio?

Egenius, quaſi admirabundus manus diſpandens, & Cælum ſuſpectans.) Honoratiſſime Domine, ſi tibi Deus hanc indidit mentem, ut me egenum Egenium ad participandum felicitatem tuam admittas, felicem filium meum!

Adopt.) Amande, fili, adeſto.

Amand.) Adſum Domine, [*flexo genu.*]

Adopt.) Quia mihi de Virtute, & in discendo diligentia, commendabaris, accersitum te ad me habui aliquoties, donabámque libellos, chartam, & quibus te egere sensi. Nunc majoribus te afficere cogito donis. Sumam te in domum meam, vestiam pulchrè, conducam tibi doctum Pædagogum, deinde te mittam in exteras regiones peregrinatum, ut doctus & sapiens, moribúsque politus evadas Juvenis. Recipísne?

Amandus, osculatus fimbriam togæ illius.) Excellentissime Domine, Non mereri talia: mereri tamen humillimis serviriis, dum vivam, studebo.

Adopt.) Si id videro, majóra etiam cogitabo, nempe ut te successórem bonorum meorum faciam. Domus mea, agri mei, vineæ meæ, & quicquid possideo, tua erunt: præterquam quod ad pios usus legavero. Tu Egéni, donásne huic filium tuum mihi?

Egen.) Dono: júsque patrium totum in te transfero.

Adopt.) Firma id dextra dará, coram his testibus, En!

Egen. offerens dextram.) Firmum sit: en!

Adopt.) Tu quoque accipe dexteram meam, Amande, fili. [*tradet, junctisque ita dextris, loqui pergit,*] Recipio te in filium; & adopto in hæredem bonorum meorum ex asse. Firmaboque hæc condito quam primum Testamento, publica authoritate roborato. Muto etiam tibi nomen; ut non (*Egenius* (*ab egestate*) sed *Eugenius* (*a nobilitate*) denomineris. *Amandi* prænomen tetine, quod te admoneat illius; *ut ameris, amabilis esto.*

Amand.) Verba mihi desunt, quibus cordis mei lætitiam exprimam, & Tibi Benefactori meo, Domino meo, gratias agam. Clientulus tuus sum, & manebo. [*Tentabisque iterum fimbriam osculari: sed ille manum dabit. Tum surgent.*]

Adopt.) Tu fili jam me sequere! Sed & tu Pater, Egéni: & Vos cæteri amici, prandio adeste. Quia enim hodie mihi natum iri hunc sperabam filium,

Nasa-

Natalitium convivíolum parari jussi.

Migrans ad cæteros.) Eamus! Congratulaturi, & bona apprecaturi.

Alii.) Eamus.

[*Musica.*]

ACTUS II. SCENA I.

Publius. Vrbanus. Felicius. Solon.

[*Ingressi theatrum considebunt ad Mensam, Solone ex adverso sibi honestè locato.*]

Publ.) Ita est, sapientissime Solon, ut Tibi rem privatim narrare cœpi. Nos tres, quos ante Te vides, authores fuimus Coloniæ in hanc Insulam deducendæ. Cùm enim in populosissima viveremus Urbe, ut alii alios premerent; nec satis erat vigilantiæ in iis qui cum potestate præerant, ad confusionibus obviandum; adeoque glisceret indies injuriæ, & de injuriis querelæ, & simultates, & ne quando in nervum res irent metus: nos communicato cuminvicem consilio, misimus homines certos circumspectatum aliquam regiunculam vel Insulam, ubi commodè vitam degere possemus. Repertâque tandem hâc amœnâ, fertili, aereque salubri Insulâ, cœpimus invitare varios opifices, promiscuamque plebem, ut nobis sese adjungendo huc devehi, nobiscumque hic vitam agere, ne aspernarentur. Si qui egentiores erant, quàm ut sese necessariis tanto itineri instruere possent, suppeditavimus media: promisimusque pòst etiam fidelem habere omnium & singulorum curam. (Non enim nobis desunt, Numinis favore, opes & facultates.) Successit igitur eo usque negotium, ut multitudo quæ Rempub. constituere possit collecta, & huc traducta, sit. Cœpimusque ut vides, circumunire

munire nos, & parare structuris, publicis & privatis, materiam. Cœterum quum salutis & securitatis única sit basis, ordinatissima omnium dispositio; Legibusque colligatio: optavimus nobis ad consilia Te, quem Atheniensibus Leges dedisse audivimus, tanto temperamento, ut parem gratiam à Senatu & Plebe inveris: qui tamen duo Ordines priùs irreconciliabili propemodum dissidebant odio. Gratulamur igitur nobis adventum tuum, útque nos consiliis bonis instruas oramus.

Solon.) Gratulor ego vicissim, tantas Vobis in manum dari occasiones, ut aliquid egregii constitui possit. Antequam verò animum meum aperuero, scire volo, Primùm, *An omnes Vos unanimes sitis in mè Vobis auctorando?*

Vrbanus.) Nihil est cur dubites. Uno ore & corde consensimus, antequam ad Te mitteremus.

Felicius.) Mali ominis res esset, si quidquam inter nos dissensûs esset.

Solon.) Alterum sciscitor: *Qualem Regiminis formam velitis? Monarchicamne*, ubi unus Vestrûm solus rerum potiatur? an *Aristocraticam*, ubi optimátes regunt? vel *Democraticam*, ubi plebs ipsa, permutans inter se officia per vices, res administret?

Felicius.) Liberam Rempublicam populo nostro promisimus: Uni ergò alicui soli rerum arbitrium committere, non cogitamus. Neque Democratia placet, ob confusionum metum. Ad Aristrocratiæ igitur leges attemperabis omnia.

Solon.) Quid ergò prærogativæ, aut præeminentiæ relinquetis Vobis? quorum industriâ, ut video, tota hæc res constat.

Vrban.) Diuturna hujus Reip. salus, & honesta nominis nostri ad posteritatem fama, merces nostra erit.

Solon.) Laudabiliter. Senatum igitur, & cæteros Magistratus, è Vobis & Populi Vestri primoribus, institui voletis?

Omnes tres) Ita. *Sic* [illegible].

Solon.)

Solon.) Suadeo igitur, ut primores illi convocentur, consultationesque ipsis præsentibus fiant: ad omnes de Monarchia, vel Oligarchia, suspiciones, statim ab initio præveniendum.

Publius.) Salutare Consilium.

Vrbanus.) Laudo.

Felicius.) Approbo.

[*Et aversus facie, quasi foras, dicet voce sublatâ.*]

Atriensis! Prodibitque servus.] Admitte huc primores populi nostri, si jam adsunt: sin', convoca eos.

ACTUS II. SCENA II.

Ingredientur triginta circiter Personæ, omnes honestò cultu & habitu: consisténtque in circuitu.

Publius ad illos.) Meministis, amici, transiisse nos huc ad constituendam Rempublicam, nec ignoratis quid Respublica sit: Reductio nimirum Familiarum multarum sub Regimen unum, eo fine ut omnes degere queant tranquille, & agere sua impræpedite, nemine potentiore imbecilliorem opprimente. Ad quam rem quid esset opus cœpimus modò cum sapientissimo Solone inire consilia: nihil tamen de vobis sine Vobis statuere, imò ne deliberare quidem volentes, advocavimus Vos, ut in commune consulere juveris.

Prudentius, Vnus è turba illa.) Quod omnes ex æquo tangit, omnes scire interest. Adsumus igitur, parati consilia & dare pro virili nostra, & accipere, quæ rectè dabuntur. Rogamúsque initium fieri statim.

Publius.) Incipe ô Solon.

Solon.) Ad constituendam Rempublicam tribus opus

est: *Primùm*, *Adunatione Domiciliorum*, pro habitaculis populi: quæ minor, appellatur *Pagus*; Major, *Oppidum*; maxima, *Vrbs*, qualem Vos molimini. *Secundò*, *opus est Populum in ordines distribui*: ut alii præsint cum potestate & jurisdictione; alii subsint, cum subjectione ac obsequelâ. *Tandem*, *opus Legibus certis*, quibus omnes & omnia colligentur in corpus unum. Quare, si placet, videamus primò Urbem, quomodo constituenda sit ut habitari queat *Tutè*, *Amœnè*, *Commodè*. Et quia *Tuta habitationi servit Circummunitio*; *Amœna*, *elegantia ædificiorum*; *Commoda* autem *Aquæ*, *Sylvæ*, *agri*, &c. ad facilè parandum Victualia, & necessaria quæque: suadeo ut ante omnia eligantur Viri, qui rebus his cum authoritate præsint. Nempe, *Architectus* publicus, & *Ædilis*, & *Aquilex*: ille ut Munitionibus, iste Ædificiis, hic Aquæductibus præsit. Habetisne in medo Vestri talium rerum peritos?

Pub.) Spero non defore. Dicite, amici, quos huc idoneos nostis?

Anchinous, unus è turba.) Promptitudinem suam Reipublicæ offerre, quâcunque parte servire quis posse confidat, boni Civis esse scio. Ego proinde, qui *Ingeniarium* profiteor, artemque militaris Architectonicæ didici, si Munitionum curam concredi placet in hi, utilem Reipublicæ navare operam promitto.

Vrbanus.) Da peritiæ tuæ specimen! atque si Tibi Urbis nostræ committeretur munimen, qualiter securitati nostræ cavere velis, edissere.

Anchinous.) Circumducam Urbi extrorsum Mœnia, Fossas & Valla, imò & Vallos, cum intervallis certis, & in Murorum aut Vallorum angulis Propugnacula. Introrsum autem Pomœrium, quâ Civibus ad muros accessus pateat. Portas obsepiam bipatentibus Valvis, Repagulisque ac seris, & de insuper impendentibus Cataractis: præmuniam verò Pontibus, tàm stabilibus, tàm subductilibus. Et denique ponam in locis ediri-

editioribus Speculas, in quibus civici Excubitores, excubent, & Vigiles vigilent, attendendo hosti, aut igni, aliisve periculis.

Solon.) Satis! intelligere te autem paret. [*Et conversus ad reliquos.*] Munitionum Architecti munus committere huic, placerne?

Omnes.) Placet, placet, &c.

Solon.) Suscipisne id?

Anchin.) Postquam designatus erit Urbis ambitus, & materia, datique operarii, in mea fide ac industria desiderari nihil patiar.

Solon.) Laudo. Quis jam Ædilem aget? qui Plateas, Fora, Ædificiaque publica, disponat?

Felicius.) Habemus Virum rebus his aptum natum, ordinis pariter ac nitoris studiosissimum, cui Ædilitium munus tutissime committi poterit, *Nitellum* nostrum. Habéne quis alium nominare?

Omnes.) *Eidem Ego defero.* Optimus est. Suscipiat, &c.

Solon.) Vellem & illum audire. Amice, quid amœnam, habitationique commodam, reddat Civitatem, explica.

Nitellus.) Amœnam habitationem facit amœnitas situs, & elegans prospectus, & decoramenta *Turrium*, tandemque nitida inædificatio *Platearum*: nempe ut primarii vici (*habentes utrinque contiguas ædes*) sint ampli; licet juxtim transcurrentes angiporti sint ut plurimum angusti, & impervii. Anteriora domuum habeant præstructas *porticus*, ut pateat siccus transitus tempestate pluviosa: Plateæ verò ipsæ stratæ lapidibus, ne ambulationes sint lutosæ. Commodè habitatur Urbs, sita loco salubri (*non ad palustria, virus exhalantia*) & cui benè prospectum est omnibus necessariis; Ex. gr. publicis *Ædificiis*, & ultrò affluente Aquâ, & facilè parabilibus victualibus, lignis, &c. Publica Ædificia sunt; *Curia*, pro conventu Senatus; *Prætorium*, pro exercendis judiciis; (*cum abstructo*

Carcere pro custodia delinquentium ;) *Ærarium & Armamentarium*, pro asservando publico ære & armis ; *Schola*, pro exercenda juventute ; *Templa*, pro religiosis conventibus ; tandem *Balneæ*, diversæ pro diverso sexu : ubi lauturi exuunt vestimenta in *apodyterio*, custodienda à Vestispico, ingrediuntúrque præcincti castulâ. Dehinc sunt : *Ptochodochia*, receptacula mendicabulorum ; & *Nosocomia*, ægrotantium ; & *Orphanotrophia*, pro enutriendis misellis pupillis, (*aut expositititiis, sicubi probra ista fiunt*,) & *Hospitalia* (Xenodochia) pro introducendis hospitibus peregrinis ; atque *Diversoria*, ubi advenæ divertant ; vel etiam *Popinæ*, ubi edulia semper reperiantur parata ; sicut & potulenta in *Cauponis & Oenopoliis*. Fora debent plura esse in populosa Civitate pro venalibus rebus ; & distincta locis, ut scias ubi quid quæras ; nimirum alibi *Forum pecuarium* (equarium, boarium, suarium :-) alibi *Olitorium*, *piscatorium*, *carnarium*, &c. alibi denique *Scrutarium*, ubi scrutarii venditant scruta & ablecta ; *Mangones* autem interpolas vestes, si quas circuitores vendere non possunt. *Opificinæ* habentes aliquid sordium, aut strepitus, optimè locantur in suburbio ; ut *Lanienæ*, *Vstrinæ*, sordescente que officinæ *Cerdonum*, & strepitantes Fabrorum ; Gloacæ verò & Foricæ in recessibus platearum.

Solon.) Perbellè omnia ! Nemo tibi facilè palmam præripiet, ut video. Dispone igitur omnia sic, ut hâc Urbe nihil sit ordinatius : & laudem habebis ad posteritatem ; Aquilegem habetisne Vobiscum aliquem ?

Publ.) Habemus, studio quæsitum. Adestne Hydaleus ?

Hydaleus.) Adsum, Domini mei.

Solon.) Profitere artem tuam.

Hydal.) Scio Aquas, ubi ubi sub terra lateant, indagare & aperire. Scio fonte è montanis scatebris, sive per aperta incilia, sive per occultos canales seu tubulos, quocunque placeat, sic derivare, ut *aquam* in Castella per Urbem *disposita*, inde sinenter effundant. Scio in defectu

fiu aquæ fontanalis fluvialem tractoriis machinis diffundere. Scio effodere puteos, crepidine circumdatos: unde aqua *Situlis*, seu *Urnis*, hauriatur: sive *Gryllo*, sive *Tollenone*, sive *Antlia*. Aut ficubi in locis saxosis ne quidem talium copia est, scio parare *Cisternas*, in quas pluviales aquæ confluant, per collicias.

Solon.) Hâc etiam parte Urbi Vestræ pulchrè prospectum iri video. Nec restabit, nisi ut jam Vosmetipsos in decentem ordinem redigatis.

Publius.) Consilium tuum expectamus, ò Solon.

ACTUS II. SCENA III.

Electio Consulis & Senatus.

Solon.) Consilium meum hoc est, ut Vos dividatis in *Senatum*, *Populum*, & *Plebem*. *Senatui* enim subordinati poterunt cæteri Magistratus, ordinis ubique boni custodes, quos postea nominabo. *Populum* constituent Opifices, Mercatores, & Valetudinis humanæ parati, Medici, Chirurgi, Balneatores, &c. *Plebs* erunt, Rustica per suburbia & pagos multitudo; Mercenarii item, Operarii, Bajuli, Fossores, & reliqua proletaria turba. Placétne sic trinum constitui ordinem, seu statum?

Omnes.) *Placet*, *placet*, *&c.*

Solon) Veniamus ergò in rem, & primam imámque Ordinis basin ponamus, *Senatum*, è selectissimis, sapientissimis, gravissimíque Viris creatum. Tales huic Reipublicæ nunc regendæ duodecim suffecturos spero: quorum unus Consulem agat, spatio annuo. Eligite igitur Consulem primò, ex optimis optimum, collatis unanimis Votis & suffragiis.

[Con-

[*Conglobabunt se Proceres Civitatis, conferentque sententias, tacitis suffragiis: tum ab invicem digressi, per unum pronunciabunt.*]

Unus.) Unanimiter elegimus, & eligimus, nominamusque, Prænobilem, Strenuum ac Circumspectum Virum, Dominum *Fortunatum Publium*.

Solon.) Surge Sol tuis exortus, Nobilissime Publi, & ad hanc Senatoriam mensam primus confide! quod felix faustumque sit.

[*Surget, & considet ad mensam oblongam, in medio Aræ stantem: cum mensula prior sub arbore fuerit.*]

Solon. Eadem felicitate jam eligite Collegas ei, Senatores XI. cum duodecimo Syndico, tandemque Notario: Omnes viros tales, quos creditis optimos, & quibus vestra, & Reipub. salus tutò committi possit. Quia verò è medio Vestri erunt legendi, dividite Vos quadripartitò, & quisque Circulus ex aliis tribus circulis designet, quos censet dignissimos. (Ira enim fiet, ut liberrimis vocis citra omnem assentationis suspicionem, suffragia ferri queant.)

[*Discedent in agmina quatuor divisi, tandemque nomina scripta Soloni tradent, quæ ille pronunciabit, hôc præmisso.*]

Domini mei, quos fata hujus Reipublicæ Corpori caput dant, dum Nomina Vestra promulgati audietis, prodite, & vos ad Mensam Senatoriam transferte!

I. *Salvius Urbanus.* II. *Nicolaus Felicius.*
III. *Titus Prudentius.* IV. *Petrus Sincerius.*
V. *Paulus Temperatus.* VI. *Fabius Verus.*
VII. *Adamus Clemens.* VIII. *Benedictus Commodus*
IX. *Ambrosius Benignus.* X. *Abraham Constans.*
XI. *Prosper Salomon.* XII. *Martinus Sedulius.*
Notarius.

Solon ad Communitatem conversus.) Habetis, ô Cives quos

quos Vobis elegistis Reipublicæ Vestræ Gubernatores? noſne jam agnoſcitis duces Vestros? summúmque Magistratum Vestrum?

Omnes.) Agnoſcimus.

Solon.) Et promittitis illis Obſervantiam & Obſequia?

Omnes.) Promittimus.

Solon.) Vos autem Patres conſcripti, promittitiſne huic Reipublicæ, quæ vos ſuper humeros ſuos extulit, & ſui habenas in manus dedit, fidem, amorem, proque illorum & communi ſalute vigilantiam perpetuam?

Senatus. Promittimus.

Solon.) Curas Actionéſque Veſtras aut per Vos jam noveriris, aut dabunt incidentes caſus. Referat eas tamen ſummarie *Notarius*.

Notar.) Dùm Senatus in Curia (ubi *Album Senatorium*, *Matricula Civium*, & *Acta publica*, aſſervantur) Conſeſſum agit, *Conſul* (aut abſente, Conſule *Proconſul*) deliberanda proponit, *Conſulares Viri* (id eſt, Senatores réliqui) ſententias dicunt; *Syndici* aſſidentes Caſus intricatos decidunt; *Notarii* concluſa conſignant.

Solon.) Hæc ita ordinariè. Incidunt tamen tempora, & caſus veluti deſperati, ubi rei ſummam uni committere conſultum ſit. Quomodo Romani Dictatorem deligebant, qui abſoluto arbitratu quicquid vellet, cuicui vellet (Senatui etiam & Conſuli) imperitaret, ſalutari ſemper eventu.

ACTUS II. SCENA IV.

Electio Prætoris, cum Aſſeſſoribus: & Advocatus.

Solon.) Reipublicæ incolumitas conſervatur Juſticiæ adminiſtratione: quâ ſolâ ſua cuique ſecuritas conſtat, ſum per conſtituros Judices violentiæ ſiſtuntur, & in

Vio-

Violatores animadvertitur. Ad minimum enim adversus omnem alieni usurpatorem, protestari licet, & provocare ad Jus. Varii quippe inter homines incidunt ambigui casus, & multa à multis temerè fiunt, aut etiam malignè: unde confusiones invalescerent, Reipubl. ruinam tandem attractuiæ, ni obsisteretur. Necesse itaque est apud Vos quoque constitui Judices, qui inter causam & causam dignoscant, lites Civium sistant, pacem resarciant & conservent. Placétne hos constitui?

Senatus & rel. qui omnes) Placet.

Solon.) Circumspicite igitur, primò, Virum gravissimum, justissimúmque, quem creetis *Prætorem*, seu Judicem Urbanum juratum. Vos Senatus dicite primò, quem è Civium numero dignissimum existimetis.

[*Illi collatis capitibus, respondebunt per Consulem.*]

Consul.) Nos Prætorem dicimus *Sophronium Dicæum.*

Solon.) Quid Vos ex Communitate, quem nominatis?

Illi.) Eundem, eundem volumus.

Solon.) Prodi ergò Amice [*prodibit*] & huc confide [*ad mensam minorem.*]

Tum Solon.) Addantur jam illi Assessores quatuor.

Senatus, collatis iterum sententiis.) Nominamus

1. *Danielem Justinum.* 2. *Alexandrum Severum.*
3. *Janum Modestum.* 4. *Davidem Fortium.*

Solon ad Communitatem.) Quid vos?

Communitas.) Acquiescimus: Viri boni & justi sunt.

Solon.) Precedite igitur, date vos in conspectum Prætori assidete!

[*Prodibunt: assidebunt.*]

Advocatus prodibit, Solonem & Senatum sic alloquetur.) Domini mei, etiam meæ hîc sunt aliquæ partes.

Sol.) Quis tu es? quid tibi vis non vocatus?

Advoc.) Juris interpres sum, Causámque in foro agendarum

agendarum *patronus*, quem *Pragmaticum*, & *Advocatum*, & *Procuratorem* litis, vocant: sine quo ista judicum subsellia frigebunt, Judicesque ipsi sæpè hærebunt, nisi à me informati.

Solon.) Informa igitur jam nunc eos, si tibi adeò novitii videntur, de Judicii processu.

Advo.) Faciam, ut me in jure & causis esse versatum videaris.

Forma Judicii triplex est. 1 Per *amicabilem Transactionem.* 2 Per *Judicialem processum.* 3 Per *rigidam Exequutionem.* Amicabiliter componuntur Controversiæ inter partes ipsas: rarius immediatè, sæpius intervenientè tertio; quem Arbitrum vocant, & arbitrarium Judicem. Si non allubescunt pacifica media, & collibet experiri jure, sectantur horum: ubi Reus citatur, vel ad tribunal Prætoris, vel ad subsellia Scabinorum, tanquam inferiorum Judicum: qui aut prætendit causulas, ut declinet horum legali exceptione; aut se sistit indicta die; seu per se, seu per suum Procuratorem. Tum perficitur accusatio & excusatio: accusato aut fatente, & excusante objectam culpam, aut diffitente: atque tùm producuntur Probationes, per Testes juratos, si non sufficiat authoritas eorundem, & assertio nuda: sed jusjurandum præscribitur. Verbis conceptis, ne jurator elúdat per æquivocationem; Antequam sententia definitiva fertur, Præses requirit vota Assessorum, ratáque habet; decreta communi consensu non retractans nec rescindens. Promulgatâ decisione causæ, Exequutio fit ocyus; nisi dilatio impetretur intercessione alicujus; aut pars condemnata petat recognitionem causæ; aut denique appeller ad judicium superius. Enormes malefici traduntur Carnifici, subjiciendi tormentis: hoc est, imponendi Equuleo, & prægravandi ponderibus, aut distringendi fidiculis, distorquendique, adurendi, & sic cruciandi, si nolint confiteri citra torturam, noxia propemodum: ut in confessos demum supplicium constituatur juxta promeritum. Scorta, & Scorratores,

tatores, cæduntur virgis & flagris: impudicis prostibulis inuruntur stigmata; ut & Proditoribus ac Falsariis: Saccularii, Abigei, Peculatores, mulctantur fustibus aut mulctâ; vel strangulantur suspendio, in patibula suspensi; alicubi & furum complices (*qui surreptas res clanculum receptant*) æquiparantur compilatoribus ipsis, afficiunturque æquali noxâ. Mœchi, Raptores (*Effractores*) Plagiarii, Homicidæ, & læsæ Majestatis rei, decollantur: Latrones, Sicarii, Piratæ, Sacrilegi, crucifragio plectuntur: sed olim affigebantur Cruci (seu *Furcæ*) Parricidæ verò, Fratricidæ, Infanticidæ, insuebantur cum serpente culeo, aquisque mersi suffocabantur. Principum interfectores, discerpuntur quadrigis in diversum actis, bona verò illorum confiscantur, aut publicantur: Incendiarii, Sagæ & Veneficæ, cremantur super rogum; Blasphemi elinguantur. Calumniatores maligni, Obtrectatoresque, qui libellis famosis, anonymè scriptis, immerentes ignominiosè traducunt, itemque convicti perjuriis, mutilantur aliquo membro; aut condemnantur ad Metallifodinas, vel ad Triremes: aut exterminantur, hoc est proscribuntur & relegantur cum infamia, seu in locum certum, Exules dicendi; seu ad vagandum, Extorres: ut sic etiam Respublica liberetur purgamentis suis.

Solon.) Quid jam de hoc operam suam Vobis offerente videtur?

Prætor.) Malè quidem passim audit hoc hominum genus, Causidici, quòd avaritiam sectantes pessimas causas suscipiant defendendas, dolisque variis jus pervertant, & Judices fascinent. Sed quia abusus non tollit rei Usum, illorúmque opera sæpè utilis est, maneant Fori affectæ: modò jus illustrent, non obscurent; promoveant, non invertant.

Solon. Recipis conditionem?

Adv.) Recipio.

Solon.) Mane igitur. Cæterùm quod tòt & tàm atrocia Suppliciorum genera enumerasti, non probo. *Vt Medico multa funera, sic Magistratui multa supplicia probro*

bro sunt. Meliùs esset sapienti regimine scelera prævenire, quàm in sceleratos adeò sævire. Et, si qui tamen prolabantur, humaniùs foret sanare, quàm perdere. Cujus rei modus in promptu est: ut pro Facinorosis exstruantur domus *Disciplinæ*, seu *Ergastula*: ubi pane solùm & aquâ pasti, laboribus tamen ad sudorem usque exerceantur. Multiplex inde fructus. 1 Absterrentur sic à maleficiis plures, quàm ipsâ morte. 2 Peccatoribus illis datur locus pœnitentiæ. 3 Et cedit hoc Reipublicæ bono, quæ operarios habet, ad quidvis vult, sine mercede, quàmdiu isti sunt inemendabiles: reductos verò ad frugem, habebit rursum bonos Cives.

Consul.) Salutare hoc est consilium. Sequemur id imitatione Batavorum.

ACTUS II. SCENA V.

Dispositio Populi in ordinem: & primò Opificum.

Solon. Jam populus quoque in ordinem redigendus est: *Opifices* nimirum, *Mercatores*, & *Valetudinis humanæ curatores*. Quam rem tibi jam prudentissime Consul, & Senatui, committo; ordinate Vos quàm usque potestis optimè.

Consul.) Faciemus: sed ita, ut nos ne deseras, sicubi opus. Vos Opifices, habetis ne jam aliquem inter Vos ordinem?

Curio Fabrorum.) Habemus, divisi in sodalitates, seu tribus. Quicunque enim ejusdem artificii sumus, eligimus nobis Præsidem seu Præfectum; aliquando duos, aut tres; Curiones vocamus, & Magistros Curiæ, Domus scilicet ubi certo tempore convenimus res nostras tractaturi. Et ubi novitii, artificium professi, artis specimen exhibere tenentur, antequam in ordinem recipiantur. Multantur item, qui in leges nostras peccaverint:

aut etiam è ſodalitio ejiciuntur, qui enorme quid patrarunt.

Conſul.) Recte ſatis.

ACTUS II. SCENA VI.

Rei Mercatoriæ ſtabilitio. Ubi Mercator, Tabernarius, Propola, Auctionarius.

Conſul. Quid autem Vos Mercatores? quibus rebus Reipublicæ ſervituri eſtis? & quo ordine, exprimite.

Mercator.) Quia non omnis fert omnia tellus, & homines ſibi ſua bona communicare debent, (*tranſmittendo quæ ſuperfluunt hîc, aliò; & adſciſcendo, qua deficiunt hîc, aliunde, tametſi è tranſmarinis locis:*) noſtra negotiatio occupata erit circa invectionem & evectionem rerum, noſtro & Reipubl. bono. Invehemus enim (*ope Vecturæ & Navicularie*) neceſſaria, quæcunque hîc deſiderabuntur, ut defectus ſarciatur: & evehemus quæ ſupererunt, ne ſine uſu depereant. Hæc eſt ſumma ratio Mercimoniorum, quæ facillimè exercentur in locis opportunis: maritimis puta, aut ad fluvios navigabiles; ut hîc erit.

Conſul.) Quo autem modo, aut ordine, Merces coëmtis aut divenditis?

Mercat.) Diuturnus mos fuit, permutare mercem ipſas (*cujuſmodi ſubmutationes necdum deſitæ ſunt uſurpari*: poſtea dependebatur infectum æs (*argentum, aurum*) ſecundùm indicta pretia rerum: tandem reperta eſt Moneta, hoc eſt, æs ſignatum charactere Valoris, quo procedæ expeditius, tùm indicatio pretii, & licitatio, tùm contractio, & ſolutio; nunc etiam cambium peruniam per *Collybum* viâ valdè compendiariâ. Quantum ad Merces deſtrahendi modum, nos majoris nominis Mercatores maximus merces noſtras vendendas in

regi-

tegris fascibus ad celebria Emporia : quas particulatim distrahunt minorum gentium Mercatores, Institores, Tabernarii, Nundinatores, qui pro se loquantur.

Tabern.) Nos circumcursitamus oppidatim, inque aniversariis nundinis aut hebdomadariis mercatibus, venum exponimus, sub cadurcis, vendimúsque res alias numero, alias ulnæ mensura, alias pondere ; vendirásque involvimus cuculli s.

Propol. Nos *propolæ* quærimus emtores ipsi, nostra offerentes obviis, viatim, victatim, angulatim, domesticatim.

Auction.) Est venditionis genus, cùm supellex Domestica, aut Bibliotheca, aut spolia hosti ablata, distrahuntur : vocamus *Auctionem*, ubi *Auctionarius* venditor rem promercalem circumstanti turbæ ostentat (*circumversando eam*) & indicat, quanti liceat. Tum aliquis emptorum licetur, alius verò (pretium auctando) contralicetur : donec res addicatur ei, qui pollicetur plurimum.

Consul.) Mercatoria illa negotiatio dolis & fraudibus plena esse dicitur ; itane est ?

Merc.) Intervenium utique fraudes, ob quas cautum esse in mercando oportet. Rari quippe commercantium lucello contenti, plerique nimium quæstum quærunt, vendentes magni, quæ emerant vili ; ne tamen sibi res deprecietur, ejurant tantidem constare : aut impostor supponit merces vetustas, obsoletas, situ corruptas, pro recentibus : aut adhibet mensuras fallaces, æroſa numismata, &c. Caritas annonæ ingravescit subinde, aut remittit, pro earundem abundantia, vel penuria : Rarum enim carum, & carum charum.

Consul.) Sæpè tamen *Monopolæ* in culpa sunt, qui omnia præmercando, & postea pro lubitu taxando, vexant communitatem ; cui quia nunquam benè consulitur, ubi Monopolia permittuntur, Ego Senatus consulto, simulque plebiscito, cavendum æstimo, ut ne in Republica nostra ullâ unquam

in re admittantur Monopolia. Placetne id constitui?

Senatus.) Placet.

Populus.) Placet.

Solon.) Placet & mihi : laudo prudentiam Vestram.

ACTUS II. SCENA VII.

Medicus, Pharmacopóla, Chymicus, Chyrurgus.

Consul. Prodite jam Vos Medici, cum gregalibus Vestris, & quam Reipublicæ præstituri sitis operam, edisserite. Sunt enim Civitates & Populi, qui sine opem Vestra sat s se rectè habere crédunt; unius Temperantiæ beneficio.

Medicus.) Accersi morbos intemperantiâ, verum esse sed & hoc, vix quenquam posse vivere tam accuratè (in hac jam rerum corruptione) quin ægritudines obveniant. Medicus ergò præscribit sanis *Diætam*, ægris *Pharmaca*. *Diætam* præscribit (*quæ est optima Medicina, quippe securissima, & sine violentia.*) dum docet moderari Cibum & potum, Somnum & vigilias, Repletionem & exinanitionem, Corporis & animi commotiones; ne quid istorum admittatur ante natulale desiderium, nec extendatur ultra Satietatem, nec adhibeatur aliter, quam expediat. Si qui Civium ægrescunt, Medicumque advocant, invisit ille ægrum : medicationem tamen non aggreditur temerè (*ut solent* circumforanei Medicastri, & Mulomedici :) sed indagat prius Morbi speciem, sedem, causas, non tantum ex relatione decumbentis (*quâ parte quid doleat, &c.*) sed & aliis signis : nempe. 1. ex Jæsione functionum, *quæ demonstrat statum animalis facultatis* :) 2 ex arteriarum Pulsu (*qui prodit, quomodo se habeat vitalis facultas.*

3 Tan-

3 Tandem ex inſpectione lotii (*quod detegit conſtitutionem naturalis facultatis.*) Dum ſuſcipit curam, ante omnia mitigat dolores certis mitigatoriis; & conſervat naturalia, quæ videt ſupereſſe in ægrotante (*Vt natura corroborata juvet propellere inimica ſibi*:) demùmque infit oppugnare præternaturalia illa, jam diæteticis (*ſæpè enim magno morbi curantur ſolâ abſtinentiâ & quiete*) jam pharmaceuticis, jam chirurgicis; donec Ægrum valetudini reſtituat.

Conſul.) Dicunt autem Vos operam Veſtram carè nimis vendere, & quandoque nihil proficere: redire enim morbos.

Medicus.) *Vitam redimere nummô tantine eſt?* jure meritò fit, ut invaletudine profligatâ, ſanitateque reſperatâ Medicus cum revaleſcente Soteria celebret, & ab illo Soſtris remuneretur. Reſtitutiò autem ſemiperfecta, incontinentiâ ægri attracta, non eſt mirum ſi faciat *Valetudinarium*, aut *Clinicum*, aut reducat recidivam peniſſimè effligentem. Quandoque & Pharmacopolæ negligentia facit, ut medicina non operetur. Interdum Pharmacopæi & Chymici, in præparandis medicinis miniſtri noſtri, negligentiâ peccant.

Conſul.) Eos informare, ut ne peccent, tuum eſt: ſin, errores illorum meritò imputabuntur tibi. Quid autem dicis tu Pharmacopola?

Pharmac.) Ego ex D Medici præſcripto medicinas compono: Potiones, Julebos, Syrupos, Electuaria, Theriacas, & quicquid mandat, conficiens.

Conſul.) Et tu Chymice?

Chymic.) Meum eſt eſſentias rerum extrahere, & in Spiritus, Olea, Flores, Balſama, Tincturas, Magiſteria, & Cryſtallos, convertere. Quas ſubtiliſſimas & potentes penetrativas medicinas, quomodo adhibeat Medicus, videre non eſt meum.

Conſul.) Tu Chirurge, quid miniſterii Reipublicæ præſtabis?

Conſul.) Ego manum meam commodo Medico, ubi

ferro aut igne medendum est; secans phlebotomo venas, exsecans verrucas, aperiens absessus, radens ossa, perforans aut perúrens putridas carnes caurerio, &c. Repono item luxata membra locis suis, intorta verò reduco ad nativam figuram: Vulnerum labra coadúno sutura consolidoque emplastris: & similia.

Consul.) Utilem tu quoque præstabis operam, ut ne destituantur ope, quibus ejusmodi casus contingant.

[*Tum conversus ad Solonem, idem Consul dicet:*]

Quid jam agendum restat, ò Solon!

Solon) Plebs quoque advocanda est, ipsisque vicatim ordinandi Pagorum *Magistri*, quibus ordinis committatur cura.

Consul.) Convocentur igitur.

ACTUS II. SCENA VIII.

Plebs, Plebisque Tribunus.

[*Hic ingredietur totus reliquus Scholæ Cœtus, rustice, aut aliàs viliter, induti, cum variis rusticis instrumentis. Quorum unus in medium progressus fari sic incipiet.*]

Rusticus.) Audimus hic esse distributa officia, & dignitates: nos vero demum vocamur, cùm forte nihil restet, nisi ut contempta & abjecta maneamus turba.

Solon.) Amici: Non omnia in corpore membra possunt esse Caput, aut Oculus, Auris, Lingua, Cor, &c. Etiam Pedibus opus est, qui corpus gestent; & Manibus, quæ Corpori laborent, nutrimentum propterea ac[illegible]

cipient[illegible]

cipientes à Corpore. Bono eſtote animo, pars Corporis Reipublicæ eſtis.

Mercenarius.) Si cui noſtrum autem injuria inferetur, quis vindicabit?

Conſul.) In quoliber pago Vobis creabitur *Magiſter pagi*, qui Vobis juſtitiam adminiſtrabit. Si hoc non ſufficit, ecce Prætorem & Judicium Urbicum! ecce Conſulem & Senatum! jus pariter Vobis ac aliis ex æquo patet.

Solon ad Senatum) Date tamen illis, melioris fiduciæ cauſâ *Tribunum Plebis*, qui ſpecialem illorum curam agat, Protectorque illorum & Patronus cluat.

Conſul.) Eſto: deligant ſibi ex honoratiorum Civium numero, cuicunque maximè fidunt. Eja agite!

[*Illi congreſſi, deliberabunt; tandémque nominabunt.*]

Ruſticus.) *Valerium Publicolam* petimus.

Conſ.) *Valeri*; ſuſcipiſne plebis tutelam? ut loco noſtro, aut coram nobis, commune illorum bonum procures?

Tribunus plebis.) Illorum erga virtutem meam fiducia, Veſtraque Patres Conſcripti voluntas, movent me ut hoc officii genus illis non dénegem. Suſcipio itaque oblatum mihi Tribunatum.

Solon.) Omnes itaque in ordinem jam redacti, verum & vivum Reipublicæ corpus repræſentabitis.

ACTUS II. SCENA IX.

Baucus (jucundus) *prodibit è media turba, Optimacéſque ſic alloquetur.*

Baucus.) Ignoſcite Domini. Labores nobis ordinaſtis, Recreationes nullas,

Consul.) Quas Recreationes?

Baucus.) Ut ne labascant fragiles vires, aut elanguescant, cessandum est quandoque à seriis, dandumque temporis aliquid ludicris: quæ defatigatos aut oblectent *spectatione*, aut vegetent *commotione*, aut refocillent concertatione.

Consul.) Vacationum lusoriarum tria genera postulare videris: per (1) *Spectacula*, (2) *Commotiones*, (3) *Concertamina*. Eja dissere de singulis, Tu recreationum Patrone, ut te melius intelligamus, & quid concedi possit aut non possit, videamus.

Baucus) Spectacula non injucunda vulgò faciunt, primò *Præstigiatores*: dum mirâ gesticulationum volubilitate oculorum aciem perstringunt, ut miracula putentur: cùm tamen res pernicitate solâ peragatur. Itémque *Funambuli*, super lune in sublimi extenso non ambulantes solùm, sed subsultantes cum strictis gladiis. Sic ti & larvati *Ludiones*; & qui per Circulum saltant, *Circulatores*.

Solon.) Apage ab honesta Reipublica tales ineptiæ & sordes! ne tolerantor.

Baucus.) At *Scenici Ludi* spectacula præbent boni usûs: cùm in *Theatro* historicè repræsentantur quædam memoranda antiquorum gesta; idque ab *Histrionibus*, vel personatis *Mimis*, prodeuntibus è sipario in proscenium: si argute, applauditur illis; si insc te, exploduntur & exsibilantur.

Actores hic sunt, vel *Comœdi*, dùm Comœdia agitur, exhibens res variè turbatas, sed cum lætâ catastrophe; vel *Tragœdi*, dum Tragœdia, cum læto principio, sed tristi exitu: utrobique est *Prologus*, & quatuor aut quinque Actus, quilibet divisus in aliquot colloquentium *Scenas*: primariique spectatores considerent in *Orchestra*, *Cavea* relinquitur promiscuæ plebeculæ; lucar tamen poscitur ab his & illis.

Solon.) Hoc spectaculum plausibilius est, habet tamen

ramen ſuos abuſus: Quos ſi Magiſtratus non penitùs excludi fecerit, ut his ſpectaculis Mores boni non deformentur, ſed in melius formentur, manebant.

Conſul. De recreationibus, quæ motu fiunt, quid dicitis?

Baucus.) Commovendo ſeſe vires aut animum redintegrare quærunt, qui ſe exercent *Curſu, Saltu, Jactatu, Lactatu, Pugilatu, Equitatione, Vectitatione, Pilâ* item. Quos luſus longum eſſet recenſere: non ignoti ſunt credo Vobis omnibus Domini.

Conſul.) Quæ inhoneſti nihil habent, illa nec verantur, nec verabuntur: potiùs ut Juvenum exercitiis ſerviant, ordinabuntur. Dic de ludis concertatoriis.

Baucus. Concertamen fit, ludendo *Par impar, & micando digitis.*

Conſul.) Hoc quid eſt?

[*Oſtendant duo ſic digitis micantes, quomodo ludus iſte ſit.*]

Tum Baucus.) Certando item Facetiis, propoſitiſque ad divinandum *ænigmatibus*, & captatoriis quæſtiunculis: tùm ſortilegiis, ut in *Alea*, ubi *Tali* (*Teſſeræ*) immittuntur per fritillum; aut ubi certatur ſorte & arte, ut in Ludo *Calculorum*, & luſoriis *Chartis*: vel denique ſolâ arte, ut in ſudo *Latrunculorum*, ingenioſiſſimo omnium. Etiam Domini.

Conſul.) Hæc ſunt licita: exceptâ ſolùm Aleâ, & Chartis pictis, quæ otioſis & odioſis relinquenda Aleatoribus. Nos Cives noſtros temporis eſſe parcos, & lucra non ſordida, ſed honeſta, quærere volumus.

Puellus parvus in medium progreſſus.) Quid autem ludiones noſtræ pueriles, etiamne prohibebuntur? Nempe Verſatio turbinis flagello [*oſtendat & verſit*]: Eliſio ſtipeæ glandis è ſambuceo ſclopo [*Sic*]. Et Ejaculatio globulorum in ſcrobiculos [*Sic*]: Aut jactatio Globi, ad dejiciendum Conos. Aut *Diffugium*, cùm nos invicem fugiamus & captivamus: Et *Myinda* (*Latram Vaccæ vocant*) quâ nos abſcondimus & quæritamus.

Aut *Oscillatio*, quâ nos agitamus à petauro, hoc est suspenso fune. Item incedendo supèr *Grallas*, gressúsque divaricando. [*Sic*]

Consul.) Tu parve pusio, lusionum patrocinium sic agere, quis te docuit? Ludite Vos hac ætate cum Literulis & Libellulis pulchris. Anne?

Puer.) Etiam nobis motiunculis, & exercitatiunculis, opus est.

Consul. Bono este animo filioli! Si obsequiosi fueritis, & in discendo diligentes, omnes quos nominasti ludos Vobis permittemus: exceptâ Oscillatione & Grallis, quia periculum subest.

Puer.) Gratias agimus.

ACTUS II. SCENA X.

Sybarita prodibit, *Convivationes rogans.*

Sybarita.) Etiam Domini Convivales Civium congressus non sunt silentio prætereundi, quatenus vicinalis amicitiæ causâ instituuntur.

Cons.) Quomodo Convivii vocem accipis?

Sybar.) Conventum intelligo amicorum, sive magis private, ad *Compotationem*, vel *Concænationem*, ubi *estur* de *collatis symbolis*: sive magis publicè, ubi quis opulentior *Convivationem* instituit, occasione *lustrici diei*, vel aliâ: sive prorsus publice, cum de Republica singulariter meriti lauto excipiuntur Convivio, inque illorum gratiam alii Cives invitati plurimi, sumtu publico.

Cons.) *Compotationes* diurnæ, præsertim per Cauponas, maleferiatorum sunto: exesse illas volumus. *Concænationes* vicinorum amicæ non prohibentur: neque *Convivia solemniora*, quæ justis de causis instituuntur. De quo à Solone Leges exspectabimus. Tu verò cui Epulationum tanta cura, & quem sæpè interfuisse oportet

oportet; recenſe nobis proceſſum Convivii, ut qualia intelligas meliùs capiamus.

Sybar. Referam quid obſervarim. Quando convivandum eſt, Archimagirus tradit coquis apparanda eſculenta, coëmta per *Obſonatorem*, aut ſubministrata à *Promocondo*. *Triclinium* curæ eſt *Architriclino*, ut menſæ tapetibus inſternantur per Triclinarios, ſuperſternanturque mappis decenter extenſis, tùm *Diſci* circumponuntur (ſive ſint *Orbes*, ſive *Quadræ*) *Cochleariáque & Salinum* apponuntur, & *collyra* panis depromti è *caniſtro*, aut ſciſſæ buccæ. Demùm *Fercula* inferuntur, in *patinis* & *lancibus*; & *Embammata* deſtituuntur in *ſcutellis*. Convivium enim quo magis opiparum eſt, eo habet lautiores epulas, variáque pulpamenta, imò & diverſos miſſus. Invitatos *Convivas*, venire temporiùs quàm ſeriùs, civilius eſt: quos *Convivator* excipit amicâ obviamitione, & introducit: cùmque abluerunt manus ſuper *malluvium* è *Gutturnio*, aut ſuper *pollubrum* ex *Aquali*, terſeruntque mantili mundo (*inquinatum præbere incivile foret*) aſſidunt juxtim per diſpoſita ſedilia. *Structor* deartuat appoſitas dapes ſcitè, ac diſpertitur: *Præguſtator* præguſtat potiones, aut propinat promulſidem, quam prælibant diſcumbentes: adſtante, qui ábigit muſcas muſcario, ne ſint infeſtæ epulantibus, aut illabantur épulis. Eduliorum prima ſunt *Obſonia*, (*juſcula*, *pulmenta*, *ova ſorbilia*, &c.) non lambenda exſertâ linguâ, ſed ſorbenda cochleari: cætera eximuntur furculis, & conſcinduntur cultris, prehenſis manubrio. Benè morati ingerunt bolos ori moderatim, non injectant; comedunt manſitando, non gluſiunt tuburcinando; ne poſtea ructent, aut ſingultiant; neque lingunt labia, ſed detergunt mappulâ, ſi perungantur. Interim *potoria vaſa* depromuntur è *Repoſitorio*, proluráque reponuntur in *Abaco*: & dum Cellarius promit merum *hrueâ*, & Zythum *obbâ*, *Pincerna* id fuſum è cantharo, infuſumque poculis, calicibus, vitris & pateris, porrigit *Potillatori*, hic autem convivantibus. Tum fiunt *propinationes*,

tiones, & circumpotationes, pro ſalute hujus & illius: præbibúntque ſibi crateres ad ebibendum uno hauſtu; præſertim poſtquam adbiberunt. Sub extremum tolluntur *patinæ*, cum buccellis, *cruſtis*, ſemeſíſque *micis*, & aliis analectis, apportanturque *bellária*, & *ſalgama*. Verum enim verò feſtiva colloquia, & lepidæ confabulationes, primaria ſunt pars lautæ tractationis, lætæque epulationis; quia intercedente mentione unius rei poſſunt multa diſſertari hilariter. Peracto convivali epulo ſurgitur à menſa, gratéſque aguntur ei qui tractavit liberaliter, irúrque domum; ſi noctu, facibus præluccntibus. Quanquam quidam heluones, etiam ſumto *antecænio*, & comeſſati abundè, ſuperingerunt *pœnia*, ut ſe contumulent citiùs.

Conſul.) Satis tu lepidus Conviviorum encœniaſtes, dignus qui hodie alicubi fias Conviva: de quo videbimus. Secede interim: &, ſi quis alius habet, quod moneat, prodeat.

ACTUS II. SCENA XI.

Prodibit Libitinarius, honoréque Patribus exhibitô, ita infiet.

Libit.) Nihilne de Sepulchralibus ſtatuetur ritibus? Ultimum enim, quod mortales ſibi invicem debent, officium, Deductio eſt ex hac vita.

Conſul. Rectè tu Comeſſationes flagitantibus Mortem objicis meditandam: ſicut Ægyptii olim in Conviviis ſuis humani capitis Cranium circumferre ſoliti, ad mortis recordandum. Cedò autem, quos ſepulchrales ritus intelligis?

Libit.) Circa Mortuos efferendos non una obſervatur ratio; omnibus enim Elementis tradi conſueverunt. Multæ olim Gentes Cadavera ſuorum igni comburebant, ci-

cineréſque (*conſperſos odoratis liquoribus*) condebant propè *Buſta* in urnis: & ne *Manes* oberrarent, faciebant illis juſta feralibus epulis: conductæ verò Præficæ deflebant lugubribus leſſibus & næniis, enumerando laudes defuncti. In India quidam ſuos demortuos Aëre ficcant, ſuſpenſos ab Arboribus: alii Aquis mergunt, ut putreſcant citiùs. Nos noſtros humamus, juxta mandatum Dei (*ut homo de humo factus redeat in humum*) non iiſdem tamen adjunctis ceremoniis. Ubi honeſtiſſimè res agitur, De mortui (*à ſuis domi complorati, foris autem, olim conclamati, nunc campanarum pulſu notificati*) mox emorruali die *pollinciuntur à Pollinctore*, induuntúrque lugubriter, & includuntur *Capulo, ſeu Loculo*. Cùm autem ſuaerandi adeſt dies, imponitur funus *Sandápilæ*, efferturque à Sandapilariis, & fiunt exſequiæ funébri pompâ, *cæmeterium* versùs: præcedente cantantium choro, ſequente autem Cognatorum, & aliorum invitatorum, turbâ. Inter quos Viri pulláti ncedunt, fæminæ riciniatæ. Tandem ſepelitur à *Veſpillonibus*: qui, ſi Sepulchrum fodiendo, mortuorum olim effoderunt Oſſa, in terram refodiunt, aut in Oſſuario recondunt. Benè meritis eriguntur ad ſepulchra altiores *Tumuli*, vel alia honoraria *Monumenta*, *Epitaphia*, *Statuæ*, *&c.* cantantúrque *Epicedia*, & recitantur ſolenniter *Encoma*. Ita vivi parentant mortuis honorifico luctu.

Conſul.) Nihil horum apud nos, quæ ad honeſtatem ſpectant, intermitti patiemur.

[*Silentium fiat omnium: Tum Conſul ad Solonem converſus.*]

ACTUS II. SCENA XII.

1. *Ordinis boni Leges.*

Conſul.) Quid reſtat, ſapientiſſime Solon, rebus hucuſque deductis? (*Solon.*

Solon. Hoc reſtat, ut Urbi Veſtræ, Vobiſque ipſis ejus Incolis, & omnibus rectè ſemel conſtitutis rebus, ſtabilitatem concilietis & perpetuitatem.

Conſul.) Id autem quâ ratione?

Solon.) Tria ſi obſervabitis, perpetuum firmi ſtabitis, florebitis. Quæ ſunt: *I. Leges ad omnia ſeveræ. II. In Legum Violatores exſequutio juſta. III. Anniverſaria omnium apud Vos, Rerum & Perſonarum, Examina.*

Conſul. Te Legislatorem nobis poſtulavimus, à Te Leges exſpectamus.

Solon.) Non aliter id in me recipio, niſi ut Leges vobis ſalutares ego ſciſcam, Vos ſanciatis. Placétne?

Conſul.) Etiam ſanctionem Tuæ permittere audemus ſapientiæ.

Solon.) Non recipio. Sed quia inter ordinandum res Veſtras conſignavi quædam, iſta prælegi faciam: quæ ſi approbaveritis, Legum condendarum habebitis materiam. *Tu Amanuenſis* meus, en lege!

[*Prodibit, claràque voce præleget ſequentia.*]

Amanuenſis.

I. *De Legum neceſſitate.*

1. Salus Reipublicæ in Legibus eſt.

2. Legibus igitur ſubjacento omnes: exlex relinquitor nemo.

3. Leges conſtituuntor de rebus omnibus: (ut Veſtiariæ, ſumtuariæ, de rerum pretiis, & manupretiis) ut ne quiſquam exorbitare, aut alios defraudare, valeat.

II. *De Civium officiis.*

1. Omnes Indigenæ habeantur Cives, libertatis jura participantes, quiſque ſuo loco & gradu,

2. Quiſ-

2. Quiſquis autem Reipublicæ membrum eſt, Leges omnes ſciat, intelligat, obſerves.

3. Omnis Civis ad honorandum concives præſtandumque mutua officia, obligatus eſto.

4. Nemo Civium ordinem ſuum deſeirto, & in aliud ſe ingeriro, niſi Magiſtratus voluntate.

III. *De Magiſtratuum officiis.*

I. Magiſtratuum eſt videre, ne Reſpublica aliqnid capiat detrimenti: quod fieret, ſi permitterent, (1) Quenquam Civium vivere otiosè; neque advigilare ſuis rebus: (2) aut veſtire ſe ſupra ſtatum, aliove luxu prodigere patrimonium: (3) aut rurſum facere quæſtum malis artibus, & aliis præripere ſua: (4) aut tolerarent publica inhoneſtamenta, comeſſationes, p pinationes, ganeas, lupanaria, labem juventutis: (5) aut diſtribuerent publicas functiones ſecundum perſonas, non ſecundum merita: (6) conniverentque ad omnia præpoſtera: (7) & non ſufficerent defunctis alios: (8) aut non contribuerent Salaria iis qui miniſtrant publico.

II. Singulariter etiam danda eſt opera, ut omnes Cives Matrimonium colant ſancte.

III. Liberorum educationi, ut quàm honeſtiſſima ſit, nemoque relinquatur incultus, Magiſtratus quoque attendito.

IV. *Officia Prætoris.*

Incorrupti Judicis eſt. 1. non admittere clancularias delationes, ſed delatores compellere, ut apertè agant.

2. Non prolatare cauſas, ſed inſiſtere.

3. Non ſufferre perplexationes & ſycophantias, ſed inclamare.

4. Viraréque præjudicia, nec propendere, favore aut odio, huc aut illuc.

5. Nec corrumpi largitionibus.

6. Sed decernere ſimpliciter, ſecundum probatorum evidentiam, cauſarumque merita; abſolvendo In-

Insontem, damnando Sontem (*etiam ad refusionem expensarum litis*) ne protervia maneat impunita, sed ut luat qui peccavit.

V. *Leges Recreationum.*

Recreationes lúdicræ ut fini suo serviant (*refectioni scil. Animi & Corporis.*)

1. Raræ sunto: ut ne tempus seriis debitum lúdicris absumatur.

2. Festivæ sunto, ne æquè molestent, aut plus, quàm ipsi labores.

3. Nec tamen diuturnæ. Diludiis quoque sit locus.

VI. *Leges Conviviorum.*

Similiter Convivia.

1. *Rarius instituantur*, (juxta illud, *Voluptates commendat rarior usus.*)

2. *Frugaliter*, ut citra rei domesticæ dispendium fit.

3. Nonnisi peractis diurnis laboribus, *Vesperi*: ut ne, si prandii loco usurpentur, occasio sit comessationes protrahendi, diémque perdendi.

4. *Celebrentur festive*, amicis cum colloquiis, sine jurgiis & rixis.

5. Quod ut possit, *sobria sint*, semper citra ebrietatem.

6. *Maturius* inchoentur, & maturiùs *finiantur*: ut nocturnæ quieti etiam si locus, corpúsque & animus postridie ad labores vegeti.

Leges de Legum Exsequutione.

1. Quia rectè dictum est: *Leges sine exsequutione, sunt Campana sine pistillo: Item ubi multi Medici, ibi multi morbi; & ubi multæ Leges, ibi multæ exorbitantiæ*: Summè opera danda est, non ut Leges cumulentur, sed ut paucæ & bonæ, semel fixæ, observentur fixè.

2. Nisi enim observantur, subnascitur indubitanter perturbatio Rerum, mutuæ oppressiones, pauperies, subversio denique Reipublicæ: tanto facilùs, quanto Respublica fuerit populósior.

3. Le-

3. Legum itaque custodia perpetua esto.

4. Violatio autem Legum ne toleretur in quoquam, à maximis ad minimos.

5. Pœnarum fiat exequutio semper severè, & graviter: ut metum incutiat omnibus.

6. Idque sine prosopolepsia. Tolerare aliquem Civem, aut Senatorem, corruptum, ruentis in pejus Reipublicæ indicium esto certum.

Leges de Libera Omnium Censura.

1. Quia quisque nostrum in aliis faciliùs nævos videt, quàm in seipso: permittendum est, ut omnes de omnibus, judicare, censuramque publice dicere, semel anno (*destinatò hanc in rem unò certò die, aut biduò*) jus habeant. Ubi ante omnia quisque rationem reddere cogatur, *Unde & quomodo Victum quærat*: ut ne cui (*suò & Reip. malò*) liceat esse otioso, aut in alios iniquo, aut mendicitatem exercere ostiatim. Imò & Magistratus ùm administrationis suæ edat rationem: atque si quid injustè alicui extorsit, vel peculatum admisit, repetundarum teneatur. Et quicquid aliàs in Regimine displiceat, hîc proponendi, emendationemque urgendi, locus esto.

2. Sed & extra terminum hunc, ut ne mali aliquid sensim irrepat, eligatur unus quidam Vir sapiens & gravis, cui plena detur omnibus attendendi, omnes censendi, & omnes ac omnia ad Legum rectitudinem revocandi, potestas: sub *Censoris Morum* titulo.

[*Hucusque Amanuensis legerat.*]

Solon.) Hæc sunt, quæ Legibus sanciendis materiam dare posse dixi. Vos jam dicite, An saluti Reipubl. accommodata videantur?

Consul.) Non aliter meo judicio, quàm mensura mensurato suo. Sed Vestras dicite sententias Collegæ.

Senatus.) Idem sentimus.

Consul.) Quid Vos Judices?

Prætor.)

Prætor.) Approbamus omnia.

Consul.) Vos autem Cives quid dicitis?

[*Cives, collatis capitibus, per unum respondebunt.*]

Sanciè omnia.

Solon.) Imponite igitur corollam sanctionibus Vestris, & *Morum Censorem*, tanquam ordinis, & Legum, & Exsequutionis, eoque Stabilitatis Reip. Vestræ, custodem summum, jam Vobis eligite. Cujus ut tanto major sit authoritas, ex hac amplissimi Senatus Corona deligendum existimo. Conferte consilium quæque pars seorsim & tacitè: Vos spectabilis Senatus; & Tu dignissime Prætor, cum Assessoribus Tuis: & Vos Populus cum Tribunis Vestris; Tu denique Tribune plebis, cum tui plebe: & quem quæque pars elegerit, eum nominet, ut quem majora petent suffragia, videamus.

[*Inibunt ergo consilium, quaterno agmine collatis capitibus: tandemque renunciabunt.*]

Consul.) Nos *Salvium Vrbanum* eligimus.

Prætor.) Nos *Nicolaum Felicem.*

Tribunus Fabrorum.) Nos *Salvium Vrbanum.*

Tribunus plebis.) No *Fabium Verum.*

Solon.) Dignos equidem tanto munere omnes & singulos credo, quos nominastis. Quia tamen plura Vota te petunt *Salvi Vrbane*, accipe potestatem, quam in Te Senatus Populusque tuus confert, manuque Censorium sapienter, animosè, fortitérque administrans, esto in hac Reipubl. omnis honestatis, Morumque incorruptorum, primaria columna. Vitii nihil in quoquam tolera, ne quidem in Collega ullo, vel etiam Consule ipso. Monestarim, emendare doce, non emendantem loco move: ut ne quid usquam invalescat mali. Sed memineris tuarum Tibi quoque actionum reddendam esse rationem, in magna illa Censoria, annuasim recurrente, die. Sic itaque te gere, ut nihil nisi benè administratæ provinciæ [illegible] reportes.

Atque

Atque ita ſunt conſtituta omnia, quàm optimè potuerunt. Ego ad meos & mea rediturus, vota millies iterata Vobis relinquo, ut cum nova hac Republ. Veſtra floreatis, potentiâ, opibus, famâ, in dies clariores. Valete.

[*Surgétque. Surget & Senatus, & Judices: reſponſúmque dabit Conſul ſic.*]

Conſul.) Læti Te accepimus, ò Solon, triſtes dimittemus. Habe tamen gratias ab omnibus nobis, quibus providis Tuis tàm bene ſubveniſti conſiliis. Invitamus verò Te in *Prytaneum* noſtrum, ad Convivium quod parari juſſimus primoribus Populi noſtri. Vos autem reliqui, etiam de infima plebe, ut gaudii tam publici fitis participes, cras efficietur: aſſignatis in convivium Vobis, aut ad dividendum inter Vos, viginti bobus, & centum ovibus, aliiſque multis, quæ Vobis & liberis Veſtris diem feriatum, eumque feſtivum, facient, in memoriam fundatæ feliciter Reip. noſtræ. Nunc ad Veſtra redite.

Exibunt, plebs: ad reliquos autem Conſul.) Vos amici me ſequimini in Prytaneum.

EPILOGUS.

SI quando Agri, Horti, Vineæ, benè florent, ſpes eſt bonæ Meſſis & Vindemiæ. Annon igitur etiam, ſi Scholæ, pulcherrima illa Eccleſiæ & Reipublicæ ſeminaria, in flore ſtant, bonam Eccleſiæ & Reip. promittunt meſſem? Indubitanter ergò etiam, ſi nos præſentes in hac Illuſtri Schola Veſtra conſtituti palmites & arbuſculæ amæno in Literarum, Linguarum, Sapientiæ, Morúmque, & Pietatis ſtudiis, profectu, efflorescimus, nec tantùm bona & utilia ſcire, ſed & agere, diſcimus:

annon pro dilecta Patria pulchræ messis spes erit? Utique, si jusserit Deus: hoc quo & qui plantat, & qui rigat, nihil est. Nec tamen ille benedictionis rorem affundere, nisi iis qui plantant & rigant, orant & laborant, solet.

Ergò honoratissimi *Scholæ Patroni, Curatores, Visitatores*, ne desinite plantare & rigare! *Vos autem reliqui* favere & orare! *Nos* denique qui in ipsâ Sapientiæ officinâ versamur, laborare! Deus nobis omnibus benedictione suâ clementer adsit, atque ô adsit, adsit!

Ego humanitatis formulam repeto! atque ut nobis, Ecclesiæ & Reipublicæ causâ faveatis, oro. *Valete!*

JANUÆ

LINGUARUM

PRAXEOS COMICÆ

PARS VIII.

Et Ultima.

Res in Regno, & Religione, Divinaque Providentia concurrentes repræsentans.

ISAI. 44. v. 6. APOC. 22. v. 13.

Hæc dicit Dominus, Rex Iſrael: Ego ſum primus & ultimus: principium & finis omnium.

PERSONÆ.

1 Prologus.
2 Ptolomæus Rex.
3 Socrates.
4 Plato.
5 Eratosthenes.
6 Apollonius.
7 Mareschallus Regni.
8 Thesaurarius.
9 Cancellarius.
10 Aulæ Magister.
11 Prætor Augustalis. (*seu Palatii*)
12 Dapifer.
13 Pocillator.
14 Stabuli Magister.
15 Strategus (Belli Dux)
16 Hipparchus (campi ductor.)
17 Tabellarius, Rebellionis nuncius.
18 Eques, externi belli nuncius.
19 Pythanthus Orator.
20 Caduceator, ad hostem.
21 Pythanus Legatus, ad rebelles.
22 Signifer è Castris.
23 Rusticus. } fugientes
24 Opifex. } hostem.
25 Miles è Castris.
26 Centurio è prælio veniens.
27 Tribunus Militiæ.
28 Theologi (*non nominibus sed numeris distinguendi:*) 24
53 Epilogus.

PRO-

PROLOGUS

Spectatissimum Theatrum,

Aristippus Philosophus percontanti cuidam; *Quænam Adolescentibus potissimum essent discenda?* Respondit: *Quæ Viris futura sunt usui.* Recte utique: quia *non Scholæ discere debemus, sed Vitæ.* Quippe non semper futuri Pueri, Scholastici: sed Viri Oeconomici, Politici, Ecclesiastici. Qualia igitur nobis quoque olim Viris ex usu futura sunt, talibus nos jam adolescentes pueros hac Vestra in Schola imbui, testes eritis hodie. Ludicre siquidem & pueriliter, sed non ludicra & puerilia, agitabimus in conspectu Vestro. Res erunt quæ non risum, sed lachrymas, movere merebuntur; Bella, cædes, sanguinis diluvia, quibus se vastat humanum genus. Idololatria item, blasphemiæ, superstitiones, quibus à creatura sua, homine, irritatur DEUS. Non tamen sine solatio, quod nihil fiat nisi conscia superna providentia, omnia mala in finem bonum, gloriæ suæ & salutem piorum inservientem, disponente. Sed præbibit pacatus Regni status: qualem sub Regibus ac Principibus, Magistratibusque bonis, piis, sapientibus concedere solet DEUS. Sicut & Religionis veræ, qualem instituit *Deus*, & in mediis extraneatum Religionum tenebris conservare non intermittit, generalis quædam *Idea*.

Si ergo unquam studiis attenti, honorandi Domini, nunc excitaris adesse sensibus! Hâc etiam occasione pacem & bona Ecclesiæ & Patriæ apprecantes. Bella vero & mala cuncta ut avertat *Deus*, taciris suspiriis optantes.

ACTUS I. SCENA I.

Ptolomæus Rex, Socrates, Plato, Eratosthenes, Apollonius.

[*Rex capite tecto, alii aperto. Mensæ assident.*]

Ptolom.) Exemplum in me habetis, Amici, quàm Reges non semper sui in potestate sua; Regiminis mole sæpe obruti ac distracti, ut sibi ipsis vacare nequeant. Nam ecce Lustrationem Rerum Vobiscum ordine pertransire decreveram, & tamen ut Moralium lustrationi, bino actu habitæ, interessem, ab occupationibus impetrare non potui. Ultima tamen quæ restant, *Regni administrationem & Hominis cultum*, sine me obiri nolo; quia Regium est Regalia tractare negotia, & Regis Regum rueri honorem. Convocavi ergò Vos primùm, ut de agendi modo, & serie, inter Nos conveniat primùm.

Socrates.) Ita est Serenissime Rex; qui cæteris mortalium liberrimi videntur, Reges & Principes, sæpenumerò constrictissimi sunt curarum suarum catenis. Unde illa Hieronis Vox: *Splendet quidem pulchre in hominum oculis Regalis, quæ & gemmis radians, Corona; sed si quis quantum mœroris intus lateat, sciret, humi jacentem non tolleret.* Et quod nonnulli Monarchæ, onerum gravitate fatigati, deponere fasces festinarunt; reverseque ad vitam privatam, non Regibus, sed Rusticolis fœlicitatem esse invidendam, pronunciârunt. Te tamen, optime Rex Ptolomæe, bona fata roborent, ad tot glorioso labores cum laude sustinendum.

Plato.) Naturæ lex est, ut *Majores majora agant & patiantur*, DEI autem beneficium, quòd Majores etiam majoribus instruantur viribus, sive propriis, sive alienis mutuatis. Consiliarii Tui, ò Rex, alii domi foriſque Ministri, manus Tuæ, pedes Tui, oculi Tui, aures Tuæ,

Tuæ, verbo, Instrumenta Tua sunt: *Illis impone labores, Tibi reservatâ directione.* Tam pio, sapientique Regi, ad nutum esse parati erunt omnes, sicuti Nos jam sumus. Comparuimus enim Tuo jussu: manda quidquid placet.

Ptol.) Non solco quod mihi uni placet mandare, sed quod communi Sapientum consensu factu videtur utile, assensu comprobare meo.

Erat.) Optimi Regis optima nota, si relicto Tyrannis illo, *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas,* potentiâ suâ utatur, non aburatur. Hæc placida Majestas Tua, ô REX, reddit Te nobis, subditisque tuis omnibus, æquè amabilem ac venerabilem.

Ptol.) Scio me Hominibus imperare, non brutis; Scio animal rationale melius duci ratione, quàm trahi vi. Scio, malum diuturnitatis custodum esse metum, melúsque sceptra stabiliri amore. Sed eamus in rem, cujus gratiâ convenimus. Dic Apolloni *(ut ne mutam hic agas personam)* quomodo in lustrandis tùm Regni tùm Religionis negotiis procedendum putes.

Apoll.) Serenissime Rex, sapienter dispositi Regni Tui Administrationem, Officiorum Magistros constituisti circumspectè, Mareschállum, Cancellarium, Thesaurarium, Aulæque Tuæ Magistrum. Satrapas item, seu *Dynastas*, Dynastiarum Præfectos, & Provinciarum Præsides, Duces, & Principes: & denique Legatos alio mitti solitos. Hos putem accersendos, ut quàm rectè omnia sua intelligant, ac exequantur, cognoscatur.

Rex ad cæteros.) Quid videtur?

Socrates.) Commodè satis.

Plato.) Recte.

Erat.) Occasio sic erit aliquid monendi, aut etiam si quid exorbitantiæ fuerit deprehensum emendandi.

Rex.) Adsunto igitur Officiarii primùm Aulici: alii vero evocentur è provinciis.

Apollonius assurgens.) Curabitur.

[*Exibique.*]

ACTUS I. SCENA II.

Ingredientur Mareſchallus, Theſaurarius, Cancellarius, Aulæ Magiſter, Prætor Palatii, Dapifer, Pocillator, Stabuli Magiſter. Qui Omnes exhibito honore, coram Rege conſiſtent, ſurgentesque ſimul Conſiliari.

Rex.) Conſtituimus noſtros in adminiſtratione Regni Adjutores convocare, & quàm quiſque officii ſui gnarus ſit, ſimúlque quomodo res geantur ubique, cognoſcere. Vos itaque Palatii noſtri Comites accerſi curavimus primò, ut Vobiſcum de Statu rerum generatim primò conferamus. Tu Mareſchalle, quem Pacis & Diſciplinæ fecimus Magiſtrum, edifſere; REGNUM quid ſit? & ad bonam REGNI conſtitutionem quid requiratur.

Mareſch.) Rex æternùm vive! Te mandare, Nos parere, æquum ſit. REGNUM *dicitur Conciliatio ſeu Collectio multarum Civitatum & Terrarum, ſub Capite uno, inito eo fine, ut virtus unita ſit fortior, ad obſiſtendum illis, quæ diſſipationem adferre poſſent.* Ubi tria ſunt neceſſaria (ſive REGNUM fuerit hæreditarium, quale ſuum eſt, ô Rex, ſive Electivum:) primùm Regio ampla, multorum inhabitatorum capax. Deinde, Statuum digeries ordinata. Tertio Sanctio Legum firmata. Præterea bonum eſt Regionem eſſe redactam ſub Regimen unum, diſcluſámque ab aliis Terris limitibus: ſive nativis, Marium, Paludum, Deſertorum, Montium, vel Fluminum; ſive arte factis, concædibus puta Sylvarum, Arcibus limitaneis, vel aliis. Uni Chinenſes, quod ſciamus, diſcluſerunt ſe à Tartaria magna, muro quadragentarum leucarum, ſeu milliarium noſtratium: opus ſtupendum, interque Miracula Mundi merito referendum. Quippe qui muri quatuordecim orgyias alti, ſeptem paſſi, eſſe ſcribuntur.

Rex.)

Rex.) Prodigiosa res! Tu tamen pergo.

Maresch.) Intra se REGNUM dividitur, in Principatus certos, aut Comitatus Majores, & Dynastias minores. Ubi si quis absolute dominatur, *Dominium est*: Ubi Jurisdictionem duntaxat administrat, *Districtus*, vel *Satrapia*, dicitur: Ditio autem bello devicta, & nostro Imperio adjecta, *Provincia* nomen accipit. Qualescunque tamen id genus Tractus sunt, circumscribuntur Regionatim suis Limitibus; fruuntur que minora Territoria minoribus immunitatibus, majora majoribus, maximis autem Regnum ipsum, sive Proceres ipsos collectim sumtos. Si enim Regnum verè REGNUM est, necesse est habeat liberos Status, seu Ordines, colligatos inter se vinculo Legum & Statutorum; & habentes infra se Populum cui imperant, supra se autem Regem, aut Reginam, cui parent. Inter Status numerantur *Civitates Liberæ, Nobiles, Barones, Comites*; *item Principes, Marchiones, Duces*. Quorum quilibet Regulorum instar dominantes, habent sub se in *Comitatibus, Marchionatibus, Ducatibusque suis*, inferiores *Dynastas, Barones & Equites*: possessores videlicet *Dynastiarum, Baronátuum, Arcium*, aut *Prædiorum*; sive mancipi, & hæreditariò; sive ut *Vasallos*, jure feudi. Caput omnium tandem Rex est; sive *Sceptrum* capessat hæreditariò (*ubi jus Regii stemmatis illud est, ut primogenitus succedat*;) sive eligatur liberis Ordinum votis, vacante sede, cui vocato & coronato *Homagium* præstatur: postquam tempore *Interregni* Gubernatio administrata fuit per *Interregem*. Atque tum Rex novus renovat officia *Regni*, Provinciarum obiens lustrationem; reversus, & in sua *Regia* residens (plerumque in *Metropoli*) delegat, quaquaversum opus est, *Vicarios*, *Præfectos*, aliosque Administros; quin & ad exteros mittit Legatos, qui authentico instructi Diplomate negotia sibi commissa gerunt, legationis arcana non cuivis deregentes.

Rex.) Satis de personarum in Ordines & Status digestione,

one. Quia verò rerum gerendarum nervus pecunia est, de Reditibus Regni jam narra, Tu *Thesaurarie*.

Thesau.) Per omnia Mundi Regna usu receptum est, ut Populus non tantùm Superioribus suis obediat; sed & ea, per quæ Superiorum Status sustentatur, suppediret, serviendo in nutum illis, jumentis & viribus propriis; pendendoque *Tributa*, *Census*, *Vectigalia*, quandoque & *Capitationem*.

Rex.) Ista quatuor, *Tributum*, *Census*, *Vectigal*, *Capitatio*, quid differunt?

Thes.) *Tributum* est anniversaria pensio ordinaria, seu de proventibus quibuscunque, seu nominatim pecuniaria. *Vectigal* solvitur à rebus Regno evehendis aut invehendis: aut etiam domi certis locis, ad Pontes, & Transitus alios. *Census* autem seu *Censio*, indicitur extraordinarie, quum urgens aliqua necessitas plus pensi requirit, & opulentiorum possessiones pressiùs examinantur, indéque centesima quinquagesima, decima, quandoque & quinta pars, in usum *Fisci* exigitur. Aut etiam cùm rebus victualibus, *Vino*, *Cerevisiæ*, *Carnibus*, & vendendis & emendis, Tributum certum assignatur. *Capitatio* denique est Tributum in singula capita, (*etiam Infantium*, & *Servorum*, & *Mendicorum*) inperatum. Quod tamen nonnisi extremâ necessitate exigi solet, & debet; quia *boni Pastoris est tondere pecus*, *non deglubere*. Utinam verò tuo, optime Rex, exemplo, omnibus imperantibus liceat sic imperitare, quomodo Subditis etiam collubere possit obtemperare, citra querelas & coactionem. Tu enim Tuos, nec attenuare angariis, nec exhaurire exactionibus, permittis: delinis potiùs Congiariis, & Donativis, optime Pater Patriæ.

Rex.) Res humanæ non Cyclopicè, sed humanè, gerendæ sunt; divexare suos, afflictare, excarnificare, detestabilis est *Tyranni*. Sed annum Tuipse *Quæstoribus*, *Tabulariis*, *Publicanis* & *Tabularii*, *Fiscalibus*, injustas permittis exactiones, aut illis connives?

Thes.)

Thes.) Veniunt quidem de rapacibus quibusdam Harpyis nonnumquam querelæ; sed absit, ut bonitatis Tuæ malos administros scientes volentes toleremus; removeri solent ab officiis, aut etiam trahi ad pœnam.

Rex.) Ita fieri volumus. Quid jam Tu *Cancellarie?*

Cancel.) Tuâ Voluntate, Rex, factus sum *Cognitor causarum ad Majestatem Tuam devolutarum, Custosque Sigilli, & Archivi Tui*, cum additis mihi *Secretariis & Amanuensibus*. Nec aliquid agere Te inscio, & non mandante, muneris aut moris est mei, cùm privatim, tùm publicè. Aguntur enim in negotiis totum Regnum concernentibus *Comitia*, cùm Regio suo jussu concientur *Nobilitas, Optimates, Civitatumque Primates*. Ubi alii præ aliis suffragii prærogativâ gaudent, ordinis causâ; ut ne se confundant, & negotia turbent: aut aliquis non permittatur suffragari, vel refragari: sive sancienda sit nova quædam Lex, sive abroganda vetus; aut novanda Moneta. aut ineundum cum vicinis Fœdus, Bellisimve decernendum, & quæ plura id genus momentosa obveniunt, deliberanda.

Rex.) *Ubi Multitudo, ibi Confusio*: annon præstaret Absolutum Regimen? ut Rex communicato cum optimis consilio, agat potius quæ Populi salus requirit, quàm ut quomodo aliquid agendum sit ambagiose consultando, agendi tempora deliberando consumat.

Cancel.) Verum est, Rex optime, ubi *Multitudo est, ibi Confusionem reperiri*, nisi multitudo reducatur ad *Unitatem*. Reducitur autem in Legitima Regiminis forma, ut apud Nos: ubi multi quidem deliberant, & sententias dicunt. Tu tamen Rex noster, Caput nostrum, tandem concludis unus. Absolutè regnare, & non multis distrahi consiliis, facit ad negotiorum celeritatem: audire tamen multorum consilia, & eligere optima, tutius est. Reges Regum, qui se Monarchas appellant, regnant ferè soli absolutè: quanquam Romani Imperatores (*seu Cæsares*) Collegas sibi legere soliti sint. Sed & in præcipitatis consiliis non Regna tantum evertere, sed & seipsos perdere potuerunt,

Rex.

Rex.) Ita est: *Moderata durant.* Duret ergò & nostrum moderatum, ex Monarchia & Aristocratia temperatum Regimen. Tu Aulæ Magister, explica munia Tua.

Aula Mag.) Ego sum *Magister Curiæ*, sive Magister officiorum, præpositus Familiæ Principis; attendens ut *Cubiculariis* & *Atriensibus*, tota denique *Aulica Turba*, suo quisque loco in ordine decenti se contineant. Si venium Exterorum Legati, admittendi ad Audientiam; aut alia celebratur Regali pompâ Solennitas, meum est providere, ut se Rex pro Majestate exhibeat, eburno sedens solio, magnifice vestitus *Trabea*, ornatus *Diademate*, stipatus aulicorum frequentiâ.

Rex.) Tu verò *Prætor Augustalis* quid dicis?

Prætor Palatii.) Custos sum eorum, qui tuam, ô Rex, vitam custodiunt, & Majestatem; *Cohortis* nimirum *Prætorianæ*, cui cura corporis Tui committitur. Præfectus Satellitum, & Stipatorum Tuorum.

Rex.) Munus hoc tuum quanti æstimas?

Prætor.) Equidem exemplo Tuo didici, ô Rex, quod revera non tam Satellites Principem tutantur, nec tam locupletant *Fisci reditus*, aut repositæ Gazæ, quam *Provincialium* amor. Majestatis nihilominus tamen interest, *Augustale* suum *(seu Palatium)* splendere armis.

Rex.) Quid Vos reliqui?

Dapifer.) Mihi Dapifero Regiæ Mensæ incumbit cura, ut decenter, ut magnificè, ut splendidè, cibis opiparis, salubribusque, instruatur.

Pocillator.) Meum *Pocillatoris* est poculentis attendere, ut non nisi optimi potus, mundissimis aureis & crystallinis phialis, gemmeisque trullis, Domino Regi nostro propinentur.

Strabuli Magist.) Ad me Strabuli Regii attinet cura. Nempe ut Equinum genus bene strigmetur & mundetur, & ad artificiosos gressus in gyro exercearur quoridie. Tum & phaleræ, ac ornamentorum omne genus, meâ sub inspectione sunt.

Rex.) Omnes laude digni, qui demandatis vobis strenuè

strenue fungimini munis. Verum satis jam: vide Prætorii Præfecte an Militiæ Duces jam adverneint.

[*Ibit: interea ne silentium sit, unus ex Consiliariis intersabitur.*]

Erat.) Pace Tua Serenissime Rex: *rursumque ad Aulæ magistrum conversus*) Curiæ Magister; est quod Te intertogem; Eunuchorum in Gynæceo usus etiamnum apus Vos obtinet?

Aulæ m. Obsolevit.

Erat.) Perquam bene. Viro enim non Viro, fœmineæ pudicitiæ custodiam committere, quam illepidum! Sed utinam Moriones quoque, Gnatones, Nugigerulæ, Sycophantæ, Aularum appendices, repudium ferant!

[*Interim redibit Prætor Augustalis, Militiæ Præfectos secum ducens.*]

ACTUS I. SCENA III.

Strategus Belli dux, *Hyparchus* Campiductor, (Legatus ejus) *Postea Tabellarius, rebellionis nuncius. Eques externi belli nunciator.*

Strat.) Vivat Rex Dominus noster!

Camp.) Vivat!

Rex.) Vivite Vos quoque publicæ Tranquillitatis custodes. Acciri vos curavi, quia dum omnia Regni nostri lustramus ordine, vos etiam, qui Nobis & subditis nostris etia procuratis, præterire non potuimus. Apollon, age cum his nostris, de Pacis, Belliquæ artibus.

Apoll.)

Apoll.) Tuo mandato, o Rex. (*& ad illos conversus*) Am ci, annon pacatus rerum status optatissimus?

Strat.) Pax optima rerum, quas homini novisse datum est: *Pax una triumphis innumeris potior*, canit Poëta. Verumenimvero perquam crebro evenit, ut pax obtineri nisi vi armorum nequeat, dum gladium in vagina nonnisi gladius continet: Bellumque illatum, non nisi Bello propulsatur. Fit enim ut Gentes finiti me, lites movendo de Confiniis, invadant nostra: & fit, ut Potentes de eminentia inter se contendendo, suos bello involvant Populos: & fit, ut domi etiam suboriantur motus, non aliter quam vi compescendi. Puta, cum Superiores inferioribus tyrannice intentant servitutis jugum: hi autem pro libertate sibi putant dimicandum, aut ad alium Dominum desciscendum. Item cum *Factiosi* quidam turbatores (*propter privatas simultates, alio tamen quopiam praetextu*) clandestinas disseminant conspirationes, & concitare moliuntur conjurationes, tumultus, seditiones, rebelliones, atque sic bella intestina.

Apol.) Ut tamen anteveniatur Bellum, nihil non tentandum est, domi forisque: nempe depaciscendum cum confinibus, compactaque subinde renovanda. Domestici autem continendi sub æqualitate jurium, nec permittendæ injuriæ in quenquam: apprimè observandi inquieti, proclives ad novationem rerum, & callidi causari quidvis, ut quid obtendere queant suis molitionibus.

Campid.) Domine, Facilius est de his philosophari, quàm reipsa Populos perpetua in pace continere. Ingenium enim humanum est inquietum, & novarum rerum avidum, & ad dolos technásque versutum.

Brevist.) Omnis Prudentia potest prodeat Vigilantia.

Strat.) Noscio Domini, qui nunc in Pace nos esse credimus, quàm dissimilem id nobis futurum sit. Unam quia Provincias Tuas, ò Rex, Rebellionem moliri haud obscuris colligo indiciis: Vicinum autem

Regem

Regem Syriæ exercitum parare, & quidem adversus Te; nondum quidem publico rumore, tacita tamen quadam multitudine ad me perlatum est. Emisi utroque cautos *Exploratores*, quorum reditum singulas in horas prospecto.

[*Illo hæc loquente advolabit festinatione anhelus Tabellarius, tradetque Stratego Epistolam, dicens.*]

Tabellar.) Domine, Curriculo currere jussus sum: ecce sudore diffluo! (*Strategus inter resignandum Epistolam.*) Serenissime Rex, habeo per loca suspecta cointelligentiam cum Viris bonis, Tibi Regneque fidelibus, à quorum uno [*En*] Epistolam accipio, [*qua apertu leges dare:*] Non irrita fuit suspicio, machinationes clandestinæ in apertum erumpunt: Inchoatur munitionum reparatio, conquiruntur arma: miles incipit deligi: in occulto sanè quidem adhuc, certò tamen.

Rex.) Quia hoc novæ rei?

Camp.) Nunc opus consilio domini Philosophi.

[*Illisque tacentibus, accurret alius, veluti Eques modo Equo delapsus, exhibitoque Regi honore, ita fabitur.*]

Eques.) Syriæ Rex iugentem cogit Exercitum, amicisque Vicinorum contrahit undique, Tibi Bellum indicturus, ò Rex.

Rex.) Unde habes, quòd arma hæc adversus Nos sumantur? nullam dedimus causam.

Eques.) Publicè hoc uno ore loquuntur.

Erat.) Strategema est bellicum, aliò famam mittit, aliò ibit.

Camp.) Hosti non fidendum.

Strat.) Nemo facilius opprimitur, quàm qui nihil timet.

Plato.) Prudentis est, plus metuere quàm sperare.

Rex.) Consilia igitur cito expromite! Periculum in mora esse video.

Sere.

Secr.) Duos Tibi objici hostes video, ò Rex: difficilè erit cum duobus congredi. Dividendi sunt, Mitte ad Subditos cumulantes ocyssime, reconciliationemque illis offer, gratiam promitte, de Satisfactione plenâ, (*quæcunque tandem habituri sunt Gravamina*) securos redde: præsertim qui seditionis hujus capita esse intelliguntur. Si hos à pravis consiliis dimoveris, viceris. Ad æternum vero hostem mitte Caduceatorem, qui pacem petat: non supplicando, sed rupti sine causa fœderis turpitudinem exprobrando, & ad conditiones æquas, si pacisci debeat, sese offerendo.

Strat.) Hæc agendi ratio perdet Nos, si blanditias tantùm hosti opponere, non etiam terrorem, in animum inducimus.

Rex.) Quid ergo faciendum putas, dum imparati, hostique impares sumus?

Apol. Vana est sine viribus ira.

Stat. ad Apollonium.) Et vana est in hostili placabilitate fiducia. [*Tum ad Regem conversus.*] Serenissime Rex, in acie novaculæ versamur, perniciose moras nectimus. Dimitte Nos, ut collecta quantacunque manu, hosti aditum intercludamus: domi autem bellico apparatu nos instruamus, quàm usque possumus; *Milite, Commeatu, Armis.* Quæ res cum dapsiles requirant sumtus, neque cogendæ à Populo stipi tempus sufficit, jube aperiri *Thesauros Tuos, Granaria* Tua, *Armamentariaque* omnia, citò, citò, citò. Eamus nos acturum, armatas undique coacturi catervas: Vos autem hîc consiliis disponite omnia; *Legatos* ad rebelles; *Caduceatores* ad hostem; *Solicitatores* ad Vicinos foederatos, pro auxiliis, expedite.

Rex.) Esto! Ite, & rem strenuè ac fortiter agite! Tu verò *Thesaurarie* Pecuniæ illis suppeditâ quantum opus.

[*Ibunt ergò Militiæ Præfecti, & Thesaurarius cum illis.*]

ACTUS

ACTUS I. SCENA IV.

Pythanus, Caduceator.

Rex.) *Cancellarie*, Abi, ſcribe citò ad Fœderatos, Populos, Reges, Principes, Civitates; Tranſcriptiſque per Tuos Amanuenſes epiſtolis, mitre per Pegaſarios, fac de imminente nobis Belli mole certiores, atque ut Auxilia mittant, vi Fœderis poſtula.

Cancel.) Dictum factum. [*Exibitque*]

Rex.) Tu *Plato* ſuadendi artifex, & cui conſilia ſub manu naſcuntur, ſuſcepe ad iſtos meos, defectionem neſcio quam ob cauſam molientes, profectionem! Perſuade illis meliora, ut ad ſe redeant: multum enim mihi in te eſt ſpei.

Plato.) Negare tibi, Rex, nihil poſſum: Experiar, quid conſilio valeam, ſi audire volent. Sed adiungatur mihi de politicis Tuis aliquis.

Rex.) Vocétur *Pythanus*, fidus mihi, induſtrius, bonus & ipſe Orator. Tu verò *Aulæ Magiſter*, cura celeritatis cauſâ Eſſedum, addeque homines probos.

Aulæ Magiſter.) Curabitur.

[*Exibunt celeré: móxque in agreſſu ſe illis adjunget Pythanus, cui Aulæ Magiſter in aurem quiddam áicet, manuque prehenſa ſecum ducet.*]

Prætor Auguſtalis.) Inter Satellites Tuos eſt Juvenis animoſus, ingenii plenus, provinciæ huic valdè idoneus. Ecce adeſt! advocavi enim ſimul ac hujus rei occepta fuit mentio.

Rex.) Adoleſcens, audéſne adire hoſtem, noſtras illi deferre literas, & quæ mandabimus loqui?

Caduc.) Nihil mihi ex hoste terroris. Manda *Rex*, quicquid placet, exsequar.

Rex.) *Socrates* cum *Eratosthene*, agite, ite cum eo in Tabularium, & cum Cancellario illum expedite, instructum literis & monitis. [*ibunt.*]

Rex ad cæteros.) Egredimini Vos quoque.

[*Exibunque.*]

ACTUS I. SCENA V.

Rex solus, obambulans, meditabundus; tandem consistet.

Illæne sunt Regum deliciæ? Ex tanta tranquillitate tantas procellas! quam insperato, quam subito, orras! Populus intus totus, ut video, trepidat: Ego vero illorum causa angor. Sed *bona vanse fiducia* mihi *animum addit*, non defore tantæ perfidiæ ultorem. O justitiæ Præses, respice! Sed & mihi faciendum est, unde Populus meum agnoscat protegè & grege motum me paratum. Absit despondere animum! gubernator in tempestate agnoscitur. Nunc disposita sunt omnia, ut in recenti potuêre tumultu. Si ferox hostis pacificationem renuat, proficiscar ipse in castra mea, intereroque expeditioni; ut mei me semper videntes præsentem, animosius agant.

Utinam vero redeant aliqui emissorum, ut quid fiat cognoscam!

ACTUS

ACTUS I. SCENA VI.

Rex, Caduceator, Conſiliarii, Plato & Pythanus.

Rex, Caduceatori.) Salve, bone nuncie! quid fers boni?

Caduc.) Nihil boni: in hoſtis conſpectum admiſſus non ſum. Nam ut fines Regni tui exceſſi, obviam habui Equitum turmam, qui me, quis eſſem & quid vellem examinarunt, retroegerunt. Ipſi vero *Fecialem* ſecum habentes, in ipſo confinio Bellum adverſus te clarigarunt: audientibus id cohortibus tuis, ad fauces montium excubantibus, hoſtemque aditu prohibentibus.

Rex.) Hoſtilis Exercitus ubi eſſe dicitur?

Caduc.) Jactabant adventare, jam in proximo eſſe.

Rex.) Voca mihi *Socratem* cum *Eratoſthene*: ſed & Cancellarium, alioſque ſanctioris Conſilii.

[*Curret: & ingredietur Cancellarius cum reſcriptis Fœderatorum.*]

Rex.) Periclitamur, Amici. Hoſtis appropinquat: Exercitus noſter imparatus: *Platoni* apud rebelles quid fiat, nihil ſcimus: nec de uſſis Auxiliis quidquam.

Cancel.) Redeunt *Veredarii*. Bene omnia apud ſocios, advolabunt Auxiliares manus: ſubſidiorum ſatis: modo hoſtis detineri poſſit, dum noſtri confluant.

Erat.) Ecce *Platonem* quoque, cum *Pythane* redeuntem.

Plato.) Salve Rex proſperrime! cujus auſpicio quicquid ſuſcipitur, procedit. Enarra rem Pythane.

Pyth.) Venimus ad rebelles, reperimus contumaces primum, & inſultantes: ſed majeſtatis tuæ reve-

rentia, rectè illis ob oculos posita, miteſcere eos, & criſtas demittere, coëgit. Hinc ad querimonias de contemtu quodam, & injuriis Aulæ, verſos, Juſtitiâ iterum ruâ in protegendis innocentibus Mundo notâ, graphicè illis oſtenſâ, errorem agnoſcere compulimus: ut ſibi jam imputent, quod Clementiâ tuâ uti neſciant. Deprecantur itaque culpam, & ſe Tuo iterum ſceptro ſubmittunt, collectaſque copias ſuas Exercitui Tuo jungunt, pro Te ſua jam oppoſituri pectora.

Rex.) Perbellè rem egiſtis, belli & ſapientes Oratores. Quid autem exercitus noſter agit? Mittamus ad eos, ut cautè agant, donec robur noſtrum coire poſſit.

ACTUS I. SCENA VII.

[*Signifer è caſtris veniens ingreditur, & abruptè incipiet.*]

Imperator noſter, *Strategus*, miſit me ad te, ô Rex! ut militiæ noſtræ hucuſque ſucceſſum ad te referam. Egreſſus à Te, ſummâ celeritate dimiſit *Conquiſitores*, qui militaturos colligerent, datoque auctoramento conducerent. Quos in ſubmontana illa, unde hoſtilis metuebatur irruptio, deductos, viritim luſtravit, ſacramentoque abſtrictos auctoravit. Tum inſtruxit armaturâ; alios levi, alios gravi: ut æque defendere ſeſe, ac imperere hoſtem animosè, poſſent. His tutando capiti obtulit *Galeam*, pectori adoperiendo *ferreum Thoracem* (*Cataphractos* verò loricavit circumquaque:) ſiniſtro cujuſque brachio indidit *Clypeum*, vel *Scutum*, dextro *Haſtam*. Tandem lateri accinxit *Gladium*, vel appendit *Balthei*: ut promtius ſtringatur è vagina, rurſumque recondatur capulo tenus. Dehinc concentu-

riavit

riavit Exercitum, per *Vexillationes & Legiones*: redigendo *Equitatum* in *Turmas*, *Pediatum* in *Cohortes*; præponendoque per ſingulas *Decurias Decuriones*: *Centurias Centuriones*; *Millenarios* ſuperpoſuit *Tribunos*: ſingulis adjungens ſuum *Locumtenentem*, ſuumque *Vexilliferum*. *Dimachas* & *Volones* aggregavit tam *Equitatui* quam Peditatui. *Tyrones* verò intermiſcuit *Veteranis*, *Lixarum* & *Calonum* turbâ ſervitiis relictâ. Ita diſpoſitis rebus, ſuſcepimus quantocyus Expeditionem; præmiſſo *Metatore*, qui caſtrametatus eſt loco tùm frumentationi tùm pabulationi, aquationi item & lignationi, valdè commodo. Ibi poſuimus Tentoria, fiximúſque paxillis: utque Strativa eſſent ab incurſionibus tuta, circumvallavimus torum caſtrorum ambitum aggeribus. Inſtituimus tamen *Excubias*, per certas ſtationes: neeunde inopinatò ſuperveniens hoſtile agmen peſſundet incautos: datúrque *Vigilum Præfecto* quotidie *Teſſera*, quâ ſui ſe recognoſant. Emittimus quoque *Speculatores*, & *Exploratores*, qui hoſticas machinationes obſervent, reduceſque viſa & audita referant: fiuntque ſimul catervatim excurſiones, obviaturæ depopulantibus ubiubi occurrentibus. Hucuſque res deductæ ſunt, *Sereniſſime Rex*: ut in tuto eſſe adhuc omnia Majeſtas tua intelligat. Sed conſilio opus: quoniam Hoſtis anguſta viarum penetrare nondum potuit, & ſe cis Montes continet, quid nobis faciendum? irruendumne in hoſtem, ſi inopinato opprimi poſſe ſpes ſit? an expectandum donec ſubſidia veniant? jam enim propinquant.

Rex.) Salva igitur ſunt adhuc omnia?

Sign.) Non aliter ac retuli.

Rex ad Conſiliarios.) Quid ergo jam ſuaderis? Progrediarne ad Ceſtra?

Plato.) Audi me, ò *Rex*! ſi rectorem militiæ Tuæ haberes aut imperitum aut ſegnem, aut cujus fides ſuſpecta eſſet: ſuaderem omnino, ne cui alii quam Tibi Tuam & Regni ſalutem committeres. At quia Tibi

tam strenuus, tamque indefessus, & in omnia tam circumspectus, fidelis denique contigit *Strategus*; domi te continebis melius: ne & te nulla necessitate fatiges, & illi turbes lineas, qui verecundiâ Tui non tam forte animose res ageret, atque dum à suâ unius vigilantiâ salutis spem pendere videbit.

Soc.) Parce Tibi ò Rex, & Te citra necessitatem dubiæ sorti ne expone.

Erat.) Idem unanimiter suademus.

Apoll.) Serva Te melioribus, ò Rex! furiosa ista agant alii.

Socrat. denuo ad Signiferum.) Tu amice, redi ad Ducem tuum, & renuntia, nos illius vigilantiæ concredere Patriæ Salutem. Sit Vir, & agat strenue: sed nihil tentet antequam totum auxiliorum robur unitum fuerit: neque confligat, nisi aut summa necessitate coactus, aut summâ opportunitate invitatus, & victoriæ certus.

Signif.) Referam fideliter. [*Exibitque.*]

ACTUS I. SCENA VIII.

Rusticus quasi fugiens currat in Theatrum lamentans.

Rustic.) Heu misero mihi, quo me vertam? quo fugiam? Hosti pertupit claustra, infudit se ut diluvium in Terram nostram, ferro & igne vastat omnia: Heu heu! Mei quoque omnes trucidati sunt, solus effugi: Hem!

Ren.) Auditisne? Ecce securitas nostra!

[*Complosis manibus.*]

Unifex quidam cruore fœdatus quasi vulneratus itidem anhelus.) Infelix patria, jam periit! O infelices patriæ defen-

defensores, ubi nunc estis? cur Patriam non defenditis? Hostis impunè grassatur, incendiis ac cædibus implet omnia.

Plato.) Hem barbariem! (*Miles è castris ad Regem currens*) *Dux* meus me ad Te mittit, ô Rex, ne paveſcas, siqui advolabunt rumores. Perrupit hostis, sævire incipit: sed cui compescendo nostri exercitus jam se accingunt; brevi accipies lætiora.

Rex.) Utinam lætiora! anceps est alea belli.

Soc.) Confide Rex! penes nos bona causa: Triumphabimus.

Apol.) *Frangit & attollit vires in Milite causa:*
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.
Aut si non pudor, Deus, cujus est vindicta.

ACTUS I. SCENA IX.

Centurio ex pugna veniens.

Cent.) Vivat Rex, Victoriosus Triumphator!

Rex.) Unde bone vir?

Cent.) Ex prælio recta.

Rex.) Jam ergò prælio dimicatum est? quo eventu?

Cent.) Hostis cæsus est. Victoria Tuis cessit.

Rex, sublatis ad Cælum oculis, & manibus.) Vera narras?

Cent.) Verissima. Hi oculi viderunt omnia: hæ manus mactando & captivando hostes, patrârunt cum aliis victoriam.

Rex.) Narra ergo. Nobis pugnæ processum, quæso Te.

Cent.) Eo fine a Duce meo ad Majestatem Tuam missus, fideliter exsequar omnia, ordine ut gesta sunt. Quum hostis ferox, insperato loco transitu ad Nos

facto, furiosè grassari cœpisset; Nos auxiliis undique roborati movimus adversus eum. Quo ille viso contraxit copias suas, ordinavitque in aciem quadratam: nos in cuneatam. *Peditatus* enim noster occupavit medium; *Equitatus* abiit in alas; Duce nostro circumequitante, omnesque ad strenuitatem inflammante. Tùm cœptum est Tympanorum strepitu, Tubarúmque & Lituorum clangore, classicum cani; Velitésque hostes incessendo fecerunt initium pugnæ. Mox concurrerunt Legiones *Primipilorum*, pugnárúntque truculenter, eminus & cominus: ejaculando in longius dissitos fundis lapides, sagittas Arcubus, glandésque plumbeas Sclopetis, quibus hostem ingruentem arcebant, irruentésque nihilominus transverberabant, aut trajiciebant lanceis, bipennibúsque magno nisu vibratis. Proximos proturbabant clavis, vel cædebant *ensibus*, aut obtruncabant *acinacibus*, quin & transfigebant *frameis* ac *pugionibus*. Fiebatque miseranda *Strages*, dum hinc & illinc cadentes (*nam & nostrorum multi occubuerunt*) proculcabantur & proterebantur, horrendo cum ejulatu. Novissimè producti sunt *Triarii* & *Prætoriani* nostri; redintegratúsque est conflictus. Subvenerant & *Succenturiati* opportunè, ex insidiis invadentes hostem; unde factum ut disturbata esset hostilis acies. Qui terrore perculsi elabi tentabant fugâ: sed quibus diffugii spes non fuit, dedebant se, & capti sunt. Qui cædem & captivitatem evaserunt, palantur dispersim, quærentes confugium. Et quia nox diremit pugnam, & victoriam prosequi non esset commodum, canebatur receptui: Victorque noster Miles dirbuit devictorum prædam, & manubias. Ego verò ut hæc, hucusque fœliciter gesta, Majestati Tuæ renunciarem, missus sum.

Maresch.) Annon recolligent hostis dissiparos suos, diricationemque redauspicabitur?

Cent.) Non spero; Fractus est viribus, amissâ majori exercitus parte.

Rex)

Rex.) Nuncie bone, bonum præmium merite, accede. En, orno te hâc aureâ torque,

[*Imponétque collo ejus.*]

ACTUS I. SCENA X.

Tribunus Militiæ ingreditur.

Trib.) Victoriarum continuationem affero, *Rex* felicissime. *Vrbes & Arces*, in quas se receperant profligati, cinximus copiis, obsedimus, obvallavimus, oppugnavimus, expugnavimus, denique occupavimus, aut potius recuperavimus: Tuæ enim erant ò *Rex*, sed occupatæ ab hoste.

Rex.) Quomodo res fuit gesta?

Trib.) Adhibiti sunt multifarii machinátus: quia obsessi nihil intentatum relinquebant, ut se defenderent. Exstruebant *Antemuralia propugnacula*, & hæc præseptebant sudetis. Dúmque nostri admotis scalis muros scanderent, spargebant per submæniana *murices ferreos*, & superinfundebant irrumpentibus *ardentem picem*. Faciebant etiam eruptionem, abarcere nos obsessores suos tentantes, sed repulsi sunt, & debellati majore vi, donec se angustatos & suppetiarum nullam spem videntes, deditionem tractare inciperent, *Induciásque* peterent. Quæ pangebantur ad aliquot horas, datis utrinque *obsidibus*: qui se fic pactitiâ deditione submiserunt, nacti sunt conditiones honestas. Sed obstinati, & fulminis vi expugnati (ubi tormentis muros diruere, aut *Impetardis* portas dirumpere, vel per *suffossiones occultas*, subterraneosque *cuniculos* propugnacula disjicere, demumque imperu furiali militem immittere, necesse habuimus) deleti sunt ad internecionem, bonáque illorum direpta. Nunc igitur obtenta plena Victoriâ Tui perveniunt onusti *spoliis*, erectisque *Trophæis*, & jubilantes

lantes ac ovantes: aut etiam. si *Rex* jubes, triumphantes. *Triumphum* enim certè fortissimus belli Dux noster *Strategus* meruit, agendum solennissimâ pompâ.

Erat.) Omnes enimverò *strenui*, quorum virtus principaliter enituit, nobilitandi erunt, & ob heroica facinora *insignibus* condecorandi; *Sauciati* item sanandi, *Captivi* redimendi, aut permutatione liberandi, ut postliminio ad sua redeant: contra verò perfidi *turbarum Authores, defectores, proditores, perduelles*, plectendi: Nec non timidi Commilitonum desertores & transfugæ, puniendi.

Plato.) Diem tantæ lætitiæ non suaserim suppliciis aut ullis funestis actionibus, fœdari. *Regem victorem Clementia decet.*

Apoll.) Potiùs miles in hiberna distribuatur, ut respiret: aut si confectum est bellum, exsolutis stipendiis exarmetur & exauctoretur, ut ad sua quisque redeat, Pacemque redditam esse omnes videant & gaudeant. Emeriti etiam *rude* donandi, sunt & qui pro patria occubuere, afficiendi *Panegyricis & Adoreâ*. At verò utinam obsolescant hæc generis humani opprobria, Mundique disperditio, *Bella*! nihil enim uspiam est tam sacrum & inviolabile, tamque celsum, munitum, impensum, aut immensum, invictum aut inexpugnabile, quod vis Belli non violet, infirmet, infringat, subruat, arterat, vastet, exscindat, aboleat.

Sapr.) Rectè mones. Pax orbis terrarum salus esset generis humani, ubi sapientiæ & religionis studia efflorescere possent universaliter: sicut *Rex* noster jam in *Regno* suo pace restitutâ, fœliciter tentare poterit.

Rex.) Fiet: Eja aggrediamur priùs ad peragendum *Triumphum*, constituendâque eâ, quæ stabilendæ Paci serviunt.

[*Exibunt resonante triumphali Musicâ diutulè, quæ postquam cessaverit, prodibit denuò Rex cum Consiliariis, considebuntque.*]

ACTUS

ACTUS II.

[Religionis continens lustrationem.]

SCENA I.

Rex cum Socrate.

Rex.) Amici, Est Deus in Cœlis regnans, cujus voluntate in Terris fiunt omnia: qui Regibus dat victorias, omnibusque Terræ habitatoribus vitam & omnia, si illi serviant puro corde: sicut ex libris *Dei deorum*, qui est *Deus Israelis*, didici. De hujus itaque cultu jam sermones conferre placet.

Socrat.) Piæ, prorsusque Rege dignæ cogitationes sunt, *Regis Regum* tueri honorem. Sed & ordo ipse lustrandarum *Rerum* eò nos ducit, ut quemadmodum hucusque spectavimus, quomodo *Homines* tractent *Res*, & *Seipsos*; videamus quoque *actiones* eorundem *reflexas in Deum*. Puto autem de rebus ad *Religionem* spectantibus, non sine præsentia virorum *Religiosorum*, quos vocamus *Theologos*, agendum esse. Placeat itaque Majestati Regiæ eos accersi.

Rex.) Jam curavimus, spero adesse. Vocentur.

[*Apollonius exibit vocatum.*]

ACTUS

ACTUS II. SCENA II.

[*Ingredientur 24 Theologi habitu decoro, non nominibus, sed numero distinguendi. Qui dum Regi se incurvabunt, Consiliarii assurgent: illorum vero primus sermonem sic auspicabitur.*]

Theologus primus.) Ad mandatum Regiæ Majestatis comparuimus.

Rex.) Grata nobis est præsentia Vestra, Religiosi Viri: quos *de Deo, & Religione* differentes audire desiderium nobis est. Quæ actio ut sit gravior, considete per sedilia.

[*Inferentur sedilia & ponentur in conspectu Regis tali situ, ut omnes Regi & Consiliariis obversi videri & audiri queant.*]

Rex.) Agere cum illis tu Socrates incipe.

Socrat.) Religionum differentias spectare volupe est Regi nostro, & nobis. Cùm autem utile sit Poëtæ consilium,

Navita de ventis, de Tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves;

Et per consequens quisque alius, res ad professionem suam spectantes: Vos professione *Theologi* mysteria nobis *Theologiæ ac Religionis* enarrate. Primúmque primus dicat quodnam est *Religionis* fundamentum?

Theol. 1.) Totius Religionis, adeoque omnium Religionum, fundamentum hoc unicum est: quòd animus cujusque hominis persentiscit, quemadmodum ipse regit suum Corpus, ita esse quandam *æternam Mentem*, quæ moderatur hoc UNIVERSUM: cui ut placeamus, esse de illa *cogitandum sancte*, & *faciendа* illi *grata*: & sic *exspectandam* ab illo *retributionem*. Omnes igitur *Religio* re-

resolvit se occultè in *tria*; *Fidem in Deum*, *Reverentiam in eum*, & *Spem misericordiæ*; quæ quisquis curat, habetur *religiosus*; qui non curat, *irreligiosus*; qui præposterè curat, *Superstitiosus*. *Atheismus* est, non credere Numen; *Epicureismus*, colere Ventrem pro Numine; *Sadducæismus*, non exspectare immortalitatem ab immortali. Ast quia scire de Deo nequit, nisi quid ipsemet de se revelaverit, hinc est, quod omnes gloriantur de *Revelatione* aliquâ; sive comprehensâ *Libris*, sive acceptâ a majoribus per *Traditionem*: Tur ùnque omnes congruunt in eo tacitè quòd *optima Religio* sit, *Credere quod* DEUS *revelavit*, & *Facere quæ mandavit*, & *Sperare quæ promisit*. Tandem, tametsi DEUS colendus sit Spiritu, assentiuntur tamen Omnes, necessarios esse externos quosdam *Ritus*, quibus excitentur ad internum fervorem, eoque observant quosdam omnes. *Diversitas Religionum* nihilominus est magna: quæ venit partim ab ignorantione Revelationum, partim à discrepante interpretatione earundem, partim à confictione quarundam, & sic admissis commentis, ac imposturis. Principales sunt quatuor; sed harum quælibet dissecta in minores sectas: *Gentilis*, *Judaica*, *Christiana*, *Mahomedana*; habens quæque suum *Authorem*, suos *Revelationum libros*, suosque *Ritus*.

Socr.) Scrupulosum quadrivium ostentare se nobis incipit: sed pergendum est. Date nobis omnium Religionum historialem delineationem: at bonâ fide, ut ne quid præter verum attribuatur alicui. Novimus enim, si usquam, in *Religione* regnare *invidiam*, *odia*, *criminationes*, *falsa testimonia*. Cavete igitur quicquam admiscere nebulosi, aut lividi: res ipsas, ita ut sunt, in luce listite.

Apoll.) Etiam monendos puto, ut ne in disputatione, & dehinc altercationes exardescant: quod illis ajunt solemne esse.

Theol. idem.) *Theologia objectum* est summum ens, *Deus* qui *summum* requirit *amorem*. *Amor autem* summus sine

sine *Zelo* esse non potest: *Zelus* autem æquè pati potest excessum atque alii affectus, nisi moderetur scientiâ.

Rex.) Moderamini igitur. [*Et ad consiliarios conversus*] Vos autem mei à Consiliis quia quatuor estis, & *Religio* nunc in Mundo quaterna, singuli singulas examinate.

ACTUS II. SCENA III.

De Gentilismo.

[*Socrates, Plato: & Theologi, Secundus, Tertius, Quartus, Quintus, Sextus, Septimus.*]

Socr.) *Gentilis Religio* quid est?

Theol. 2.) *Cultus non unius veri Dei, Creatoris Cœli & Terræ, sed fictorum Numinum.*

Socr.) Fictorum numinum? quis deos *fingere ausus? illius rei quæ origo?*

Theol. 2.) Qui nos condidit, revelavit se mox primis parentibus nostris, dato illis mandato, cum interminatione, de abstinenda quadam Arbore (ut meminissent se debere obsequium suo Conditori:) sed invidiosus Spiritus insusurravit eis, si vellent esse tanquam Dii, ut vescerentur de fructu vetito: quod illi, eheu, fecerunt, affectantes paritatem divinitatis. Sed lapsi, agnovere reatum, erubuere nuditatem, condemnatique ad pœnas, & ex *Paradiso* ejecti, acceperunt promissionem adversus desperationem, de venturo *Semine mulieris*, ad conterendum caput *Deceptoris*: quanquam & ipsum esset attendendum, ad redimendam culpam. Cujus promissi ut possent commeminisse (quomodo *mors morte delenda* foret) Agni mactabantur, ad conficiendum indumenta contegendæ nuditati: quæ fuit prima *origo sacrificiorum*,

&

& ſcopus. At inconſiderantia hominum rerinuit *Ritum* ſine ſignificatione, offerendo *Hoſtias* ſine fide in *Redemptorem*, & quærendo placare Deum opere operato, ut in *Cain* patuit: quæ hic fuit prima exitiabilis errario.

Socr.) Volupe eſt cognoviſſe primam victimarum inſtitutionem, & ſcopum: & quomodo *Ritus Religioſi*, ſine fide adhibiti non placeant vero Deo. Perge.

Theol. 3.) Alia ſubit errario: quòd attentarunt præſentiam inviſibilis *Numinis* repræſentare viſibilibus ſignis: ſive animatis, ut *Egyptii* (qui quod *animal* primùm conſpicati fuerant, mane prodeuntes, illud habuerunt venerabile ea die, loco Dei) ſive inanimis, ut qui ſe incurvabant *Soli*, *Lunæ*, *Stellis*, *Arboribus*, &c. ſive denique *Idolis* à ſe effictis. Unde demùm ſtupidus inxaſit animos, commentandi *Pluralitatem Deorum*: quorum tot conſixerunt ut ſingulæ Gentes haberent peculiaria numina: Babylonii *Baal*, Sodonii *Aſtaroth*, Ammonitæ *Chamos*, Philiſtæi *Dagon*, Accaronenſes *Beelzebub*, alii alia. *Græci* commenti ſunt innumerabiles *Deos* (cum *Deabus*:) ſuperos, inferos, & medioxumos: non tantùm partiti inter illos munia gubernandi Mundi: ſed & imaginati jugales thalamos, ſarna eosque genituram, imò & bella, non minùs impiè quàm inſulsè.

Socr.) Vera hæc ſunt: inſania illa adeò occupaverat Gentem noſtram, ut cùm ego à fictitia illa Deorum turba, ad unius veri Dei noritiam homines revocare vellem, impietatis acculatus, & tanquam blaſphemus ad mortem damnatus fuerim.

Plato.) Quo exemplo territus ego, publicè quidem publici erroris ſtylo utebar, ad amicum tamen ſcripſi (*quod eruditi norunt, exſtat enim in libris meis*:) joco an ſerio ſcribam inde cognoſces: ſi à Diis ordior, jocum ineſſe ſcito: ſi à Deo, ſeria inſunt. Sed perge.

Theol. 4.) Ego Latinæ gentis narrabo ſuperſtitiones. *Romani*, rari colendos ſibi eſſe quoſcunque uſquam gentium coli audierant, exſtruxerunt templum omnibus dictum, dividebantque in Deos majorum gentium, mi-

vem, *Apollinem*, *Mercurium*, *Neptunum*, *Vulcanum*, *Martem*; Deásque, *Junonem*, *Minervam*, *Venerem*, *Dianam*, *Vestam*, *Cererem*;) & Deos minorum gentium (*Plutonem*, *Castorem*, *Pollucem*, &c.) Demortuos heroas (& heroinas) accensebant quoque Divis, quasi evectos in cœlum suis meritis, quos vocabant *Indigetes* & *Semideos*: ut *Herculem* domitorem monstrorum; *Liberum* (Bacchum) vini inventorem; *Æsculapium*, medicinæ repertorem; *Musas*, artium liberalium inventrices, &c. Sensatiores excusabant hanc multitudinem Deorum: dictitantes unum esse *Deorum Deum*, JOVEM, reliquos ejus progeniem: alii censuerunt sic variè appellitari *divinas virtutes*. Habebant & sua *Oracula*, edita ab illusore spiritu *Vejove* (emittente voces ex Idolis:) alii fingebant colloquium cum aliquo Deo vel Dea, ut conciliarent authoritatem suis statutis (sicut *Numa Pompilius*:) tandem jactitabant quosdam *libros Sibyllinos*, continentes vaticinationes varias.

Theol. 5.) Addam ego, quomodo sacrificare soliti fuerint deastris suis. Congregabant se in *Lucis*, *excelsisque* locis: ubi & *Aras* exstruebant, atisque circumstruebant *Delubra*. *Sacrificuli* autem ipsi vocati fuerunt Romanis *Flamines*, & summus eorum præsul *Pontifex*: (cum consecrabant *Fana*, dicebantur inaugurare; cùm redigerent ad profanos usus, exaugurare.) Ut expiarent piacula, aspergebant se lustrali aquâ; & flagellabant flagellis, quin & incidebant lanceolis, ad sanguinem usque: crudelissimus Satan, *Moloch*, poscebat sibi concremari vivos infantes. Festos dies agebant dissolutissimè: præsertim *Bachanalia*, indulgendo genio: & *Lupercalia*, discursando nude: & *Compitalia*, circa viarum compita tripudiando, &c.

Socr.) An etiamnum vecordes Idololatræ supersunt, qui pro vivo Deo quidvis commentitium colant?

Theol. idem) Imò sunt in India, qui scientes volentes *Cacodamonem* ipsum, furorem ejus placandi studio, colunt: *Litamus ei*, inquiunt, *non ut prosit, sed ut ne noceat.*

Socr.) Hem dementiam!

ACTUS

ACTUS II. SCENA IV.

De Judaismo.

[*Plato, cum Theologis quatuor sexto septimo, octavo, nono.*]

Plato. An ergò Deus tantam hominum cœcitatem tolerabat? aberrantes ad se non revocabat?

Theol. 6.) Sivit quidem perversos ire viis suis, voluntariæ indignatus excæcari: nec tamen sine testimonio sepsum reliquit, nec omnes prorsus deseruit. Nam invalescente Idolomania, evocavit ex Idololatrarum medio *Abram* (quem postea vocavit *Abraham*) eique intimavit, se solum esse Deum *Schaddai* (Omnisufficientem) *ut sibi serviret cum sua posteritate, à qua proditurus esset* MESSIAS, *in quo benedicerentur omnes Gentes terræ*: à quibus cum caeteris perdidicerit signum *circumcisionis* præputii.

Plato.) Hæc gens fuit, à qua Pythagoras noster notitiam unius Dei, & multa mysteria didicit, utque discere posset, circumcisionem quoque subiit. Sed ne te remoror, age perge.

Theol. idem.) Huic Deus postea Genti *Legem* dedit (per manum *Mosis*) tripartitam: *Moralem, Ceremonialem, Forensem*, uti adhuc extant. *Moralis* est immutabilis norma interni cultus, cujus summarium est *Decalogus*, quem Deus ipse cœlitùs deromerat, edicendo sic. *Non esse colendum aliud Numen præter se. Non effigiandum se simulacris. Nomen summi sacrosancti reverendum. Sabbatum religiosè feriandum. Progenitores ac nutricios honorandos. Non occidendum esse ullum hominem. Virum, aut Puellam, aut Fœtum, nec quidem Concupiscendo quidquam illicitum.*

Plato.) Sanctissimæ leges, utrumque inviolabiles! Quid *Ceremonialis lex* fuit?

Theol. 7.) *Ceremonialis* fuit, quâ præscribebatur ratio externi cultûs, per varias *Ceremonias*, *præumbrantes futuram Veritatem* (1) ut, quod voluit esse unicum *Sanctuarium*; (2) & in illo unicum *Altare*; (3) cum unico jugiter continuato *Igne*; (4) unicoque *Summo Sacerdote*; (5) item unicâ *Arca Fœderis* &c. (6) omnia hæc ad præcidendam occasionem *polytheiæ*, (7) adumbrationemque unici sacrificii pro peccatis Mundi &c. Voluit & frequentari congregationem Populi generalem, ter anno: Festo (1) *Paschatis* (2) *Pentecostes*, & (3) *Scenopajas*; in memoriam (1) *Paschalis Agni* (cujus sanguine liberati fuerunt à percussore Angelo;) & (2) *Datæ Legis*; & (3) quadragenariæ *conservationis* in eremo; & ut insuescerent agnocere Deum, ut suum (1) *Conservatorem* (2) *Redemptorem* (3) *Sanctificatorem*: fuitque additus *Sabbatismus annorum*, & *annus Jubilæus*, typus futuræ universalis restitutionis.

Theol. 7.) Sacrificia jussit offerri vel (1) *Eucharistica* (ad testificandam pro beneficiis gratitudinem) quæ constabant ultroneis oblationibus, sive esculentorum & potulentorum, dicebaturque *Libatio*; sive animalium mactandorum, *pacifica Hostia*: vel (2) *Expiatoria*, pro expiandis peccatis; quorum quod efferebatur pro omnibus peccatis generatim, conbustione totius victimæ, dictum fuit *Holocaustum*; pro delicto admisso ignoranter, *Piaculum*; pro reatu commisso sciendo, licet ex infirmitate *Supplicamentum*: sed & (3) voluit adoleri *Thura*. Jussit insuper deferre *Primitias* & *Decimas* proventuum, sacratis personis (*sacerdotibus*, eorumque cooperatoribus *Levitis*) in eorum sustentationem: abstinere ab immundis Cibis, omnique *Sanguine*, *relicto ad expiandum animas*, (Levit. 17. v. 11, 12.) &c. *Forensis Lex* spectabat coercitionem refractarii Populi: hinc constituta capitalia pœna *Apostatis*, *Blasphemis*, & *Pseudoprophetis*, rursumque *asyla* illis qui nolentes admisissent cædem.

Plato.) Fuerunt-ne gravi observatores tàm sanctarum legum, tàm sancti Dei?

Theol. 9.)

Theol. 9.) Non defuerunt ſanè ſemper pii aliqui, propter quos Deus gentem hanc *populum ſuum* vocabat, & *Gentem ſanctam*: plerique tamen erant degeneres, profani, impii. Sed & his, quoties deviabant, ſubmittebat optimus Deus *Vates* (ſeu *prophetas*) afflatos ſuâ inſpiratione, per quos commonefaciebat pœnitentiæ, obſtinatos autem concaſtigabat variè: donec & (ſecundùm comminationes) abjecit & disjecit, ut jam deſtituantur *Templo & Sacerdotio*; retinent tamen umbram avitæ Religionis (jam pridem depravatæ per *Samaritanos*, *Phariſæos*, *Sadducæos*, & *Eſſeos*) peraguntque ſua ſacra in *Synagogis*. Nunc ſunt diviſi in duas Sectas: Noſtrates hîc vocantur *Judæi*, quia ex tribu Juda (poſt ultimam vaſtationem Hieroſolymæ, à Romanis abducti in captivitatem, & diſperſi per Europam): *Aſiani* ſunt reliquiæ decem *tribuum Iſraeliticarum*, longè ante transportatarum in *Aſſyriam*; inter quos & hos noſtros implacabile odium eſt. Nam noſtri ſunt propago *Phariſæorum*, ſequunturque traditiones majorum, comprehenſas libro *Talmud*, conſcripto à *Rabbinis*: illi alteri tenent ſola *Scripta prophetarum*, ideoque dicti *Carei*, hoc eſt *Scripturarii*: utrique exſpectant adhuc Meſſiam (licet ſigna adventûs ejus pridem præterlapſa ſint:) utque ne diutius emaneat, agunt ſæpè jejunia cum planctu ſeſe humiliantes in cilicio & cinere, & implorantes commiſerationem Dei *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*.

Plato.) Deus illorum quoque miſereatur, & omnium noſtrûm.

ACTUS II. SCENA V.

De Christianismo.

[*Eratosthenes cum Theologis otio-*]

Theol. 10.) Nostri jam misertus est, quos è Gentilismi tenebris in Christianismi lucem vocavit.

Erat.) Tu igitur cedò, *Christiani* quinam sunt? Et quæ illa lux qua gaudent?

Theol. idem) *Christiani* sunt qui credunt promissum *Salvatorem* jam venisse, eumque esse JESUM NAZARENUM, rejectum à Judæis ob minus pomparicam conditionem: quia vident divinitus factas prædictiones in illo adimpletas omnes. Puta, quod natus sit prænuntiato tempore, *post ablatum sceptrum à Juda*: & in loco quem nominaverat os Dei, *Bethleemi*; & *è domo Davidis*; & ex matre *virgine Maria*; & quod potens fuit verbo & opere, ediditque *signa vere divina*; & vixit vitam sanctissimam, prorsus immaculatam; & morti adjudicatus innocens, sola invidia, sustinuit eam patientissime (propter peccata Mundi, sicut prædixerant Prophetæ, & præfiguraverant omnes Victimæ, & ipse moriturus dixit, *se tradere animam suam in Lytrum*, Math. 20. 28; *& se sanctificare pro hominibus, ut ipsi sanctificentur*, Joh. 17. v. 19.) orans pro crucifigentibus se, & sic vincens omnes tentationes, novus *Adam*. Item, quod resurrexit tertia die à mortuis, reversusque ad suos redivivus, ascendit in Cœlum illis inspectantibus, indeque demisit *Spiritum Paracletum* super suos (juxta factam promissionem:) quos instructos dono Linguarum emisit ad

Gentes,

Gentes, ut nunciarent *Verbum*, per quod Mundus erat factus, incarnatum fuiſſe, & habitaſſe in nobis; peractoque opere Redemptionis rediiſſe ad Patrem, indidemque reverſurum ad judicandum vivos & mortuos: ut quicunque reſipiſceret & crederet, baptizaretur-que (in nomine *Patris*, *& Filii & Spiritus Sancti*) ſalvaretur. Et quod huic inermi prædicationi cooperata fuerit virtus ex alto: quia ut ut Apoſtoli (oculati illi teſtes omnium) crudeliſſimè internecabantur, una cum ſuis aſſeclis; devicerunt tamen Martyres, & mundus ſuccubuit, porroque etiam Gentes convertuntur virtute Crucifixi ad Deum *Abrahami*, accepturæ illam benedictionem promiſſam omnibus.

Theol. 11.) Hæc profeſſio facit *Chriſtianos*: habentes canonem ſuæ Religionis *Biblia*, hoc eſt omnes Libros ſcriptos afflatu divino (*in Veteri Teſtamento*, *Moſis & Prophetarum*; *in Novo Evangeliſtarum & Apoſtolorum*:) ex qua *Plenitudine revelationum* poteſt promanare ſublimitas Fidei, Sanctitudo Vitæ, excellentiaque Spei, præ omnibus antehabitis. O igitur felices Chriſtianos, ſi norint ſua bona, & ſe compoſuerint ad Exemplar ſui Præceſſoris! Habent enim ante ſe luculenter, *quid credendum ſit*; nempe quæ Dominus docuit; *& quid faciendum*; nempe quæ Dominus fecit (exinaniendo ſeipſum, & refigando propriam Voluntatem; & ſubdendo ſe DEO, ad faciendum & patiendum omnem ejus voluntatem;) & denique *quid ſperandum*; nempe quæ Dominus conſecutus eſt poſt ſuam exinanitionem, glorioſam Reſurrectionem, & Vitam æternam.

Theol. 12.) Hæc eſt breviſſima ſumma Chriſtianiſmi, & perfecta, ſimulque compendioſa, via Cœli, quæ docetur ſummatim in ipſa *Catecheſi*: quia *Symbolum Apoſtolicum Fidem format*; *Charitatem Decalogus normat*; *Oratio Dominica provocat Spem*, quam *Sacramenta* obſigillant: quæ omnia omnes habent, tametſi diſpariliter.

Erat.) Vere dispariliter. Nullibi tot variationes & dissidia, atque inter Christianos.

Idem Theol. 12.) Domine, hæc à fulgore lucis sunt, quâ nos Christianos circumfulsit DEUS. In tenebris enim etiam contrariis coloribus benè convenit: in luce etiam minimæ differentiæ sese ostentant, vel obumbrant, & huc illuc rectum motu mirè variant.

Erat.) Itane dissentiones vestras palliatis?

Idem Theol. 12.) Non palliamus, ita est. Non dissimulato tamen, quod ob imperfectionem humanam luci nostræ multum se admiscet tenebrarum: quod condonabit DEUS, modo infirmitati ne admisceamus malignitatem.

Erat.) Fac ita esse, & perge.

Theol. 13.) *Cælestis* noster *Magister* commutans umbras Mosaicas veritate (*ne inanes essent,*) & explanans salebrosam viam *Legis* in sanctam viam *Sionis*, per quam ne quidem stulti errarent, revocavit totam *moralem Legem* ad unicum *præceptum dilectionis*; & totam *Ceremonialem ad ritum Baptismi & Eucharistiæ* (illum *Sacramentum regenerationis* nostræ, hanc *nutritionis* ex illo:) totam denique *Forensem* ad Institutum *Ecclesiasticæ* disciplinæ, consistentis in admonitione, correptione, excommunicationeq, *vi Clavium Cælestis Regni*, quas reliquit Ecclesiæ. Christiani tamen prolapsi sunt in disceptationes super his: & ex disceptatione in dissensum, proh dolor! etiam in *adiaphoris*. Commemorabimus principalora, in quibus est consensio & dissensio. *Diem Dominicum*, in quo resurrexit Dominus, omnes agunt festum; cæteras anniversarias festivitates dividunt in *Stationales & Conceptivas*. Illæ recurrunt quotannis iisdem mensium diebus, ut *Natalitia Christi*, ut reliqua *immobilia festa*: hæ mutant *diem*, ut *Pascha*, & dehinc *Pentecosten*; & alia *mobilia festa*; sed & admittunt *imperativas ferias* indictas, interdum publicis jejuniis & supplicationibus.

Theol. 15.) Cum *feriatus dies* illuxit, pientiores præparant prius factis exercitiis se & suos domi, conveniuntque dum Cœtus convocantur pulsu campanarum: ubi *Ædituus* pandit januas sacræ ædis, & chorus Cantorum decantat ad pluteum *Psalmos*, *Hymnos*, & Spiritualia *Cantica*; simul accitente populo, & assonante concentu *Organorum* (Musicorum) ubi habentur. Mox *Concionator* prodit ex *adyto* (*Sacrario*) & de Cathedra (devocans prius gratiam Spiritus Sancti) prælegit *Biblia*, & dilucidat paraphrasi: jam Cathechisans rudes; jam exhortans peccatores ad resipiscentiam, terrefacienſque refractarios, & sic prædicans *Legem*; jam consolans contrita corda, per merita & satisfactionem Christi, & sic annuntians *Evangelium*. Finitâ Concione, peractisque precibus ad *Oeconiâ*, Ecclesiastes dimittit Concionem, fausta apprecatione & denuntiatione benedictionis; sæpe tamen absolvendo pœnitentes administrat Sacramenta; impœnitentes autem excommunicando, excludit participatione. Hæc est Evangelium prædicandi ratio. Administrandi Sacramenta modum placeat Tibi dilecte *Collega*, [Hæc dicet facie obversa sequenti] explicare.

Theol. 16.) Incorporandi Christo & Ecclesiæ, *Baptismum* etiam infantes: sed quos edoctum in mysteria Fidei, fide jubent pii ad hunc actum exorari; quos postea baptizari vocant suos *Susceptores*; ipsorum autem Parentes, suos *Compatres* & *Commatres*. Reperiuntur tamen qui tales rebaptizant, inde dicti *Anabaptistæ*, opinati infructuosum esse *pœbobaptismum* ab insciis susceptum: qui suis conferunt Baptismum nonnisi adultioribus, professis Fidem & Obedientiam erga suo, dum se scientes volentes devovent Christo. *Abyssini* eursum iterant Baptisma quotannis, superadjiciuntque ei Circumcisionem: *Cophchitæ* & *Suriani* addunt Baptismum ignis, insito charactere Crucis: alii superaddunt *Exorcismum* &

Chrisma: alii denique immergunt baptizandos flumini: alii conspergunt solum aquâ ad Baptisterium. Et quia Christus daturus se morti pro nobis, sanxit (loco *Paschalis Agni*) *Cænam novam*, in qua mandavit fideles suos cibari carne suâ, tradita pro nobis in mortem; & potionari sanguine sub, effuso in remissionem peccatorum: recolunt omnes celebrationem hujus sacrificii, quanquam non sine exprobratione sibi invicem discrepantiæ sententiarum & rituum.

Erast.) Ecclesiasticos Ordines quàm habetis inter vos diversos!

Theol. 16.) Verùm est: ab initio verò non fuit sic. Nam Apostolorum tempore *Pastores* pascebant Ecclesiæ gregem; *Doctores* invigilabant puritati doctrinæ; *Seniores* attendebant exercitio disciplinæ; *Diaconi* curabant collectitias Eleemosynas, erogabantque inter egenos; sed postea gradus auctiores fuerunt, ut *Hierarchia* Græca & Latina Ecclesiæ apparatissimè facta sit: ubi nemo admittitur ad *Clerum*, nisi ordinatim ascendens. Nam primùm initiamur *Ostiariis*, dehinc *Exorcistis*, tum *Lectoribus*, mox *Acolythis*, postea *Diaconis*, tandem *Presbyteris*: quibus potestas datur faciendi *Missam*, audiendique auriculares *Confessiones*, & conspergendi lustrali aquâ (aspergillo ex aquimanali haustâ) & ungendi morituros, copulandique novos nuptos, &c. *Sacellani* præficiuntur minoribus Sacellis, *Parochi* uni Parœciæ, quarum plures constituunt *Diœcesin* (seu *Episcopatum*:) Episcopatui verò præest *Episcopus*, cum suis *Canonicis* & *Suffraganeis*: & aliquot Episcopis, *Archiepiscopus*: quibus rursum superior est, *Patriarcha*: summus autem inter hos, *Papa* cum *Cardinalibus* suis. *Monachi* inhabitant Monasteria, professi spontaneam paupertatem, & castimoniam, & obedientiam, secundum certam Regulam: quibus præsunt *Antistites* (scilicet *Abbates* & *Præpositi*). *Monialibus* verò *Antistita* & *Abbatissa*. *Eremita* tenet se in Eremo.

Theol. 17.)

Theol.) 17.) De ſcandalis quoque inter Chriſtianos docendum eſt. Qui diſſidia & diſcidia invehunt, ſalva fide, vocantur *Schiſmatici*; qui à fide deficiunt, *Apoſtatæ*, qui erronea dogmata pertinaciter defenſitant, *Hæretici*: ipſi verò hæreſium authores, *Hæreſiarchæ*. Cujuſmodi ſcandalis quoties obviandum eſt, convocatur (priſtino more) Synodus, *provincialis* vel *nationalis*, aut etiam *Concilium Oecumenicum*: ubi congregati ſummates *Orthodoxi*, aſſerroréſque *Catholicæ Fidei*, determinant controverſias, componuntque ſchiſmata, & dicunt anathema blaſphemantibus: quæ tamen ſunt ſuprà caprum, relinquunt indeciſa, & quæ non poſſunt emendare, commendant Deo.

Erat.) Optimè faciunt, ita qui faciunt: ſoli Deo non deerunt emendandi nos omnes & omnia, viæ. Odiſſe hominem, quòd aliquid aliter ſentiat, vel faciat, ignarus aliter, non eſt humanum, nedum Chriſtianum: quandoquidem Chriſtus veſter, adeoque noſter jam communis Salvator, nullum niſi perpetuum patientiæ acmanſuetudinis exemplar reliquit.

ACTUS II. SCENA VI.

De Mahumediſmo.

[*Apollonius cum Theologis reliquis.*]

Apoll.) Mihi ergò Mahumediſmus jam examinandus eſt. Dicite, Mahumedani quinam ſint & dicuntur?

Theol. 19.) Mahumedani ſunt, qui poſt *Moſen* & *Chriſtum* tertium recipiunt magnum Prophetam (Ma-

merti errent) *Mahumedem*. Qui cùm esset homo bellator, Regnorumque affectator, ut mundus religionem haberet faciliorem, quàm illi visus erat Judaismus, onerosus ceremoniis; & Christianismus, scrupulosus sublimitate sensuum: introduxit novam miscellaneam ex utraque, interpolatam novis quibusdam insulsis figmentis. Ubi instituit feriaticum diem esse suis sectatoribus, *Veneris diem* (quòd ea die homo creatus esset): & precari atque abluì quinquies de die; interdixit verò iisdem suilla & vino; indulsit contra *polygamiam*, promisitque post obitum corporeas voluptates in Paradiso, & quæ alia vana vano homini visa sunt.

Apoll.) Etiámne doctrinam suam in scripta retulit?

Theol. 19.) Retulit, ope Sergii Monachi Nestoriani: ipse enim idiota fuit, scribendi & legendi ignarus. Librum ipsum consarcinavit novæ Legis titulo, divisum in *Azoaras* (seu Capita) 114. appellavitque *Alcoran*: quem interpretantur illorum *Mystagogi*, dicti *Talismanler* & *Dervisi*, quorum supremus *Muffti* est. Dissident ipsi quoque *Musulmanni* (seu *Mustimi*: ita enim seipsos nuncupant) dum alii volunt solum *Ali* authenticum interpretem Alcorani; alii sociant huic *Ebubecar*, *Aomar*, *Osman*: & hoc est quapropter *Turcæ* cum *Persis* adeò in se bellis sæviunt: alioqui utrique expertes cognitionis rerum, adminiculantesque res suas tantum severitate.

Apoll.) Deplorandum est, Homines hic disconvenire maximè, ubi conveniebat convenientiam esse maximam: in advenerando uno illo Conditore omnium.

Theol. 20.) Nec minùs tamen inconveniens, quod *Libertini* faciunt, velle approbare Religiones omnes, & sectari quamcunque: subest enim deceptio, Deúsque Zelotes vult nos esse ferventes in suo cultu, abesse teporem.

Apoll.) Quæ ergo erit tandem Religio optima?

Idem Theol. 20.) Loquuti sumus ut sapientibus, Vos ipsi judicate.

Apoll.) Dic nihilominus.)

Theol. 20.

Theol. 20.) Primæva Religio, Paradisiaca, radix est omnium, cujus aliquid manet in corruptissimis etiam. Ad speciem eundo, *Gentilismus* vagum quid & cæcum est, mera figmenta cerebri humani, imò impurorum spirituum qui assumtis idolorum nominibus, coli voluerunt. *Judaica* multum umbrarum habuit jam ab initio: quia res futuras, *Messiam*, *Redemptionem*, *Vitam æternam*, *typis* adumbrabat Deus: nunc verò minus quàm umbra umbræ est. *Christiana* habet veritatem, totum Dei *Revelationem* amplectens, totum *Deum* colens: sed verùs *Christianismus* vulgo exolevit, nudum nomen habemus, imò larvam pro re. Abiit à nobis *Christus*, nos ab illo. Justit se quidem sequi, & ostendit viam absque errore: sed quia est angusta, pauci eam ingrediuntur. Imò pauci eam norunt, latet plerosque tota. *Mahumedismus* verò totus res seductoria est: *Alcoran* autem, non suppletio Legis & Evangelii, sed corruptio. Nam qui invento perfecto aliud quærit, deterius quærit, & inveniet.

Apoll.) Misereatur illorum, omniumque errantium, DEUS, ut errorum suorum finem inveniant!

Theol. idem 20.) AMEN!

[*Fiátque aliquantulum silentium.*]

ACTUS II. SCENA VII.

[*De Providentia* DEI, *finéque Rerum.*]

Theol. 21.) Pientissime Rex, vosque Sapientissimi Consiliarii, aspectastis hactenus visibilia: superest ut Vobis ostendantur ea, quæ spectari non possint, nisi mentis oculo.

Rex.) Ecquænam illa?

Theol. 22.) *Perreconditus Ille*, qui essentiâ incompre-

sensibilis permeat omnia, operaturque omnia in omnibus: cum occultis exsequutoribus consiliorum suorum, *Angelis*. Tametsi enim *Operator* omnium non sit indigus opis, fuit tamen placitum *Illi* constituere sibi præveloces administros *Providentiæ* suæ, non præpeditos corporali mole: qui amandari obirent mandata, functique legatione referrent se ocyssimè, & circumstarent thronum gloriæ. Sed pars illorum desciverunt ab obtemperatione per arrogantiam, suntque deturbati *Cælo empyreo* ad *Orcum*; qui autem perstiterunt confirmati sunt, ne amplius possint labi. Novimus eos distingui nominibus: sed quæ nobis incomperta sunt, præter *Gabrielis*, *Raphaelis*, *Vrielis*, &c. Malignorum Spirituum caput vocant *Belzebub & Lucifer*. Boni associant se piis insensibiliter ad averruncandum mala, & eos protegendum ab insultibus Vastatoris, tandemque inferendum animas æternitati: apparent interdum, disparentque rursum; non præstringendo oculos, sed reapse. *Mali genii* cùm apparent in persona alicujus malè mortui, dicuntur *Larvæ*; cùm homines aliàs proterrent, *Spectra*; cùm infesti sunt infantibus, *Lamiæ*; cùm tumultuantur per intempestam noctem, *Lemures*; cùm famulantur alicui veteratorie, *Lares* & *Penates*: justus tamen dispensator omnium utitur illis quoque ad salutarem probationem piorum, & promeritam divexationem impiorum.

Thes. 224. Stulti ergò sunt *Epicurei*, facientes ociosum *Illum perbeatum*, quem censent non esse fatigandum tumultu Rerum: quem tamen interesse Rebus inseparabiliter, arguunt vaticinia & portenta ac prodigia, præsignificantia ac portendentia ingentes mutationes, rebus comprobata eventis, ut scias præmoneri nos ab omnipotente. Insani quoque sunt *Stoici*, qui connexione causarum naturalium catenant *Fatum*, cui etiam innectunt *Motorem* & *Rectorem* omnium: sic enim res non procedere coarguit, quòd non veniunt semper

per eadem effecta ab eadem causa; quemadmodum experiuntur Astrologi. Denique vesani (excordes) *Machiavellistæ*, qui autumant Mundum regi humanis consiliis: cùm tamen negotia (callidissimorum quoque) non sic finiunt quomodo inchoant: quin videmus infelicitari maximè; dum illi Providentiæ divinæ oppugnatores, dextræ verò suæ osculatores, infinita vafricie cum fortuna luctando, tandem in consilii divini casses incidunt.

Theol. 23.) Quisquis ergò sapis, statue firmiter, utcunque res nostræ subjaceant vicissitudinibus, eas tamen nec volutari temerariis casibus, nec constringi fatali necessitate, nec versari humanis astutiis: sed providentissimo consilio Ejus, qui prævidet omnia ab æterno, & disponit secundùm beneplacitum suum. *Fors & Fortuna nihil* sunt, etiamsi dentur *fortuiti Casus*: hi enim dicuntur respectu nostri, non *Providentiæ*; quæ tàm præscit quid futurum sit cras, perendie, & deinceps; atque scit quid factum est heri, pridie, & abhinc tot annis: quippe prædestinavit omnia bonis in bonum. Insunt ergò *omina* rebus: at captare *præsagia* usquequaque, est superstitio: si dignabitur manifestare aliquid tibi, qui provident omnia, non latebit tibi: Tu ecur velis anticipare fata tua? Lætemur potius nos esse curæ Illi, qui melius novit quid expediat nobis, quàm nos ipsi, habeque amplam facultatem benefaciendi: quippe in cujus manu sunt omnia, & cujus imperio coërcetur ipsa quoque potestas inferorum.

Theol. 24.) Interea tamen faciamus consultò sub metu ejus, quidquid possumus, ne quidquam eveniat nobis fortuitò: si quis nescit rationabiliter agere, & competenter fiduciam collocare in *Moderatore* rerum, irrequietus est, & expositus infortunio: ex adverso, qui rectè agens non diffidit *Illi* fidissimo, seu illi contingunt bona, seu accidunt mala, sedatus erit, præsumens lætitiam æternantis bonitatis ejus. Advenier enim *novissima dies*, quâ mundus deflagrabit & corruet, nos [illegible]

resuscitabimur & judicabimur: ubi patescent omnia, *manifesta* & *occulta*, ratioque reposcetur ab omnibus anteactorum, cogitatorum, dictorum, factorum. *O ter beatos*, qui tunc habebunt propitium! pascentur enim non *ambrosiâ* & *nectare* (ut fabulati erant ludiones Poëtæ) sed absconditis & ineffabilibus suavitatibus, in sempiternum. *At væ illis infelicibus*, qui patrârunt abominanda! detrudentur cum rerum peditore in *Gehennam*, excruciandi inenarrabilibus tormentis: Vindex enim gloriæ suæ erit Judex universorum. Ita erit finis omnium; *Salus* aut *Exitium*, nunquam desitura: huc exeunt omnia, etiam Tuum, ô Rex! Mundi lustramen.

Rex.) Faxit Miserator hominum, propter misericordiam suam, ut tandem, tandem, tandem, omnes homines agnoscant miseriam suam, dimittant errores suos, redeant ad *Deum* unum, & illi serviant brachio uno. Ah quàm haberemus *Cælum* in Terra! Quòd si stupidus Mundus à se impetrari non patitur, ut vel vestrâ Philosophi sapientiâ, vel vestris Theologi obtestationibus, vel nostro secularis Potestatis regimine, emendetur; veniat *Christus* & emendet nos ad æternitatem!

Omnes quasi uno ore.) Amen, amen, amen.

Rex surgens.) Vos autem Amici dilecti, valete: & pro navata in Rerum lustramine nobis opera, gratias habete. Jam autem redibimus ad munia vocationis quisque suæ.

[*Surget, ibitque, honoratus & comitatus ab omnibus.*]

(*Musica.*)

EPILOGUS.

Eminentissimi Viri, quicunque honoratâ præsentiâ præsentem actum ornare dignati estis, me pusillum audite. Agendæ enim sunt vobis à me, omnium gratiæ: exquirenda de speciminibus diligentiæ nostræ

nostræ judicia: fundendáque unanimiter, pro ulteriore successu bono, ad Deum vota. Primum illud more sit, ideoque brevibus expediri poterit: alterum plus habet momenti: tertium verò plurimum. Habete igitur gratias Amplissimi Patroni & Fautores, quòd Scholasticos nostros spectando ludos, diligentiæ nostræ addere non intermittatis calcar. Videtisne autem, quæsumus Vos, Exercitii hujus jam tandem scopum & usum? Spero: Sic enim in conspectu Vestro omnia majora Mundi, Vitæque humanæ negotia, recitabamus, & actionibus vivis repræsentabamus, ut seriis quibusdam negotiis Nos & Vos interfuisse videri, cúmque fructu olim interfuturos (dabit Deus) sperari possit. Quippe octo id genus amœnis Actibus, annuo spatio, succinctam Rerum omnium synopsin, totiúsque Latinæ linguæ medullam, exhausimus, & ingenio subegimus, cum Deo. Redítéque hoc idem, & in orbem circumiri, poterit quotannis. DEUS modò sit nobis auxilio! Custos *Israelis* custodiat sibi *Ecclesiam* suam! *Deus* pacis det nobis pacis halcyonia! sublatis perniciosis ex humano genere bellis, exstirpatisque erroribus, hæresibus, idolis, omnibusque Deum verum modis falsis & vanis colendi ritibus. *Jehova sospitator noster servet nobis & Scholæ ac Ecclesiæ huic summos Mæcenates, simul Fautores ac Benefactores nostros, quàm diutissimè incolumes! Coronétque hâc in Schola docentium & discentium labores! ut sementis diligentiæ nostræ exeat in pulcherrimam publici boni, quoquomodo per nostram quoque tenuitatem promovendi messem. Exaudiat vota, faciátque rata, qui solus potest, Deus! Vos autem longum valete, perpetuumque salvete!*

Jehova Zebaoth, à quo, per quem, & in quem sunt omnia, æternum individuæ adorandæ TRIUNITATI, *sit honor in secula seculorum, Amen, Hallelujah!*

FINIS.

These Books following are Printed for, and are to be sold by Thomas Parkhurst, *at the three Crowns, at the lower end of* Cheap-side, *over-against the Great Conduit.*

THe Christian mans calling; or, a Treatise of making Religion ones Business, wherein the Nature and Necessity of it is discovered; as also the Christian directed how he may perform it, in *Religious Duties, Natural Actions, his particular Vocation,* his *Family Directions,* and his own *Recreation*; to be read in Families for their Instruction and Edification. The first part.

Likewise the Second Part. Wherein Christians are directed how to perform it, In the Relation of *Parents, Children, Husbands, Wives, Masters, Servants*; In the Conditions of *Prosperity, Adversity.*

The door of Salvation opened by the Key of Regeneration; or a Treatise containing the *Nature, Necessity, Marks* and *Means* of Regeneration, as also the duty of the Regenerate.

The beauty of Magistracy, in an Exposition of the 82. *Psalm,* where is set forth the *Necessity, Vtility, Dignity, Duty* and *Morality* of *Magistrates.*

The fading of the Flesh, and the flourishing of Faith; or, one Cast for eternity, with the onely way to throw [illegible]

[illegible] is coming to the Press the Third and last Part of [illegible] Christian Mans Calling, wherein the Christian is [illegible] how to make Religion his business, in his *deal-* [illegible] all men, in the *Choice* of his Companions, in [illegible] in *Good* Company, in *Bad* Company, in *Soli-* [illegible] when he is alone, on a *weekday* from morning [illegible] *visiting the sick,* on a *dying Bed,* as also th[illegible] *Christian may do this,* and some *Motives* [illegible] by *George Swinnock,* M. A. Preac[illegible] late at *Great-Kimbel* in the County